NUMISMATA
IMPERATORUM ROMANORUM
PRÆSTANTIORA
A JULIO CÆSARE AD TYRANNOS USQUE

PER JOANNEM VAILLANT.

TOMUS SECUNDUS

DE AUREIS, ET ARGENTEIS.

EDITIO PRIMA ROMANA

PLURIMIS RARISSIMIS NUMMIS
eorumque interpretationibus aucta.





ROMÆ, MDCCXLIII.
Sumtibus Caroli Barbiellini, & Venantii Monaldini Sociorum in Via lata.

Typis Jo: Baptistæ Bernabò, & Josephi Lazzarini.
PRÆSIDUM PERMISSU.



LECTORI.

AM ſubjiciebatur prælo de nummis æreis Tomus prior, quum ſenſimus amice provocari nos, ut majus aliquid auderemus. Prodiit ſcilicet latine Caroli Patini Introductio ad Hiſtoriam Numiſmatum, ubi nos non ſolum honorifice appellari vidimus, eos inter, qui nummos antiquos ſcriptis illuſtrarunt; verum etiam invitari, ut quorum indicem tradidiſſemus, eorum etiam interpretationem adderemus, alioqui doctorum virorum votis numquam plene ſatisfactum iri. Inde nobis primum injecta mens tentandi, quid hac parte poſſemus, in eruditorum gratiam. Mox igitur aggreſſus ſum explicare Auguſti Numiſmata, futurum veluti ſpecimen longioris in alio-

rum Cæſarum nummos operæ, ac laboris. Paulatim, ut fit, crevit & amicis aviditas ſciendi, & nobis ſcribendi animus. Inſtare illi, ut pergerem parem lucem addere tot, tamque præclaris Hiſtoriæ Romanæ monumentis: Ego quamvis ſciebam, quam periculoſæ plenum opus aleæ ſuſciperem; cedere tamen non invitus eorum precibus ſtatui, & quæ largo uſu mihi pepereram, liberaliter cum aliis communicare.

Habes igitur, Lector, hac in ſecunda editione Argenteorum, & Aureorum Nummorum ſeriem ad Tyrannos uſque, tum numero, tum interpretatione inſignem; eam enim locupletare ſtuduimus Græcis illis nummis, qui ad Imperatores pertinent, quique exterorum Principum vultus, aut Urbium typos referunt, unde magnum operi ornamentum accedit. Habes præterea Nummos Argenteos maximi moduli; eoſque pariter, quos Quinarios dicimus, qui ſunt in minimo modulo maximæ elegantiæ. Nam quum ex neutris perfecta ſeries componi poſſit, nihil melius fieri poterat, quam ut ad illuſtrandam Argenteam ſeriem adhiberentur. Nemo enim hactenus præter Sereniſſimum Cenomanenſium Ducem aggreſſus eſt, minimos, quos diximus nummos, ad ſeriem revocare.

Erant ex amicis non pauci in ea ſententia, ut Aureorum Nummorum ſeriem ab Argenteis ſepararem; paruiſſem ſane non invitus, ſi abſolutam

eam

eam ab omni parte repræſentare potuiſſem. Sed quum id & ſpem Principum, & rei nummariæ ſtudioſorum facultates longe ſuperet, viſum eſt commodius utramque ſeriem conjungere. Nam præter Ludovicum Magnum, nemo unquam tot aureos nummos, non dico colligere, ſed ne videre quidem potuit.

Eſſet quidem longe facilius Argenteorum Nummorum continuam ſeriem texere, quum ex iis a Cæſare ad Tyrannos uſque nullus omnino deſit. Quare non mirum, ſi inter eruditos plures reperiantur, qui id moliti ſunt ſucceſſu non infelici. Teſtis poſt Regem, Regiorum libellorum magiſter, & apud Cadomenſes rei judiciariæ Præfectus *D. Foucault*. Teſtis hîc Pariſiis Clariſſimus *Comes de Vaux*. In Italia vero poſt Magnum Etruriæ Ducem, tum Venetiis *Antonius Capellus* Senator nobiliſſimus: tum Bononiæ Illuſtriſſimus *De Via*, nunc Innocentii XII. Pont. Max. Coloniæ Nuntius.

[Qui tunc, quum Vaillantius hæc ſcriberet, erat Nuntius Apoſtolicus Coloniæ Jo: ANTONIUS DE VIA, poſt idem munus ſingulari fide, prudentia, & dexteritate obitum tum in regno Poloniæ apud Fridericum Auguſtum I. Regem, & Saxoniæ Ducem, tum Viennæ Auſtriæ apud Imperatorem Auguſtum Joſephum I. a S. M. Clemente XI. P. M. ob egregia ejuſdem merita apud Sanctam Sedem, & præclariſſimas animi dotes in ampliſſimum S. R. E.

S. R. E. Cardinalium Collegium cooptatus fuit anno MDCCXII. Et anno MDCCXL. Romæ inter podagræ, chiragræque cruciatus forti, invictoque animo mortem obiit magno Bonorum omnium, & Literatorum hominum dolore. Summo Viro, immortalitate digno æterni amoris, pietatisque pignus in ejus Tituli Ecclesia *S. Laurentii in Lucina*, in qua tumulatus fuerat, hoc anno MDCCXLII. BENEDICTUS XIV. P. M. monumentum erexit.

Bonum erit ex iis, quæ hactenus dicta sunt, intelligere, cur tertius Tomus, qui ad Heraclium usque seriem nummorum producturus est, ex omni metallo Nummos repræsentet, hoc est Aureos, Argenteos, & Æreos; scilicet perfectam voluimus, & absolutam exhibere seriem. At illam neque ex ullo separatim metallo confici posse sciebamus; & ex tribus simul collectis nullo negotio comparari, habebamus pro certo. Imo vero, quod jucundius est, ex Æreis nummis eos tantum adhibemus, qui sunt minimi moduli, adeoque ejusdem pene magnitudinis cum Aureis, atque Argenteis, ut iisdem loculis contineri sine difficultate possint. Quod, quam gratum sit rei nummariæ studiosis, facile intelliget, quisquis cogitabit continua serie, nec interrupta omnes omnium Principum, ac Tyrannorum vultus posse repræsentari. Fruere igitur nostro labore, Lector, teque benevolum, si probas, sin minus, æquum saltem, & non infensum exhibe. Nam & in ma-

magnis tentasse sat est: Et qui placuisse sperat omnibus, parum sapit. Vale.

* *Quem Vaillantius promiserat, tertium Tomum, Nummorum seriem ex omni metallo continentem a Postumo ad Heraclium usque, fortasse negotiis distentus absolvere nequivit. Huic editioni accessio facta est nummorum a Postumo ad Constantinum usque, æreos tamen secernendo, quos primo Tomo inseruimus, ab argenteis, & aureis, qui suo in loco deinde sub Appendicis titulo collocabuntur.*



JULII



JULII CÆSARIS nummi ex argento rari ſunt, ex auro inter præſtantiſſimos collocantur.

CAESAR IMP. *Caput Julii laureatum.*

L. AEMILIVS BVCA. *Figura muliebris ſeminuda ſtans, dextra Victoriolam, ſiniſtra haſtam gerit.*

Senatus propter victoriam de Pompejo relatam Julio Cæſari inter alios honores decrevit, ut *Imperatoris* nomen non antiqua tantum pro conſuetudine gereret, ſed eo modo, quo poſtea ii, qui ſummum imperium obtinuerunt, tanquam ipſi proprium. Mulier ſeminuda Venus eſt, ex qua originem ſe trahere gloriabatur.

Hic nummus argenteus, ſi caput attendas, pro raro habetur, ſi partem averſam, obvius eſt.

L. AEMILIVS BVCA IIII. VIR. *Orbis, ſecuris, manus junctæ, caduceus, & faſces.*

Æmilius Buca IIII. vir fuit ex numero minorum magiſtratuum, quos Julius Cæſar auxit, & Auguſtus ad Triumviros poſtea, ut primum erant, reduxit. Orbis, imperium Cæſari delatum ſignificat: cetera, quæ in eo optanda ſunt, per ſecurim, religionis cultus: per manus, concordia: per caduceum, pax: per faſces, juſtitia.

Hic nummus argenteus inter rariores cenſetur.

DIVOS IVLIVS DIVI F. *Capita adverſa Julii, & Auguſti.*

M. AGRIPPA COS. DESIG. *In area nummi.*

M. Vipſanius Agrippa ab Auguſto inter familiares & amicos adle-

ctus, tandem Cos. designatus an. 716. & Augusto gratulans ejus, & patris effigiem in nummis a se editis exhibuit: nondum Augusti gener erat, vide Patinum in thes.
Hic nummus ex argento rarissimus est: ex auro eximiæ raritatis, & præstantiæ.

* DIVOS IVLIVS. *Caput Julii Cæsaris laureatum, pone quod stella. Eadem epigraphe, ac typus, ut in superiore.*
In honorem Julii cusus est nummus ab Agrippa, adposito ejus capiti sidere pro nota divinitatis juxta vulgi persuasionem. *Siquidem*, teste Suetonio in ejus vita cap. 88. *stella crinita per septem dies continuos fulsit; exoriens circa undecimam horam; creditumque est animam esse Cæsaris in cœlum recepti: & hac de causa simulacro ejus in vertice additur stella.*
(1) *Hic nummus aureus præclarissimus, & rarissimus est.*

M. ANTON. IMP. *Caput M. Antonii, pone quod lituus.*
M. Antonio Triumviro cusus est hic nummus in memoriam, quod ille Julii Cæsaris partium fuisset studiosus: ideo inter secundos hæredes ab eo, testamento adscriptus est. Lituus pone ejus caput, quod ille esset Augur; lituus autem Augurum symbolum est.
Hic nummus ex argento rarus, ex auro eximiæ raritatis, & elegantiæ est.

L. BVCA. *Venus victrix stans, dextra Victoriolam, sinistra hastam gerit.*
Lucius ille Buca Æmiliæ gentis erat, & ut IIII. vir Venerem exhibuit, ex qua Julius Cæsar originem se trahere ab Julio Æneæ filio prædicabat, sed illa Victrix est, ut Victoria, quam manu gerit, designat.
Hic nummus ex argento inter rariores collocatur.

L. BVCA. *Figura muliebris sedens, dextra Victoriolam, læva hastam transversam.*
Sedentem Victricem Venerem repræsentat Æmilius Buca, post omnes Julii Cæsaris victorias tanquam tranquillam. Ejus templum erat in theatro Pompeji.
Hic nummus argenteus, quoad partem anticam rarus, quoad aversam, obvius est.

L. BV-

(1) In Thesauro Austriaco Vindobonensi, olim PP. Carthusianorum Romæ.

L. BVCA. *Orbis, securis, manus, caduceus, fasces.*
Symbola hæc sunt Imperii Romani deinceps per Julium Cæsarem rite administrandi: de quibus in pagina superiore dictum est.
Hic nummus argenteus rarus est.

C. CAESAR COS. PONT. AVG. *Caput Augusti sine laurea.*
Caput Julii Cæsaris ab Augusto exhibetur in memoriam adoptionis suæ, cum tunc Cajus Cæsar vocaretur, & Consul primum esset, ut & Pontifex, & Augur. Annos natus 14. in collegium Pontificum adscriptus est in locum L. Domitii, qui e vivis abierat, ex Nic. Damasc. p. 476.
Hic nummus aureus rarissimus est.

P. CLODIVS M. F. *Mars nudus, & galeatus stans, dextra hastam; sinistra parazonium.*
P. Clodius sub Julio Cæsare IIII. vir monetæ cudendæ factus, in ejus memoriam nummum percussit sub Augusto cum signo Martis Ultoris, quod ille in prælio Philippensi ei votum pro paterna ultione fecisset.
Hic nummus argenteus inter præstantiores habendus.

CAESAR PARENS PATRIAE. *Caput Julii velatum, pone quod apex: ante vero, lituus.*
C. COSSVTIVS MARIDIANVS A. A. A. F. F. *In area nummi.*
Cossutius Maridianus IIII. vir monetæ cudendæ ex auro, argento, & ære præfectus a Julio factus, nomen ei a Senatu concessum inscripsit, ut narrat Dio. Post hæc *Parentem Patriæ* illum nuncuparunt, & in ejus numismatibus Monetarii illud exhibuerunt.
Hic nummus argenteus inter rariores adnumeratur.

L. FLAMINIVS IIII. VIR. *Figura muliebris stans, dextra caduceum, sinistra hastam.*
L. Flaminius Chilo ex IIII. virorum numero, signum Pacis cum caduceo exhibuit, civilibus bellis passim compositis. Pacem, Veneris sociam appellat Aristophanes.
Hic nummus argenteus rarus est.

L. LIVINEIVS REGVLVS. *Bos cornupeta.*
Livinejus Regulus Taurum in nummo signavit, quod primum Cæ-

ſar an.708. illum in ſpectaculum edidiſſet, Plinio teſte lib.8. cap.45. vide Triſtanum tom. 1. p. 30.
Hic nummus argenteus inter rariores collocatur.

C. MARIDIANVS. *Figura muliebris ſeminuda ſtans, dextra Victoriolam, ſiniſtra clypeo globo impoſito innixa.*
Maridianus Coſſutiæ gentis erat, equeſtris ſcilicet, affinis forſan Coſſutiæ, cui prætextatus adhuc Jul. Cæſar fuerat deſponſatus, ſed quam, patre amiſſo in ſponſalibus, dimiſit. Venerem etiam ille in Julii nummis, ad indicandam ejus originem, exhibuit.
Hic nummus argenteus pro raro notandus. Aureus vero præſtantiſſimus eſt.

M. METTIVS. *Figura muliebris tunicata, & ſeminuda ſtans, dextra Victoriolam, læva haſtam tranſverſam, cubito clypeo globo impoſito, innixo.*
M. Mettius etiam IIII. vir pariter Venerem ſignavit, ſeu ad originem Julii arguendam, ſeu ad cultum, quo eam proſequebatur Cæſar, de quo Dio lib. 44. *Omnino vero Venerem totus colebat.*
Hic nummus argenteus frequens, ſed ex auro rariſſimus eſt.

M. METTIVS. *Figura muliebris in bigis, dextra ſpiculum vibratura, læva clypeum gerens.*
Mulier in bigis, Juno Soſpita eſt, Lanuvii culta; a Mettio ſignata ad indicandam ex iſto oppido originem ſuam, & quod ex municipio vetere an. 706. Colonia a Jul. Cæſare facta eſſet, ut tradit Frontinus.
Hic nummus argenteus inter rariores ſcribendus eſt.

MVSSIDIVS LONGVS. *Temo, orbis, apex, cornucopiæ, caduceus.*
Hæc ſymbola ſunt, quibus imperium Cæſari delatum, & res ſub eo florentes expreſſæ videntur: temo in mari potentiam, & globus in terra denotant: per apicem religio: per cornucopiæ, abundantia: & per caduceum, felicitas deſignantur.
Hic nummus argenteus rarus eſt.

L. MVSSIDIVS LONGVS. CLOACIN. *Cancelli Comitiorum, in quibus stant duæ figuræ togatæ, sortes in urnas immittentes.*
Mussidius Longus IIII. vir cancellos Comitiorum, in quibus scriptum *vox Cloacin.* unde Venus Cloacinæ nomen sumpsit, ad indicandam suam e Sabinis originem, in nummo expressit, illa autem a Tatio Sabino consecrata est: sic Cæsari gratulans, quod ille a Venere originem haberet.
Hic nummus argenteus eximiæ raritatis est.

TI. SEMPRONIVS GRACCVS Q. DESIG. *Signum cohortis, aquila legionis, aratrum, & decempeda.*
Sempronius Gracchus coloniæ symbola expressit, ob Coloniam Carthaginem a Julio Cæsare deductam teste Dione, ad quam ejus avus Gracchus destinatus fuerat III. vir an. V.C. 633. sed ex Aruspicum responso tunc non deducta est. Gracchus Quæstor Cæsaris designatus in nummo perhibetur.
Hic nummus argenteus rarus est.

P. SEPVLIVS MACER. *Figura muliebris seminuda stans, dextra Victoriolam, læva hastam inversam.*
Mulier illa, Venus est Victrix, de qua Dio Cass. in Julio. *Venerem armatam annulo insculptam gestabat, eaque tessera in rebus summis plerumque utebatur.* Ut in pugna Pharsalica.
Hic nummus, quoad caput rarus est, quoad partem aversam tritus, & frequens.

Q. VOCONIVS VITVLVS. *Vitulus.*
Voconius Vitulus ad cognominis originem indicandam Vitulum in nummo signavit. Voconia gens erat plebeja in plures divisa familias; Voconii autem ex Aricino municipio in Urbem venere. Cicer. Philip. 13.
Hic nummus argenteus pro rarissimo habetur, & aureus eximiæ raritatis, & elegantiæ est.

Q. VOCONIVS VITVLVS Q. DESIGNATVS. *Vitulus.*
Voconius se Quæstorem a Cæsare designatum scribit in nummo, quod S. C. comprobatum notat, cum ille post Pompejum in Hispania victum minores auxisset magistratus, in quorum numero erat Quæstura, si quidem ea erat ad majores dignitates primus gradus.
Hic nummus argenteus anteriorem raritate superat.

DIVVS

DIVVS IVLIVS. *Caput Julii ſine laurea.*

IMP. CAES. TRAIAN. AVG. GER. DAC. P. P. REST. *Victoria ſtans bullam oſculari videtur, dextra caduceum alatum: pro pedibus, ſerpens.*


Trajanus hunc reſtituit Julii Cæſaris nummum cum Victoriæ typo, ad deſignandas illius victorias, felicitate per caduceum, & prudentia per ſerpentem, partas: Victoria bullam, in qua, ut plurimum, erat ſignata Principis effigies, deoſculari videtur.

Hic nummus aureus rariſſimus eſt.

Eadem epigraphe. Figura muliebris nuda ſtans, dextra galeam, ſiniſtro cubito columnæ innixo, haſtam inverſam geſtat: pro pedibus, clypeus.

Veneris etiam Victricis typus a Trajano in Julii Cæſaris nummis reſtitutus eſt, cum ille ſe ab ea originem habere prædicaret, de qua ſupra dictum eſt.

Hic nummus aureus rariſſimus eſt.



M. LE-



M. LEPIDI nummi ex argento rari habentur, ex auro eximiæ ſunt ſingularitatis, & elegantiæ.


M. LEPIDVS PONT. MAX. III. VIR. R. P. C. *Caput Lepidi.*
C. CAESAR IMP. III. VIR. R. P. C. *Caput Auguſti.*
M. Lepidus poſt mortem Julii Cæſaris a M. Antonio in defuncti locum anno 710. Pontifex Maximus conſtitutus eſt: at inter eos & Auguſtum Triumviratus junctus eſt, & Lepidi effigies cum Auguſto in eadem moneta, ad indicandam eorum concordiam percuſſa eſt.
Hic nummus argenteus rarus eſt.

L. MVSSIDIVS T. F. LONGVS IIII. VIR. A. P. F. *Mars nudus, & galeatus ſtans, pede ſiniſtro clypeo impoſito, dextra haſtam, ſiniſtra flagrum, ſeu ſcuticam.*
Muſſidius Longus IIII. vir a Julio conſtitutus, eo mortuo, ſub triumviratu in nummis Lepidi Martem Ultorem, ut in Antonio, & Auguſto ſignavit, ob votum pro morte Julii Cæſaris ulciſcenda ab iis factum.
Hic nummus ex argento, & auro ſingularis elegantiæ, & raritatis eſt.

REGVLVS IIII. VIR. *Figura muliebris ſtans, dextra pateram, ſiniſtra haſtam gerit.*
Livinejus Regulus IIII. vir a Julio factus ſub Triumviratu in averſa parte nummi Lepidi concordiam ſignavit, ad ſummam inter alios Triumviros ὁμόνοιαν denotandam.
Hic nummus aureus eximiæ raritatis eſt, & præſtantiæ.

Duo ultimi nummi in prima editione deſcripti, non Lepidi, ſed M. Antonii ſunt.

M. AN-



M. ANTONII nummi ex argento frequentes sunt; ex auro inter rariores collocantur.

M. ANT. IMP. AVG. III. VIR. R. P. C. M. BARBAT. Q. P. *Caput M. Antonii.*

L. ANTONIVS COS. *Caput L. Antonii fratris M. Triumviri.* M. Antonius fratrem habuit L. Antonium Consulem cum P. Servilio Vatia II. an. 713. quem in nummis, ob pietatem erga fratrem, simul sociavit M. Valerius Birbatus Antonii Quæstor provincialis. Hic tandem a Marco dimissus est. Ap. Appianum lib. 5. Bel. Civ. *Hic nummus argenteus e rariorum numero est.*

M. ANT. IMP. AVG. III. VIR. R. P. C. M. NERVA PROQ. P. *Id est Marcus Antonius Imperator, Augur, Triumvir Reipublicæ constituendæ. Marcus Nerva Proquæstor provincialis. Caput M. Antonii.*

L. ANTONIVS COS. *Caput L. Antonii fratris.* Superiorem nummum cudit M. Barbatus M. Antonii Quæstor provincialis, hunc M. Coccejus Nerva Proquæstor: illi Quæstores, & Proquæstores pecuniam pro stipendiis legionum administrabant, imo & nummos cudere curabant: Proquæstor autem, mortuo, aut decedente ex Provincia Quæstore, id gerebat. *Hic nummus argenteus inter rariores computandus.*

ANTONIVS AVG. IMP. III. *In area nummi.* M. Antonius Imperator III. appellatus est, cum Ventidius ejus lega-

gatus Labienum, & Parthos profligasset an. 719. in cujus memoriam cusus est ille nummus.
Hic nummus argenteus rarus est.

M. ANTONIVS III. VIR. R. P. C. *Caput radiatum.*
Caput illud radiatum Solis est, quem eundem cum Osiride scribunt Herodotus, Diodorus, & alii: ideo eum Monetarii cum M. Antonio sociarunt, quum ille se Osirim appellaret: apud Dionem lib. 50.
Hic nummus ex argento non obvius est.

M. ANTONIVS M. F. *Caput Antonii Triumviri filii.*
M. Antonius quum ex Fulvia filium majorem M. Antonium, posita prætexta, togam virilem sumere cum Cæsarione, & eos Reges, regnique hæredes salutari jussisset, illum ideo in nummo secum signari curavit. Vide Seguin.
Hic nummus aureus a Petr. Seguino vulgatus, eximiæ raritatis, & elegantiæ est, sed non unicus.

M. ANTON. IMP. AVG. III. VIR. R. P. C. *Caput M. Antonii.*
C. CAESAR IMP. PONT. III. VIR. R. P. C. *Caput Augusti.*
Augustus sub nomine Caji Cæsaris ex altera parte nummi M. Antonii signatur ad arguendam cum eo in triumviratu concordiam.
Hic nummus argenteus rarus est, aureus inter rariores habendus. Diversi sunt typi, & epigraphæ.

CAESAR DIC. *Caput Julii laureatum, pone quod vas.*
Vas pone Julii Cæsaris caput, ad notandum illius summum Pontificatum, signatur, ut lituus pone caput M. Antonii, ad ipsius Auguratum arguendum: vas autem illud videtur esse præfericulum, quo utebatur Pontifex maximus in sacrario Opis Consivæ, cui illuc tantum cum Vestalibus aditus erat permissus.
Hic nummus ex argento pro raro notatur: ex auro inter rariores numerandus.

CAESAR IMP. *Caduceus alatus.*
In monumentum pacis cum Augusto an. 714. Fulvia Antonii uxore mortua, compositæ, cujus symbolum est caduceus: imo & in aliis nummis, duæ dexteræ caduceum complectuntur ad concordiam eorum indicandam.
Hic nummus argenteus rarus est.

M. ANT. IMP. AVG. III. VIR. R. P. C. L. GELL. Q. P. *Caput M. Antonii, pone quod vas.*

CAESAR IMP. PON. COS. III. VIR. R. P. C. *Caput Augusti, pone quod lituus.*

Gellius Publicola M. Antonii Quæstor provincialis, Augusti caput, ad eorum concordiam indicandam, signari jussit. Consulatum gessit cum Coccejo Nerva an. 718. Bello Actiaco Antonianarum partium dux dextrum cornu tenuit anno 723.

Hic nummus argenteus pro raro habendus.

M. ANT. IMP. III. VIR. R. P. C. *Caduceus alatus inter duo cornuacopiæ, in imo globus.*

Quum Antonius, & Augustus an. 714. mortua Fulvia pacem inter se composuissent, imperium divisere: de quo Dio l. 48. *Hæc tum denuo imperii divisio facta, bellique contra Sex. Pompejum societas inter Cæsarem, & Antonium inita.* Unde globus imperium denotat; caduceus pacem; hinc & inde cornucopiæ, ex quibus abundantiam.

Hic nummus argenteus rarus est.

P. CLODIVS M. F. IIII. VIR. *Figura Martis nuda, & galeata stans, dextra hastam, læva parazonium.*

Clodius IIII. vir a Julio Cæsare factus in III. virorum nummis Martem Ultorem signavit ad indicandum de ulciscenda illius morte inter eos initum consilium.

Hic nummus aureus rarissimus est.

P. CLODIVS M. F. IIII. VIR. A. P. F. *Figura nuda radiata stans, dextra caduceum, sinistra palladium, pede supra globum: prope Aquila, a sinistris clypeus, pone humeros clava.*

Has notas A. P. F. interpretantur Antiquarii *Auro publico feriundo*, quod maxime convenit aureæ monetæ, quum Clodius esset ex numero IIII. virorum monetæ cudendæ. Quæ sit illa figura, & symbola adjacentia, dijudicent eruditi.

Hic nummus ex auro rarissimus est.

CLEOPATRAE REGINAE REGVM FILIORVM REGVM. *Caput Cleopatræ, ante quod prora navis.*

Cleo-

Cleopatra titulis honoratur, quos Antonius concione apud Alexandrinos habita an. 720. illi conceſſit, poſtquam Julium ejus ex Cæſare filium, Regem Regum vocaſſet, & Ptolemæo ejus ex ſe filio, Armeniæ regnum donaſſet.
Hic nummus argenteus inter rariores habetur.

IMP. CN. DOMIT. AHENOBARBVS IMP. *Prora navis, in vertice aſtrum.*
Domitius Ænobarbus claſſem a Bruto, & Caſſio ſibi commiſſam poſt eorum mortem M. Antonio commiſit, unde prora in ejus nummis, & aſtrum, forſan Julii, ut eorum partes, qui illius mortem ulciſcerentur, ſe ſequi tunc indicaret: M. Antonius ei filiam deſpondit.
Hic nummus argenteus rarus eſt.

IMP. TER. *Trophæum, in imo duo clypei, & duo tela, in aliis, clypeus, & prora navis.*
Trophæum illud ad Armeniacam victoriam ſpectat, quum Antonius de Artavaſde Armeniæ rege capto, Alexandriæ triumphavit: unde prora ad imum trophæi, ut eum maris dominum denotet, quod ſymbolum Cleopatra in nummis ſignabat, quum ille tiaram pone caput ſuum, Armeniæ inſigne poneret.
Hic nummus argenteus rarus eſt.

IMP. TERTIO III. VIR. R. P. C. *Tiara Parthica cum telo.*
Tiara, ſeu cidaris monimentum eſt Armeniæ regni ab Antonio ſubacti; ea autem utebantur pro capitis inſigni ejus reges. Tigranes Artavaſdis hujus ab Antonio capti pater, ad Pompeji pedes eam adpoſuit.
Hic nummus argenteus rarus eſt.

ANTONIVS M. F. M. N. AVGVR. IMP. TER. *Antonius ſtans velatus habitu augurali, dextra lituum gerit.*
III. VIR. R. P. C. COS. DESIG. ITER. ET TER. *Caput Solis radiatum.*
M. Antonius ſtat augurali habitu veſtitus, quod commendatione Julii Cæſaris impetravit poſt Tribunatum plebis. In altera parte caput Solis, ſeu Oſiridis, qui idem eſt apud Diodorum: Antonius autem Oſiridem ſe ſcribebat, ac fingebat, teſte Dione.
Hic nummus ex argento frequens, ex auro rariſſimus eſt.

III. VIR. R. P. C. *Caput Solis in templo distylo.*

Templum est Solis, vel Osiridis ab Antonio Alexandriæ erectum, in quo erat ejus imago corona radiata insignis, ut repræsentatur in Antonii nummis: templum non adeo magnificum fuisse testantur duæ tantum pro ejus fronte columnæ.

Hic nummus argenteus obvius est, ex auro rarissimus.

Eadem epigraphe. Caput Cleopatræ cistæ impositum, in medio duorum serpentum.

In aversa parte M. Antonii cusum est ab Asiæ populis caput Cleopatræ cistæ impositum, unde nummi illi maximi, cistophori erant dicti: cista hæc ad Bacchi mysteria spectat; hinc M. Antonii caput, qui se Bacchum appellabat, in corona hederacea positum est. Angues insignia sunt Asiæ minoris, ut fidem facit Augusti nummus cum iis, & epigraphe *Asia recepta.*

Hic nummus argenteus maximi moduli rarissimus est.

Eadem epigraphe, cum capitibus M. Antonii, & Cleopatræ jugatis in parte antica.

Bacchus muliebri habitu dextra cantharum, sinistra thyrsum, stans supra cistam, hinc & illinc serpens.

Nummus hic tetradrachmus appellatur cistophorus: de illis meminit Livius in triumpho, quem egit Man. Acilius de Antiocho Syriæ Rege: *Prælata sunt in eo argenti infecti tria millia pondo: signati tetragmum Atticum* 113. *millia: cistophorum* 242. Bacchus insistit cistæ, in qua ipsius arcana erant recondita: angues ex ipsis mysteriis desumpti sunt.

Hic nummus argenteus maximi moduli elegantia, & singularitate anteriorem superat.

L. MVSSIDIVS T. F. LONGVS IIII. VIR. A. P. F. *Figura virilis nuda, & galeata stans, dextra hastam, sinistra flagrum: pede clypeo imposito.*

Mussidius Longus IIII. vir a Julio Cæsare factus sub triumviratu in Lepido, Augusto, & Antonio, Martem Ultorem signavit ad indicandam eorum de morte Julii Cæsaris ulciscenda societatem.

Hic nummus ex auro rarissimus est.

PIE-

PIETAS COS. *Figura muliebris stolata stans, dextra temonem transversum, læva cornucopiæ: pro pedibus ciconia.*
Pietas, cognomen est L. Antonii fratris M. Antonii Triumviri, quod Consulatum gerens anno 713. in bello Perusino adsumpsit, quum diceret se illud in gratiam fratris absentis suscepisse, teste Dione.
Hic nummus aureus rarior argenteo est.

PIETAS COS. *Figura muliebris stolata stans, dextra lampadem accensam, læva cornucopiæ, cui insistunt duæ ciconiæ.*
Pietatis Deæ effigies in hoc, & in superiore nummo M. Antonii, in memoriam cognominis L. Antonii fratris, quod pietate erga eum in bello Perusino acceperat. Pietatis templum erat in circo Flaminio, teste Julio Obsequente. Ciconia Pietatis symbolum est.
Hic nummus aureus, & argenteus ejusdem est raritatis, & elegantiæ, ac superior.

L. REGVLVS IIII. VIR. A. P. F. *Figura virilis nuda insidens rupibus, dextra hastam, sinistra innixa clypeo, in quo caput Herculis.*
L. Livinejus Regulus IIII. vir a Julio Cæsare factus, in hoc Antonii nummo, ut ipsi gratularetur, Anteonem Herculis filium Romæ montibus insidentem expressit, læva clypeo insistit, in quo visitur caput Herculis pelle leonina ornatum, a quo Antonius gentis originem referebat. *Ipse etiam videbatur Herculis imaginibus, picturisque persimilem aspectum habere*. Plutarch.
Hic nummus aureus eximiæ raritatis est.

Caput M. Antonii, Auguris more velatum, ante quod lituus hujus sacerdotii symbolum, pone illud, vas præfericulum.
P. SEPVLIVS MACER. *Figura in equo decurrens, altera ad latus, dextra flagrum.*
Hæc decursio equestris spectat ad ludos, quos Triumviri pro bello contra Cæsaris percussores voverant, exeunte an. 714. factos: quorum memoriam Sepulius Macer consignavit in nummo M. Antonii, ideo velati, quod quum VII. viri tunc abessent, eorum munus Pontifices obierint.
Hic nummus argenteus ab Ursino, & ejus sequacibus pro Lepido existimatus, ad M. Antonium spectat, ut probati Antiquarii agnoverunt, & inter elegantiores recensetur.

M. SILANVS AVG. Q. PROCOS. *In area nummi.*
M. Junius Silanus Augur, Julii Cæsaris in Gallia legatus, post ejus cædem Lepido adhæsit; deinde ad Antonium se contulit, cujus Quæstor in hoc nummo inscribitur, & quidem *Procos.* id est, qui provinciam cum Proconsulari potestate administravit, quum Antonius in ea non esset. Ejus partes tandem deseruit ob Cleopatram.
Hic nummus argenteus nec rarus, nec obvius est.

SOSIVS IMP. *Trophæum, in imo hinc, & inde captivus manibus post terga revinctis.*
C. Sosius Quæstor fuit M. Lepidi Prætorius, in bello civili Julii partes sequutus est: post hujus cædem Antonio adhæsit, a quo Syriæ, & Ciliciæ administrationem post Ventidium accepit: Antigonum Jerosolymis expugnatis cepit, inde Imperator dictus, & trophæum cum captivis in nummo: de Judæa an. 717. triumphavit.
Hic nummus argenteus eximiæ raritatis est.

D. TVR. *Victoria gradiens, dextra coronam, sinistra palmam.*
M. Antonius III. in hoc nummo dicitur Imp. IIII. & Consul III. Consulatum Alexandriæ suscepit an. 723. ubi cusus hic nummus fuit cum Victoria, & Imperatoris IIII. titulo, in Victoriæ augurium, nam ut ait Dio: *Victoriam quidem sibi certam promiserat.*
Hic nummus argenteus inter rariores habendus.

Caput Antonii sine inscriptione, olim Lepido adscriptum.
C. VIBIVS VARVS. *Figura muliebris stolata stans, dextra Victoriam, sinistra cornucopiæ gerit.*
C. Vibius Varus M. Antonio, & Augusto nummos cudit sine eorum nominum inscriptione, ideo a Fulvio Ursino hic M. Lepido nescio qua ratione adscriptus est, quum hujus macilenta sit facies, & Antonii plurimum venusta. Concordia Victoriam gerens, nummum post pugnam Philippensem cusum fuisse denotat.
Hic nummus argenteus inter elegantiores recensetur.

P. VENTI. PONT. IMP. *Figura virilis nuda stans, dextra hastam, sinistra pateram.*
A Ventidio Antonii legato cusus est nummus, quum ille Imp. II. ob Victoriam ab eo de Parthis relatam, esset appellatus: Ventidius au-

autem Imperator etiam ob id vocatus, quum jam eodem anno Prætor, Consul, & Pontifex exeunte anno 711. Syriæ, ac Ciliciæ ab eo præfectus est an. 716.
Hic nummus eximiæ singularitatis, & elegantiæ est.

Sine epigraphe. Arcus, & spicula in pharetra, quam gyris complectitur hinc, & inde serpens.
Nummus est tetradrachmus, vulgo Cistophorus dictus, in Asia minori ad Antonii honorem cusus, sine epigraphe. In aversa parte pharetra, arcus, & spicula sunt arma, quibus utuntur Asiani; serpentes Asiæ sunt insignia.
Hic nummus argenteus maximæ formæ rarissimus est.

ΑΝΤΩΝΙΟΣ ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ ΤΡΙΤΟΝ ΤΡΙΩΝ ΑΝΔΡΩΝ. *Caput M. Antonii.*
ΒΑΣΙΛΙΣΣΑ ΚΛΕΟΠΑΤΡΑ ΘΕΑ ΝΕΩΤΕΡΑ. *Caput Cleopatræ.*
Cleopatra Dea nova dicitur, & ut Antonius Διονυσος νεος apud Plutarchum, sic nova Isis appellata est, de qua Dio lib. 50. τὴν δ' ἄνθρωπον ἐκείνην κατάπερ ᾆ τινὰ Ἶσιν Σελήνην προσκυνοῦντα. *Mulierem istam pro Iside, vel Luna adorare.*
Hic nummus argenteus maximi moduli singularis elegantiæ, & raritatis est.

M. ΑΝΤΩΝΙΟΣ ΑΥΤ. ΤΡΙΤΟΝ ΤΡΙΩΝ ΑΝΔΡΩΝ. *Caput M. Antonii.*
ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΠΟΛΕΜΩΝΟΣ. *Caput diadematum Polemonis Zenonis F. & Ponti, & Bosphori Regis.*
Polemo hic est Zenonis filius, quem Antonius post pugnam Philippensem Ponti regno donavit, a quo postea Armeniam minorem recepit. Bello Actiaco militavit Antonio, brevi post Cæsari reconciliatus, Bosphori etiam regnum ab eo accepit.
Hic nummus ex argento eximiæ raritatis, & elegantiæ est: ab erud. Patino vulgatus in Suetonio.



AUGUSTI nummi ex auro, & argento vulgares ſunt, & triti.

CAESAR DIVI F. *Caput Octaviani Cæſaris.*
AEGYPTO CAPTA. *Crocodilus.*
In memoriam captæ Ægypti an. V. C. 724. menſe ſextili, qui ob id dictus eſt *Auguſtus.*
Hic nummus argenteus rarus eſt, ſed ex auro rariſſimus cum hac epigraphe IMP. CAES. TRAIAN. AVG. DAC. P. P. REST.

ARMENIA CAPTA. *Victoria domans taurum.*
Ob Tigranem Armeniæ majoris regem ab Auguſto conſtitutum anno V. C. 734. proptereaque ſacrificia ei decreta ſunt ex Dione lib. 53. pag. 526.
Hic nummus aureus inter rariores collocandus.

Eadem epigraphe. Arcus, & pharetra.
Arma, quibus utuntur Armenii, hìc tanquam eorum ſpolia ſunt adpoſita.
Hic nummus argenteus pro raro numeratur.

ARMENIA CAPTA CAESAR DIVI F. *Figura muliebris cum tiara Armeniaca in capite, genuflexa manus elevat.*
Armenia ſupplex interfecto rege ſuo, alterum illius principis fratrem ab Auguſto ex Ægypto Romam abductum poſcit.
Hic nummus argenteus pro raro computandus.

AR-

ARMENIA RECEP. IMP. CAESAR DIVI F. *Figura vestitu Armeniaco dextra hastam, læva clypeo imposita.*
Armenia in potestatem Romanorum per Artaxiæ mortem recepta, cui Augustus regem dedit.
Hic nummus ex argento inter rariores adscribitur.

HISPANIA. *Figura muliebris tunicata stans, dextra spicas, læva cornucopiæ, & duo tela.*
Ob pacatam Hispaniam anno v. c. 732.
Hic nummus aureus elegans, & rarus est.

M. AGRIPPA COS. DESIG. *In area nummi.*
Quod M. Agrippa an. 716. designatus esset in annum sequentem cum L. Caninio Gallo.
Hic nummus argenteus pro raro numerandus est.

CAESAR AVGVSTVS. *Caput Augusti nudum.*
M. AGRIPPA. *Caput Agrippæ.* PLATORINVS III. VIR.
Hinc Augustus, inde Agrippa in eodem nummo cusi sunt a Platorino Triumviro, quod ambo essent Consules anno v. c. 727. & eodem, Cæsar Augusti nomen, & Tr. potestatem acceperit.
Hic nummus ex argento rarissimus est.

C. ANTIST. REGINVS III. VIR. *Simpulum, lituus, tripus, & patera.*
Quum Augustus Pontificatum maximum mortuo Lepido anno v. c. 740. accepisset; in nummo enim *Augustus Cæsar* vocatur.
Hic nummus argenteus inter raros collocatur.

C. ANTIST. VETVS III. VIR. FOEDVS P.R. CVM GABIN. *Duo viri stantes togati dextras jungunt super aram, sub qua porca occisa, immolanda est.*
Typus hic in memoriam patriæ ab Antistio triumviro signatus, quum Antistii cognomine Veteres, ex Gabiis urbe Latii essent oriundi.
Hic nummus argenteus eximiæ raritatis, & elegantiæ est.

C. ANTIST. VETVS III. VIR. ACTIO APOLLINI. *Apollo muliebri ornatu stans, dextra pateram super aram ignitam, læva citharam gerit.*

In memoriam victoriæ Actiacæ, quum Augustus aram Apollini in loco, in quo castra metatus erat, consecrasset.
Hic nummus argenteus rarissimus est, ac præstantissimus.

ANTONIVS IMP. *Duæ dextræ caduceum tenentes.*
Ob pacem inter Augustum, & Antonium initam.
Hic nummus argenteus pro raro computatur.

ANTONIVS IMP. *Caput M. Antonii Triumviri.*
Ad concordiam Augusti cum Antonio indicandam.
Hic nummus aureus rarior est argenteo.

M. ANT. IMP. AVG. III. VIR. R. P. C. L. GELL. Q. P. *Caput M. Antonii.*
L. Gellius Quæstor Provincialis Antonii nummum cudit ad denotandam illius cum Augusto in triumviratu societatem.
Hic nummus argenteus cum hoc nomine GELL. *rarus est, cum* BARBATVS Q. P. *obvius est.*

L. AQVILIVS FLORVS III. VIR. *Flos.*
Alludit ad nomen, ut denotet antiquitatem a Flore desumptam, nam C. Aquilius Florus Quæstor militaris perhibetur anno V. C. 423.
Hic nummus argenteus inter præstantiores numeratur.

L. AQVILIVS FLORVS III. VIR. SICIL. *Figura militaris galeata, & paludata stans, dextra servum seminudum proculcat, læva clypeum gerit.*
Aquilius nummum cudit, in quo memoriam avi sui Manii Aquilii Flori renovat, qui Procos. Siciliæ bellum servile confecit anno V. C. 654.
Hic nummus argenteus inter elegantissimos reponitur.

L. AQVILIVS FLORVS III. VIR. *Tria crura cum capite Medusæ.*
Hæc triquetra Siciliæ symbolum est, quod cudi curavit Aquilius in memoriam avorum suorum Caji, & Manii Siciliæ Proconsulum.
Hic nummus aureus raritatis eximiæ est.

L. AQVI-

L. AQVILIVS FLORVS III. VIR. *Scorpio.*
Scorpio Africæ ſymbolum, in nummo adpoſitum eſt ab Aquilio Floro in memoriam proavi C. Aquilii Flori, qui de Pœnis triumphum egit anno v. c. 494.
Hic nummus argenteus eximiæ raritatis eſt.

BALBVS PROPR. *Clava inverſa.*
L. Cornelius Balbus Gaditanus, Proprætor clavam Herculis percuſſit ad indicandam originem ſuam a Gadibus urbe, apud quam ſummopere Deus ille colebatur.
Hic nummus argenteus pro raro habetur.

L. CANINIVS GALLVS III. VIR. *Figura Parthi genuflexa, dextra ſignum militare elevat.*
Quod Phraates Parthorum rex anno v. c. 734. ſigna militaria ſub Craſſo, & Antonio capta Auguſto remiſerit.
Hic nummus argenteus inter raros collocatur.

L. CANINIVS GALLVS III. VIR. *Cippus, in quo* C. C. AVGVSTI.
Ob 200. hominum millia, quibus frumentum publicum conceſſit Auguſtus anno v. c. 748. Ex Dione 554. *Ceterum Auguſtus multitudinem eorum, qui frumentum ex publico accipiebant, ad hominum* C. C. *millia redegit.*
Hic nummus argenteus eximiæ ſingularitatis eſt.

L. CANINIVS GALLVS. AVGVSTVS TR. POT. *Prætorium tabernaculum cum haſta.*
Ad oppidi cujuſdam oppugnationem denotandam ex Fulvio Urſino pag. 61.
Hic nummus argenteus rariſſimus eſt.

P. CARISIVS LEG. PROPR. *Trophæum inter ſcuta, & haſtas.*
Aſturibus, ac Cantabris in Hiſpania a P. Cariſio Auguſti Proprætore domitis.
Hic nummus argenteus rarus eſt, & elegans.

Eadem epigraphe. Haſta, clypeus, & gladius.
Arma, quibus Hiſpani utebantur.
Hic nummus ex argento rarior eſt ſuperiore.

C 2 *Eadem*

Eadem epigraphe. Victoria coronans trophæum.
Quod confecto bello Hispanico, trophæum in loco altissimo sit impositum.
Hic nummus nec obvius, nec rarus est.

Eadem epigraphe. Porta urbis, in cujus frontispicio: EMERITA.
Augustus bello confecto urbem in Lusitania Emeritam condidit anno V. C. 729. in qua milites emeritos locavit, unde illi nomen.
Hic nummus argenteus inter rariores reponitur.

Eadem epigraphe. Persona, aliis *buccula, pugio, & quid aliud.*
Qui personam putant, ad ludos scenicos referunt, persona enim ad comœdiam attinet. Qui bucculam galeæ, Hispanorum arma, pro Victoria Cantabrica contendunt.
Hic nummus ex argento singularis est elegantiæ, & raritatis.

P. CLODIVS M. F. *Figura Martis galeata nuda stans:* in aliis *paludata, dextra hastam, læva caduceum gerit.*
Ob votum Marti Ultori ab Augusto in prælio Philippensi pro ultione paterna factum.
Hic nummus argenteus inter elegantissimos numeratur.

Eadem epigraphe. Bacchus muliebri ornatu stans, dextra racemum, sinistra thyrsum.
Clodius Bacchum in gratiam M. Antonii, cujus erat etiam triumvir monetalis, percussit; quia ille genus ad hunc referebat.
Hic nummus ex argento eximiæ raritatis est, & elegantiæ.

COSSVS CN. F. LENTVLVS. *Equestris statua dextra trophæum gerit.*
Statua est A. Corn. Cossi, qui propria manu Tolumnium Vejentium regem occidit, & ejus spolia Jovi Feretrio tulit, cujus ædes Augustus restituit.
Hic nummus argenteus inter rariores scribitur, sed rarissimus est cum epigraphe IMP. CAES. TRAIAN. AVG. GER. DAC. P. P. REST.

COSSVS LENTVLVS. M. AGRIPPA COS. TERT. *Caput M. Agrippæ corona rostrata insignitum.*

Quod

Quod Augustus Agrippæ Tribunitiam potestatem communicasset, quum hic Consulatum ageret cum Cosso Lentulo an. V. C. 736.
Hic nummus ex argento rarissimus est, sed a Trajano restitutus eximiæ raritatis, & elegantiæ habendus.

M. DVRMIVS III. VIR. *Aper spiculo transfixus.*
In memoriam ludorum Sæcularium in Dianæ honorem celebratorum, cui aper dicatus, ut arguunt Ἐφεσίων nummi, in quibus idem aper telo transfixus.
Hic nummus argenteus inter rariores computatur.

Eadem epigraphe. Leo discerpens Cervum.
Pugna Leonis cum Cervo ad ludos eosdem spectat.
Hic nummus ex argento ejusdem raritatis est, ac superior.

Eadem epigraphe. Taurus coronatur a Victoria per aera volitante.
Sacrum ob aliquam Augusti victoriam peractum denotat.
Hic nummus argenteus eximiæ raritatis, & singularitatis est.

Eadem epigraphe. Pagurus papilionem volantem acetabulis apprehendens.
In memoriam sententiæ ab Augusto sæpius prolatæ: *Festina lente.*
Hic nummus aureus inter elegantiores adnumeratur.

LENTVLVS SPINT. *Lituus, & præfericulum.*
Lentulus ille, Spinter cognominatus, Auguratus instrumenta adposuit ad suum indicandum sacerdotium: vide Dionem pag. 99. Consul fuit anno V. C. 751.
Hic nummus ex argento inter præstantiores habendus est.

L. LENTVLVS FLAMEN MARTIALIS. *Duæ figuræ stantes, altera seminuda dextra Victoriolam gerit, sinistra hastam puram, altera major togata, dextra extensa astrum Martis, sinistra clypeo imposita, in quo* C. V. *id est*: clypeus votivus.
L. Cornelius Lentulus Flamen Martialis fuit, ut & ipsius pater. Adstat habitu sacerdotis prope Martis simulachrum, dextra super ejus caput Martis sidus manu tenet, læva innititur clypeo votivo: idque ad indicandum sacerdotium.
Hic nummus argenteus in elegantiorum numero scribitur.

L. LI-

L. LIVINEIVS REGVLVS. *Victoria gradiens, dextra protensa coronam gerit, sinistra palmam.*
Ob victoriam Philippensem, quum Cæsar in nummo III. VIR R. P. C. adhuc appelletur; ab eodem Augusto Livinejus postea motus est. Dio lib. 54.
Hic nummus ex argento inter rariores reponendus est.

C. MARIVS TRO. III. VIR. *Capita Caji, & Lucii Cæsarum, Julia eorum matre intermedia. Non autem Triumvirorum capita, ut hactenus creditum est.*
C. Marius omnem Augusti familiam in hoc nummo percussit, matrem nempe, & filios, ipsam Agrippæ conjugem, hos vero ab Augusto adoptatos.
Hic nummus argenteus eximiæ raritatis est, & elegantiæ.

Eadem epigraphe. Caput Dianæ, pone quod arcus.
Caput Juliæ Augusti filiæ sub Dianæ effigie, quum hæc esset Jovis filia, & Augustus pro Jove ab adulatoribus haberetur.
Hic nummus ex argento inter rarissimos, & elegantissimos collocatur.

C. MARIVS C. F. TRO. III. VIR. *Figura virilis prætexta induta, dextra simpulum, sinistra lituum gerit.*
L. Cæsar Agrippæ filius ab Augusto adoptatus in Augurum collegium cooptatus est: lituus autem Auguris est symbolum.
Vox, *Tro.* constanter legitur, non, *Pro.* quam Protriumvir, interpretabantur: sed cognomen est hujus Marii, qui videtur *Trogi* cognomen habuisse, Pompeiis, Quintiis, & Sauffeiis commune.
Hic nummus argenteus in rariorum numero describendus est.

Eadem epigraphe. Duæ Senatorum figuræ, quorum capita videntur turribus insignita, ut vulgo Cybele depingitur, dextra scipionem, sinistra chartam involutam gerunt: pro cujusque pedibus, modius.
Duo illi Senatores videntur esse Triumviri deducendæ coloniæ, ut apud Fulvium Ursinum C. Marius Capito perhibetur: quare turribus cincta habere videntur capita: Decempeda, est ad terram metiendam; charta involuta, deductionis coloniæ Senatusconsultum; modius Tritici plenus, pro terræ uniuscujusque semine.
Hic nummus ex argento inter rariores collocatur.

Eadem

Eadem epigraphe. Quadrigæ triumphales, ſupra quas palmæ ramus. Monumentum triumphi M. Agrippæ ab Auguſto decreti an.v.c.734. quem moderatione recuſavit. Ideo palmæ ramus, triumphantis loco poſitus: Auguſtus enim poſtquam Auguſti nomen accepit, nullum triumphum egit.

Hic nummus argenteus pro raro habendus eſt.

L. MESCINIVS RVFVS III. VIR. *Mars galeatus ſuper cippum, in quo* S. P. Q. R. V. S. P. RED. CAES. *Dextra haſtam gerit.* Senatus, Populuſque Romanus votum ſolvit, quum Valerius Meſſala ex Kal. Juliis an. v. c. 725. Conſul ſuffectus, primo magiſtratus die Marti votum feciſſet, ut victor rediret Cæſar.

Hic nummus ex argento rarus eſt, & elegans.

CAES. AVG. CONS. S. C. OB R. P. CONS. *id eſt:* Cæſari Auguſto conſecrata Senatuſconſulto ob rem publicam conſervatam. *Subauditur ſtatua, cujus caput directa fronte videtur in laurea.*

L. MESCINIVS RVFVS III. VIR. *Mars ſupra baſim cum haſta, & parazonio. In ea* S. P. Q. R. V. S. P. S. ET R. AVG. *id eſt,* Senatus, Populuſque Romanus votum ſolvit pro ſalute, & reditu Auguſti.

Quum Auguſtus Tarracone ægrotaſſet an. 729. Romam rediit anno ſequente, & votis ſolutis, nummus in rei memoriam cuſus eſt.

Hic nummus ex argento eximiæ raritatis, & elegantiæ eſt.

L. MESCINIVS RVFVS III. VIR. *Cippus in quo:* IMP. CAES. AVG. LVD. SAEC. *In area, hinc* XV. *inde* S. F. *id eſt:* Cæſar Auguſtus ludos ſæculares, *ſubauditur*, fecit, Quindecimvir ſacris faciundis.

Auguſtus ludos ſæculares reſtituit an. v. c. 737. quum ipſe eſſet Quindecimvir ſacris faciundis; unde memoria in cippo, ut in Domitiani, & Philippi nummis.

Hic nummus argenteus inter rariores numerandus eſt.

L. MVSSIDIVS T. F. LONGVS IIII. VIR. A. P. F. *Mars galeatus ſtans lævo pede clypeo impoſito, dextra haſtam, ſiniſtra flagrum, ſeu ſcuticam.*

Mars in omnibus Triumvirorum nummis percuſſus eſt, ob votum Marti

Marti Ultori pro ultione cædis Julii Cæsaris ab illis susceptum. Literas, A. P. F. interpretari solent, *Auro publico feriundo*.
Hic nummus ex auro rarissimus est.

P. PETRONIVS III. VIR. *Figura nuda humi desidens super strophium, dextra super genua, sinistra caput sustentat*.
Figura Provinciæ ab Augusto subactæ, mœsta, ac lugens.
Hic nummus argenteus eximiæ raritatis est, & elegantiæ.

P. PETRON. TVRPILIAN. III. VIR. *Pegasus cum alis*.
Pegasus, Corinthi coloniæ symbolum, cusus a Petronio videtur, ob colonos iterum in Urbem ab Augusto transmissos.
Hic nummus ex argento rarus est.

Eadem epigraphe. Siren dextra tubam inflat, sinistra femori admota.
Cumas coloniam ab Augusto deductam arguit Siren in nummo cælata. Parthenopes autem Sirenis corpus, Cumis sepultum fuisse dicitur.
Hic nummus argenteus singularis elegantiæ, & raritatis est.

TVRPILIANVS III. VIR. *Crescens Luna, in cujus medio astrum*.
Ad Byzantium spectat, cujus crescens Luna symbolum est. Tacitus id innuere videtur, dum ait lib. An. XIII. de Byzantio: *Mox recentia in Cæsares merita*.
Hic nummus ex argento non obvius est.

Eadem epigraphe. Mulier in acervo clypeorum pectore tenus, manus in altum attollit.
Tarpeja virgo clypeis obruta, ad indicandam gentem Petroniam e Sabinis ortam, illa enim, ab iis in eam conjectis scutis, necata est.
Hic nummus argenteus nec obvius, nec rarus est.

Eadem epigraphe. Cithara.
Hæc, Apollinis symbolum, ob templum ejus in monte Palatino ab Augusto extructum, a Turpiliano cælatur.
Hic nummus ex auro rarissimus est.

Q. SAL-

Q. SALVIUS IMP. COS. DESIG. *Fulmen alatum.*
Illud providentiæ ſymbolum ſignatur a Salvio, quod fuiſſet Conſul ab Auguſto deſignatus. Sed conſulatum non iniit, & necatus eſt, quum nova molitus eſſet.
Hic nummus argenteus non obvius eſt.

M. SANQUINIUS III. VIR. *Caput inſignitum laurea, cujus vertici ſtella eſt adjecta.*
Caput Caſtoris eſt, ob Circenſes ludos ab Auguſto celebratos, qui huic Deo dicati erant, ex Iſidoro.
Hic nummus ex argento rarus eſt, & elegans.

TI. SEMPRON. GRACCUS IIII. VIR. Q. DESIG. *Vexillum, aquila legionaria, aratrum, & decempeda.*
Hæc coloniæ conditæ ſymbola ſpectant ad Carthaginem, ad cujus deductionem avus Sempronii Gracchi deſtinatus fuerat olim Triumvir, & in quam Auguſtus colonos iterum an. 725. ex Dione, tranſmiſit.
Hic nummus argenteus inter rariores numeratur.

TI. SEMPRON. GRACCUS IIII. VIR. Q. D. *Fortuna ſtans dextra temonem, ſiniſtra cornucopiæ gerit.*
Ob votum Fortunæ reduci pro Auguſto ſuſceptum, & ſolutum.
Hic nummus ex auro eximiæ raritatis eſt, & elegantiæ.

AUGUSTUS DIVI F. *Statua Auguſti equeſtris.*
P. STOLO III. VIR. *Apex inter ancilia.*
Hæc Auguſti ſtatua menſe Martio, quum Salii ſolemnia celebrarent, videtur erecta.
Hic nummus argenteus inter rariſſimos computatur.

AUGUSTUS TR. POT. *Caput Auguſti nudum.*
Typus idem, ac ſuperior.
Ob tribunitiam poteſtatem ad v. Kal. Julii ab Auguſto in perpetuum acceptam: Ancilia ad ludos ſæculares refert Fulvius Urſinus.
Hic nummus argenteus potius inter raros, quam obvios collocandus eſt.

C. SVLPITIVS PLATORIN. III. VIR. *Duo viri togati in rostris sedentes.*

Hæc sunt nova rostra, dicta Julia, ab Agrippa in Augusti honorem facta, an. 726. quæ rostris ex Actiaca pugna ornavit, cum esset Consul II. cum Augusto VI.

Hic nummus argenteus inter elegantiores adscribendus est.

C. VIBIVS VARVS. *Minerva galeata, & tunicata stans, dextra hastam, læva Victoriolam: pro pedibus clypeus.*

Minerva Vibone oppido culta, in hoc nummo a Vibio Varo, ad suam ex ea urbe originem indicandam, cælata videtur. Dea Victoriam gerit, ob victoriam Philippensem, de qua dictum est in M. Antonio.

Hic nummus ex argento pro rarissimo habetur.

L. VINICIVS. *Arcus cum duabus fornicibus, in cujus peristylio* S. P. Q. R. IMP. CAES. *supra quadrigæ triumphales, hinc & inde figura cum hasta.*

Arcus hic in Augusti honorem erectus est, ob viam Flaminiam propriis sumptibus ab eo refectam, per quam transibant triumphantes; ideo supra eum quadrigæ, in quibus vehebantur.

Hic nummus argenteus inter rariores recensendus est.

AVGVSTVS TR. POT. VIII. *Caput Augusti.*

M. VINICIVS L. F. III. VIR. *Cippus in quo* S. P. Q. R. IMP. CAES. QVOD V. M. S. EX EA P. Q. I. AD A. DE. *id est, Senatus, Populusque Romanus Imperatori Cæsari, quod viæ munitæ sint ex ea pecunia, quam is ad ærarium detulit.*

Quum Augustus viarum reficiendarum curam ex manubiis triumphalibus, & ille Flaminiam suis sumptibus sternendam sumpsisset, anno 738. in quo Trib. pot. VIII. numerabat, perfectæ illæ videntur.

Hic nummus ex argento inter rariores, sed ex auro rarissimus, & elegantissimus est.

Statua equestris Augusti super basim, in qua S. P. Q. R. IMP. CAES. *ante portam urbis.*

L. VICINIVS L. F. III. VIR. *Cippus, ut supra.*

Eque-

Equestris statua Augusto posita ante portam Flaminiam, ob ejus viam Ariminum usque, propriis illius sumptibus refectam.
Hic nummus argenteus inter rarissimos reponitur..

ACT. *Apollo Actiacus muliebri habitu stans, dextra lyram gerit.*
Statua Apollinis in monte Palatino ab Augusto posita: de qua Propertius. Actius in longa carmina veste canit.
Hic nummus ex argento obvius, ex auro rarus est.

APOLLIN. *Templum sex columnarum, in cujus aditu Apollo cippo impositus, dextra pateram, læva lyram.*
Est Icon Templi supra descripti. Augustus autem se Apollinis filium existimabat, quod mense Augusto natus esset.
Hic nummus argenteus inter rarissimos habendus.

AVGVSTVS. *Ara.*
Ob Augusti reditum Fortunæ Reduci erecta est hæc ara.
Hic nummus argenteus ex solito modulo tritus est, sed ex maxima forma inter rariores adscribitur.

Eadem epigraphe. Sphinx.
Illud animal hic cælatum videtur in memoriam sigilli Augusti, in quo id erat expressum.
Hic nummus maximi moduli argenteus inter elegantiores numerandus est.

* *Eadem epigraphe, & typus.*
De Sphinge, Augusti sigillo hæc habet Svetonius in ejus vita c. 50. *In diplomatibus, libellisque, & epistolis signandis initio sphinge usus est; mox imagine magni Alexandri, novissime sua Dioscoridis manu sculpta.*
(1) *Hic nummus aureus ex solito modulo inter rariores reponendus est.*

Eadem epigraphe. Capricornus cum cornucopiæ.
Ob felices Augusti sub Capricorni sidere natales.
Hic nummus argenteus cum simili typo ex solita magnitudine obvius est, sed ex maximo modulo in rariorum numero collocatur.

(1) In Thesauro Austriaco Vindobonensi, olim PP. Carthusianorum Romæ.

AVGVSTVS TR. POT. *Statua equeſtris Auguſti.*

Statua equeſtris decreta eſt Auguſto a Senatu, quod viam Flaminiam ſumptibus ſuis reficiendam ſuſcepiſſet anno 731, quo Trib. poteſtatem in perpetuum accepit.

Hic nummus ex argento rarus eſt.

AVG. DIVI F. *Creſcens Luna, circa quam ſeptem triones. In area nummi* IMP. X.

Ob bellum Pannonicum feliciter ab Tiberio geſtum, Auguſtus Imperator X. appellatus eſt. An eo anno Auguſtus anni dies ordinaverit, ad quos ſpectare videntur hæc aſtra?

Hic nummus argenteus inter rariſſimos locandus eſt.

CAESAR AVGVSTVS. *Duo rami lauri.*

In memoriam duarum victoriarum anno 742. relatarum, alterius in Pannonia a Tiberio, alterius a Druſo ejus fratre in Germania.

Hic nummus ex argento tritus, ex auro rarus eſt.

CAESAR DIVI F. *Figura equeſtris Auguſti.*

Equo ovans in urbem invectus eſt Auguſtus, poſtquam ex Syria anno 735. rediiſſet, apud Dionem lib. 53.

Hic nummus argenteus rarus, ſed aureus inter rariores locandus eſt.

Eadem epigraphe. Quadrigæ triumphales.

Cæſari ob bellum Siculum confectum, magno omnium conſenſu ſtatuæ, & currus triumphales decreti, apud Dionem. Niſi malis ob triumphos ejus poſt Antonium devictum.

Hic nummus ex argento frequens eſt, ſed ex auro rarus eſt.

Eadem epigraphe. Victoria in bigis.

Nummus ad Circenſes ludos a Cæſare editos ſpectat.

Hic nummus argenteus vulgaris eſt, ſed aureus inter raros habetur.

Eadem epigraphe. Apollo ſedens in rupibus, citharam pulſat.

Auguſtus Apollini, cujus filium ſe jactabat, templum in monte Palatino extruxit.

Hic nummus ex argento nec rarus, nec obvius eſt.

CAE-

CAESAR IMP. *Quadrigæ triumphales aurigante Cæsare, dextra lauream gerente.*
Ad triplicem triumphum, quem egit anno 725. devicto anno superiore M. Antonio, unde coronam lauream gerit tanquam omnium victor.
Hic nummus argenteus nec rarus, nec obvius est.

CAESARI AVGVSTO. *Quadrigæ triumphales, in quibus aquila Legionaria.*
In memoriam signorum militarium a Phraate Parthorum rege, Augusto in Syria moranti anno 734. remissorum, quæ ille, quasi bello aliquo Parthum vicisset, accepit. Dio l. 53.
Hic nummus ex argento nec frequens, nec rarus est.

C. CAESAR AVG. F. *Cajus Agrippæ filius in equo, pone quem tria signa militaria.*
Caji Cæsaris Agrippæ filii ab Augusto adoptati, profectio ad bellum Armeniacum anno 754.
Hic nummus argenteus vulgaris est; aureus inter raros ponitur.

CIVIBVS ET SIGN. MILIT. A PARTHIS RESTITVT. *in aliis,* RECVPER. *Arcus triumphalis, supra quem Augustus in quadrigis.*
Cum anno v. c. 734. Augustus in Syriam venisset, Phraates Parthorum Rex signa ei militaria, & captivos omnes misit. Senatus ejus rei causa arcu triumphali eum honoravit. Dio lib. 53.
Hic nummus ex argento rarus, ex auro inter rariores recensetur.

IMP. IX. TR. POT. V. *Caput Augusti.*
COM. ASIAE. *Templum quatuor columnarum, in cujus peristylio,* ROM. ET AVG.
A Pergamenis, qui templum Romæ, & Augusto anno 735. extruxerunt, cusus est nummus nomine communitatis Asiæ. De his Tacitus Ann. 4. *Pergamenos, eo ipso nitebantur, æde Augusto ibi sita, satis adeptos creditum.*
Hic nummus argenteus maximi moduli inter rarissimos collocatur.

CONCORDIA AVG. *Mulier stolata sedens, dextra pateram, sinistra ramum.*

In

In memoriam Concordiæ templi anno 764. ſacrati, cui Tiberii, & fratris Druſi vita pridem functi, nomen inſcripſit.
Hic nummus argenteus inter elegantiſſimos numerandus.

DE PARTHIS. *Tiara Parthica, arcus, & pharetra.*
Phraates Rex Parthorum, quum Armeniam invaſiſſet, Cajus Cæſar in Orientem miſſus eſt. Ea conditione, ut Armeniam miſſam faceret, in gratiam rediit, an. 748. unde nummi percuſſi.
Hic nummus argenteus in rariorum numero recenſetur.

DIVO IVLIO EX S. C. *Julius Cæſar ſtans in templo tetraſtylo, dextra ſimpulum gerit, in frontiſpicio ſtella crinita.*
Icon templi Julio Cæſari in foro ab Auguſto Senatuſconſulto extructi.
Hic nummus ex argento frequens, ex auro rarus.

* DIVVS AVGVSTVS. *Caput Auguſti laureatum.*
EX S. C. *Carpentum a quatuor equis ſiniſtrorſum vectum.*
Pro ornando Auguſti funere, honorandaque ejus memoria plura in Senatu certatim a pluribus propoſita fuere. Ex hoc nummo diſcimus Senatuſconſulto decretum illi fuiſſe Carpentum quatuor equis tractum in morem triumphantis, in quo ejus ſimulacrum veheretur.
(1) *Hic nummus argenteus rariſſimus, & elegantiſſimus eſt.*

FORT. RED. CAES. AVG. S. P. Q. R. *Ara.*
Auguſtus, quum ipſi multa, ac varia a Senatu decreta eſſent ob ea, quæ abſens egiſſet, nihil accepit, niſi quod Fortunæ Reduci aram conſecrari paſſus eſt an. V. C. 735. cujus hoc eſt monumentum.
Hic nummus argenteus ſoliti moduli obvius eſt, ſed maximi moduli inter rariſſimos adſcribitur.

* IMP. CAESAR AVGVSTVS. *Caput Auguſti nudum.*
HADRIANVS AVG. P. P. REN. *Figura togata ſtans, dextra duas ſpicas præ ſe fert, ſiniſtra togæ involuta.*
Literæ illæ REN. non aliud ſignificant, quam RENOVAVIT. Imperator Hadrianus, non quemadmodum Trajanus nummos ſuperiorum Imperatorum reſtituit, ſed Auguſti memoriam poſt centum an-

(1) In muſeo D. Abb. de Rothelin.

annos, ex quo decesserat, voluit renovare, eo præsertim tempore quo Imperium Romanum summa pace, non secus ac Augusti tempore contigerat, fruebatur. Quam rem indicare videtur nummi typus figuram togatam, præferentem spicas repræsentans.
(1) *Hic nummus argenteus maximi moduli raritatis est eximiæ, & singularis.*

IMP. CAESAR. *Columna rostrata, in cujus summitate statua Augusti.*
Hæc in foro Romano posita est, & rostris ex Actiaca pugna relatis ornata. Appian. lib. 5.
Hic nummus argenteus pro raro æstimandus est.

Eadem epigraphe. Trophæum insistens proræ navis in templo.
In memoriam belli Siculi contra Sextum Pompejum confecti.
Hic nummus ex auro rarus est, ex maximo modulo rarissimus.

Eadem epigraphe. Terminus capite radiato insistens fulmini.
Symbolum sententiæ Augusti, Σπεῦδε βραδέως Festina lente.
Hic nummus ex argento rarus est.

IMP. CAES. TRAIAN. AVG. GER. DAC. P. P. REST. *Crocodilus.*
Ægypti captæ monumentum ab Imperatore Trajano in gratiam Augusti restitutum.
Hic nummus aureus eximiæ raritatis, & elegantiæ est.

★ *Eadem epigraphe. Tria signa militaria.*
Nummum S. C. signatum in Augusti honorem adhuc III. viri R. P. C. Trajanus restituit, non, ut Harduinus ariolabatur, in memoriam virorum illustrium, qui tam florente Republica, quam in principatu decesserant, ut eorum virtutes, dotes, res præclaræ gestæ repræsentarentur, sed ut infra dicemus, ut restituerentur ipsi nummi, iidemque typi nummorum, ut sibi Senatum, civesque, quorum Majorum nummi iterum suo jussu cudebantur, ea ratione demereretur.
(2) *Hic nummus aureus elegantioribus, & rarioribus est adnumerandus.*

IMP.

(1) In museo D. Apostoli Zeno.

(2) Apud Franciscum Palatium.

* IMP. X. *Vir paludatus ense præcinctus ramum porrigens Imperatori sedenti in sella curuli subsellio imposita.*
Tiberius ab Augusto contra Pannonios missus præclaram de illis victoriam retulit. Romam reversus ramum lauri Augusto offert in signum obtentæ victoriæ, ob quam Imperator x. Augustus nuncupatus est.
(1) *Hic nummus argenteus rarus est.*

IMP. X. *Duæ figuræ viriles, lauri ramum Augusto in sella sedenti porrigunt.*
Tiberius, & Drusus ejus frater laurum Augusto proferunt, prior ob Pannonios, alter ob Germanos devictos.
Hic nummus ex argento tritus, ex auro rarus est.

IMP. XIIII. *Parthus chlamide ornatus puerulum ambabus manibus profert Augusto in curuli sedenti.*
Tyridates, postquam Parthorum regnum occupasset, a Phraate in fugam actus, cum ipsius puerulo ad Augustum confugit, quem patri remisit, & cujus historia in nummis signata est, quum Phraates pater in Armenia præsidia misit, & Augustus tunc Imperator XIIII. appellaretur.
Hic nummus argenteus inter rariores collocatur, ex auro rarissimus est.

IOVI OLY. *Templum sex columnarum in conum desinens.*
Icon templi Jovis Olympii Athenis antiquitus inchoati, quod Reges P. Romani socii communi sumptu perfecere, & Genio Augusti dedicarunt. Ex Sueton. c. 60.
Hic nummus ex argento inter raros dinumeratur.

IOVI TON. *Jupiter nudus stans in templo exastylo, dextra fulmen gerit, sinistra hastam.*
Augustus periculo, quod ex fulgure vitaverat in expeditione Cantabrica, liberatus, Romæ in Capitolio templum Jovi Tonanti dedicavit an. 732. Dio lib. 53.
Hic nummus argenteus non obvius, sed aureus inter rariores computatur.

IVNO-

(1) In Thesauro Fridericiano Saxengothano; ex Liebe Goth. Num.

IVNONI MARTIALI. *Templum rotundum, in quo Juno sedet, dextra spicas.*
Icon templi Junonis Martialis in VIII. regione extructi, nec longe distabat a templo Julii Cæsaris in foro Romano. Augustus multa Junoni consecravit ex Dione lib. 51.
Hic nummus argenteus rarissimus est.

M. LEPIDVS PONT. MAX. III. VIR. R. P. C. *Caput Lepidi.*
Ob Augusti cum Lepido in triumviratu concordiam.
Hic nummus argenteus inter raros admittendus est.

MART. VLTO. *Templum rotundum, in quo figura Martis.*
Icon templi Martis Ultoris in Capitolio ab eo extructi.
Hic nummus argenteus solitæ formæ obvius est, sed maximi moduli rarissimus est.

Eadem epigraphe. Templum idem, in quo signum militare.
Id Martis Ultoris templum Augustus construi jussit ad imitationem Jovis Feretrii, in quo signa militaria a Parthis restituta suspenderentur.
Hic nummus maximi moduli rarissimus, ex solita forma obvius.

O. C. S. Ob cives servatos, *in corona quercea, desuper* CAESAR, *infra* AVGVSTVS.
Corona quercea est ob cives servatos Augusto sæpe decreta.
Hic nummus aureus inter elegantissimos dinumerandus est.

PACI PERP. *Templum exastylum, in cujus medio ara.*
Bis Jani templum ab Augusto clausum est, prima vice anno 725. altera anno 729. inde locus nummo, *Paci perpetuæ*. [Ter Augustus clausit ex Suetonio c. 22.]
Hic nummus argenteus pro raro notandus est.

IMP. CAESAR DIVI F. COS. VI. LIBERTATIS P. R. VINDEX. PAX. *Mulier stolata stans, dextra caduceum gerit, læva cornucopiæ.*
Cusus est anno 726. nummus ob pacem, confecto civili bello, Antonii morte partam, unde ait Paterculus. *Inita anno* 20. *bella civilia, sepulta externa, revocata* Pax.
Hic nummus ex auro rarus est, ex argento maximi moduli pro rarissimo habetur.

* AVGVSTVS CAESAR. *Caput Augusti laureatum.*

PAX. *Duæ dextræ junctæ duo cornuacopiæ tenentes, caduceo intermedio.*

Per has duas dextras significatur concordia inita Antonium inter, & Augustum; ex qua rerum abundantia, & populorum felicitas, ut duo cornuacopiæ indicant, derivabant; verum *M. Antonii societatem*, inquit Suetonius in ejus Vita c. 16. *semper dubiam, & incertam reconciliationibus variis male focillatam Augustus tandem abrupit.*

(1) *Hic nummus argenteus inter rariores locum habet.*

POPVLI IVSSV. *Figura equestris dextram attollens.*

Statua equestris Cæsari anno 710. populi jussu in rostris decreta, & tandem posita. Vell. Pat.

Hic nummus ex argento inter elegantiores censetur.

QVOD VIAE MVN. SINT. *Arcus cum duobus fornicibus, supra quem quadrigæ triumphales. Diversi sunt typi.*

Arcus in ponte Arimini, Augusto, ob viam Flaminiam Roma ad hanc urbem stratam, erectus.

Hic nummus argenteus ex rariorum numero est.

S. C. *Equestris statua pacificatoris habitu.*

Statua est equestris Senatusconsulto Cæsari erecta.

Hic nummus ex argento inter rariores etiam reponitur.

S. P. Q. R. SIGNIS RECEPTIS. *In area arcus, supra quem quadrigæ, in peristylio autem* IMP. IX. TR. POT. V.

Arcus ille triumphalis Augusto erectus est anno 735. quum ex Syria rediens signa militaria a Phraate restituta Romam retulit. Ex Dione.

Hic nummus aureus rarus est, ex argento maximi moduli pro rarissimo computatur.

S. P. Q. R. SIGNIS RECEPTIS. *Mars nudus, sed galeatus stans, dextra aquilam legionariam, sinistra signum militare gerit.*

Hic nummus argenteus soliti moduli frequens est, sed maximi rarissimus, & elegantissimus est.

S. P. Q. R.

(1) In museo D. Abb. de Rothelin.

S. P. Q. R. *Cupido insidens Delphino, hinc & inde stella.*
Ad familiæ Juliæ originem indicandam P. Seguinus nummum esse cusum existimat.
Hic nummus ex argento pro rarissimo habendus.

★ CAESARI AVGVSTO. *Caput Augusti laureatum.*
S. P. Q. R. *Templum rotundum.*
Templum hoc rotundum puto illud, quod Augustus erexit in honorem Martis Ultoris, quod figuræ rotundæ fuisse constat ex typo nummi argentei cum epigraphe MART. VLTO. Scimus enim ex Suetonio in Vita Augusti c. 32. nullum recepisse Augustum templum in sui honorem in provinciis, nisi communi sui, & Romæ nomine, in Urbe autem pertinacissime hoc honore abstinuisse.
(1) *Hic nummus aureus rarissimus est.*

SICIL. IMP. VIII. *in aliis* IX. X. XI. XII. *Diana arcum tenet, pro pedibus canis venaticus. Diversi sunt eorum typi.*
Augusto, rebus in Sicilia ordinatis anno 733. cum esset Imperator VIII. plurimi nummi deinceps cusi cum Dianæ signo, quæ eadem est, ac Proserpina, cui insula consecrata erat, Cicerone teste.
Hi nummi ex argento triti, ex auro pro raris habentur.

★ AVGVS. *Caput Augusti nudum.*
SIGNIS RECEPTIS. *Capricornus.*
Sub hoc sidere natus Augustus omnia fausta, & felicia habuit. Ipsam etiam deditionem Signorum, quæ Parthi M. Crasso abstulerant, quamque Imperator ardentissime optaverat, huic genetliaco sideri attribuere visus est.
(2) *Hic nummus aureus inter elegantiores, & rariores est numerandus.*

TI. CAESAR AVG. F. TR. POT. XV. *Tiberius in curru triumphali.*
In monimentum triumphi, quem egit Tiberius ad VI. Id. Maji an. 765. de Illyriis, Pannoniis, Dalmatiis, & Germanis, cujus memoria hoc anno in nummo renovata.
Hic nummus ex auro, & argento pro raro habetur.

(1) In Thesauro Austriaco Vindobonensi: olim PP. CC.
(2) In Thesauro Fridericiano ex Liebe Goth. Num.

Eadem epigraphe. Caput Tiberii sine laurea.
Tiberius cum Augusto copulatur ob Tribunitiam potestatem ab Augusto prorogatam Tiberio an. 766.
Hic nummus ex auro rarus est, ex argento inter elegantiores habetur.

GAESAR DIVI F. PAT. PA. *Caput Augusti.*
VOTA PVBLICA. *Figura velata sacra faciens super tripodem Camillo, & tibicinibus, & victimario adsistentibus.*
Sacrum peragit Augustus ob nomen *Patris Patriæ* a Senatu, Populoque Romano per Valerium Messalam sibi delatum. Sueton. c.58.
Hic nummus aureus eximiæ raritatis est.

VOT. P. SVSC. PRO SALVTE ET REDITV I. O. M. SACRVM. *Mars nudus stans galea ornatus, dextra vexillum, læva parazonium.*
Ob vota suscepta a Populo, dum Augustus Tarracone ægrotavit, anno 729. quæ soluta sunt anno 730.
Hic nummus ex argento non obvius est, sed ex auro rarus est.

★ ΚΑΙΣΑΡΟΣ ΣΕΒΑΣΤΟΥ. *Caput Augusti laureatum.*
ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. *Figura muliebris velata Antiochiæ, dextrorsum sedens in rupe, capite turrito, sinistra palmam tenens, dextro pede calcans fluvium* (Orontem) *pectore tenus emergentem brachiis expansis. In areæ superiori parte* ꓨΑ. *anno 36. in inferiori* ΔΝ. *anno 54. in imo* ΧΓ.
Per monogramma adpositum tria designantur; primo ANTiochia; secundo AVTonoma ex privilegio, quo anno V. C. 705. a Julio Cæsare donata fuit; tertio AVΓusta, sic ab Augusto nuncupata ob Victoriam Actiacam, quæ contigit anno V. C. 723. A numeris itaque in area nummi signatis illæ duæ epochæ indicantur. Si enim ꓨΑ. 36. annos addas anno 723. Augusti, & ΔΝ. annos 58. anno 705. Julii Cæsaris, utrinque existet annus V. C. 759. quo nummus percussus fuit.
(1) *Hic nummus argenteus maximi moduli rarissimus, & conspicuus est ob duplicem epocham in eodem nummo consignatam.*

ΕΤΟΥΣ

(1) In museo D. Apostoli Zeno.

ΕΤΟΥΣ ΖΚ. ΝΙΚΗΣ. *In aliis* ΘΚ. *In aliis* Λ. anno 27. 29. 30. Victoriæ. *Mulier capite turrito insidet monticulis, dextra palmæ ramum gerit; pro pedibus Fluvius brachiis extensis.*

Genius est urbis Antiochiæ ad Orontem sitæ, quæ post diversas æras, novam ab anno victoriæ Actiacæ, in gratiam Augusti, computat.

Hi nummi maximæ formæ argentei inter elegantissimos numerandi sunt.

* ΘΕΟΣ ΣΕΒΑΣΤΟΣ ΚΡΗΤΩΝ ΕΠΙ ΚΟΡΝΗΛΙΟΥ. *Caput Augusti radiatum.*

ΙΕΡΑ......ΤΑΝ ΚΡΗΤΑΓΕΝΗΣ. *Caput barbatum, & diademate revinctum Jovis Cretagenis, hoc est Creta geniti.*

Literas in epigraphe deletas feliciter restituit Liebe, ΙΕΡΑ ΒΟΥΛΗ ΙΤΑΝων, hoc est *sacrum concilium Itanensium*. Itanion urbs Cretæ est, in qua nummus cusus. Itanenses jactant in hoc nummo se commune habere natale solum cum Jove, quem rerum dominum, ac Deum æque, ac Augustum colebant.

(1) *Hic nummus argenteus maximi moduli eximiæ raritatis est, atque elegantiæ.*

ΚΑΙΣΑΡ ΣΕΒΑΣΤΟΣ. *Caput Augusti.*

ΤΙΒΕΡΙΟΣ ΚΑΙΣΑΡ ΣΕΒΑΣΤΟΣ. *Caput Tiberii in area L.* ΙΔ. *anno* 14.

Cusus est hic nummus ab Ægyptiis Augusto gratulantibus ob Tiberii triumphum de Illyriis, Pannoniis, Dalmatiis, & Germanis actum an. 765. cum hic Trib. pot. XIV. ageret.

Hic nummus argenteus maximi moduli rarissimus est.


ΘΕΟΣ ΣΕΒΑΣΤΟΣ ΚΡΗΤΕΣ. *Caput Augusti radiatum.*

ΤΙΒΕΡΙΟΣ ΚΑΙΣΑΡ ΣΕΒΑΣΤΟΣ. *Caput Tiberii nudum.*

Nummus a Cretensibus cusus ob Augustum a Tiberio inter Deos relatum.

AGRIP-

(1) In Thesauro Fridericiano ex Liebe Goth. Num.



AGRIPPÆ nummi ex argento inter rariores computantur. Ex auro unicum obſervavimus in Muſeo Chriſtinæ Reginæ.

M. AGRIPPA PLATORINVS III. VIR. *Caput Agrippæ ſine corona.*

CAESAR AVGVSTVS. *Caput Auguſti.*

C. Sulpitius Platorinus III. vir Auguſtum, & Agrippam in nummo copulaſſe videtur ob conſulatum, quem ſimul geſſerunt anno 726. ille ſeptimum, hic ſecundum.


Hic nummus argenteus inter præſtantiores habendus eſt.

M. AGRIPPA COS. TER. COSSVS LENTVLVS. *Caput Agrippæ corona roſtrata inſignitum.*

AVGVSTVS COS. XI. *Caput Auguſti laureatum.*

Cn. Coſſus Lentulus Conſul cum Lentulo Marcellino anno 736. Agrippam ter Conſulem cum Auguſto XI. nummo copulavit, quod hoc an. Auguſtus eidem Agrippæ genero ſuo Tribunitiam poteſtatem communicaſſet. Trajanus nummum hunc reſtituit.

Hic nummus ex argento inter rariores collocatur, aureus vero, eximiæ raritatis, & elegantiæ; at argenteus cum his litteris IMP. CAES. TRAIAN. AVG. GER. P. P. REST. *duplicato circulo, ejuſdem eſt raritatis ac aureus.*



TIBERII nummi ex auro, & argento frequentes, & obvii ſunt.

TI. CAESAR DIVI AVG. F. AVGVSTVS. *Caput Tiberii ſine corona.*

CAESAR AVGVSTVS DIVI F. PATER PATRIAE. *Caput Auguſti laureatum.*

Tiberius poſt mortem Auguſti quum eum inter Divos referri curaviſſet, ſe Divi Auguſti filium inſcripſit, & nummos in patris, qui eum adoptaverat, honorem percuſſit: ut populi gratiam ſibi conciliaret, Tiberius Auguſti nomen non uſurpabat, ſed referente Dione, ſcribi ferebat.

Hic nummus ex auro inter rariores, ex argento rariſſimus eſt.

DIVOS AVGVST. DIVI F. *Caput Auguſti cum ſtella in capite.*

Auguſtus appellatur Divus, poſtquam conſecratus eſt, & Flamines ei decreti. Stella Julii Cæſaris divinitatem denotat, ideo Auguſtus ſe *Divi* filium vocabat.

Hic nummus aureus inter rariores collocatur.

DRVSVS CAESAR TI. F. TR. P. *Caput Druſi Tiberii filii ſine laurea.*

Druſus Tiberii filius cum patre in eodem nummo adponitur, ob Tribunitiam poteſtatem, quam ei decrevit Senatus, petente Tiberio, anno 774. qui ſequente cuſus eſt, cum Tiberius Tribunitiam poteſtatem ageret XXXV.

Hic nummus argenteus eximiæ raritatis eſt.

IMP.

* IMP. CAES. TRAIAN. AVG. GER. DAC. P. P. REST. *Mulier insidens sellæ, dextra hastam, sinistra ramum tenet.*
Imperator Trajanus restituit plurimos nummos tum Familiarum Romanarum, tum Augustorum, quibus ipse in Imperio successerat, ob eam nempe rationem, ut Senatus, atque Populi Romani sibi benevolentiam conciliaret, ostendendo suam observantiam, atque cultum erga Augustos prædecessores, & simul amorem, quo præcipuas Romanæ Reipublicæ familias prosequebatur. Hujusce rei testes nobis supersunt nummi aurei Julii Cæsaris, Augusti, Tiberii, Claudii, Galbæ, Vespasiani, Titi, & Nervæ; atque argentei Gentis Æmiliæ, Cæciliæ, Carisiæ, Cassiæ, Corneliæ, Cornuficiæ, Didiæ, Horatiæ, Juliæ, Juniæ, Lucretiæ, Mamiliæ, Mariæ, Martiæ, Memmiæ, Minuciæ, Norbanæ, Numoniæ, Rubriæ, Sulpiciæ, Titiæ, Tulliæ, Valeriæ, Vipsaniæ; omnes a Trajano restituti. Quot autem adhuc jacent intra terræ viscera consepulti? Hos tandem proferet ætas. Sexdecim argenteos Romanæ gentis singulos typo diversos unus D. Abbas de Rothelin possidet in suo museo.
(1) *Hic nummus aureus præstantissimus, & singularis est.*

IMP. VII. TR. POT. XVI. *in aliis* XVII. *Quadrigæ triumphales.*
Triumphus Tiberii de Illyriis, Pannoniis, Dalmatiis, & Germanis actus est anno 765. quum ille accepisset TR. P. XIII. quam ob caussam vidimus supra percussos Augusto nummos cum Tiberii triumphi typo; sed mortuo Augusto, iidem typi cum effigie Tiberii renovati sunt. Ideo in iis TR. P. XVI. *&* XVII.
Hic nummus ex auro, & argento non obvius est.

IMP. T. CAESAR DIVI VESP. AVG. REST. *Mulier sedens dextra hastam, sinistra ramum.*
Titum Vespasiani filium æreos Tiberii nummos restituisse norunt & tyrones, sed aureos hactenus non observaveram. Mulier illa est Julia Tiberii mater, cujus statuam in nummis aureis, & argenteis cum epigraphe vulgari PONTIF. MAXIM. cælari curavit, quum Augustarum vultum nondum Imperatores exhibere solerent.
Hic nummus aureus eximiæ raritatis est, & elegantiæ.

TR. P.

(1) In Thesauro Fridericiano ex Liebe Goth. Num.

TR. P. XVII. *in aliis* XXII. *in aliis* XXV. *Victoria globo insidens, utraque manu palmam.*

Ob victoriam a Germanico de Cheruscis, & Arimino relatam an. 769. quum Tiberius ageret TR. P. XVII. Ob victoriam de Treviris, ac Æduis per C. Silium in Gallia reportatam an. 774. in TRIB. POT. XXII. Ob victoriam de Tacfarinate in Africa per Dolabellam an. 777. cum Tiberius ageret TR. P. XXV.

Hic nummus aureus inter raros numerandus.

Quinarii omnes aurei pro raris habentur.

Sine epigraphe. Pegasus.

Pegasus cum Africæ symbolum sit, in nummo signatur ob eam Provinciam morte Tacfarinatis pacatam per Dolabellam anno 777.

Hic nummus aureus inter rariores collocandus est.

ΤΙΒΕΡΙΟΣ ΚΑΙΣΑΡ ΣΕΒΑΣΤΟΣ. *Caput Tiberii laureatum.* ΘΕΟΥ ΣΕΒΑΣΤΟΥ ΥΙΟΣ. *Imperator supra montem Argæum stans.*

Tiberius monti Argæo superponitur a Cappadociæ populis, cujus est mons altissimus, ob eam in Romanorum provinciam, morte Archelai ipsius Regis sine prole defuncti, a Tiberio anno 770. redactam. Veranius ei præpositus est, & Mazaca urbs Metropolis dicta est Cæsaræa.

Hic nummus argenteus inter rariores.

ΤΙΒΕΡΙΩ ΚΑΙΣΑΡΙ ΣΕΒΑΣΤΩ ΓΟΡΤΥΝΙΩΝ. *Caput Tiberii laureatum.*

ΚΑΙΣΑΡΙ ΣΕΒΑΣΤΩ ΚΡΗΤΕΣ Ε. ΚΟΡ. ΛΥ. ἐπὶ Κορνηλίῳ Λύπῳ. *Caput Augusti radiatum.*

Cretenses sub Cornelio Lupo, ut puto, Proconsule, Tiberio nummum cudunt, ipsi gratulantes, quod Cæsius Cordus antea Cretæ Proconsul, quem Ancharius Priscus, eorum nomine, de repetundis postulatum accusaverat, damnatus esset anno 775. Gortyna urbs Cretæ præcipua nummum percussit, quod pecuniam a Cordo exactam recepisset.

Hic nummus argenteus rarissimus est.

ΤΙ. ΚΑΙΣ. ΣΕΒΑΣΤΟΣ Ε. ΚΟΡ. Λ. *id est*, ἐπὶ Κορνηλίου Λύπου. *Caput Tiberii laureatum.*

ΘΕΟΣ ΣΕΒΑΣΤΟΣ ΕΛΕΥΘ. *id est*, Ἐλευθερναίων. *Caput Augusti radiatum.*

Eleutherna urbs Cretæ proxima Gortynæ, ejusdem Corn. Lupi Proconsulis permissu, pariter Tiberio gratulatur ob Cæsium Cordum de repetundis condemnatum, quum ideo pecuniam ab ipso ablatam recuperasset.

Hic nummus argenteus insignis elegantiæ, & raritatis est.

ΤΙ. ΚΑΙΣΑΡΙ ΣΕΒΑΣΤΩ ΚΥ. *id est*, Κυδωνιατῶν. *Caput Tiberii laureatum.*

ΚΑΙΣΑΡΙ ΣΕΒΑΣΤΩ ΚΡΗΤΩΝ Ε. ΚΟΡ. ΛΥ. *Caput radiatum Augusti.*

Cydonia una ex tribus præcipuis Cretæ urbibus etiam per nummos Tiberio gratulatur permissu Corn. Lupi Proconsulis ob condemnatum Cordum, qua de causa pecuniam recepit. Cornelius Lupus vir Consularis apud Senecam dicitur, qui sub Claudio P. Suillii dolo circumventus apud Tacit. lib. 13.

Hic nummus ex argento pro rarissimo habendus.

ΤΙΒΕΡΙΩ ΚΑΙΣΑΡΙ ΣΕΒΑΣΤΩ ΕΠΙ ΚΟΡ. ΛΥΠΟ. *Caput Tiberii laureatum.*

ΣΥΝΚΛΗΤΩ ΚΡΗΤΕΣ ΚΥΔ. *id est*, Κυδωνιατῶν. *Caput Senatus barbatum, & velatum.*

Tiberio, & Senatui Romano, cujus caput in aversa parte Principis effigie repræsentavit, gratulatur Cydonia, quod ejus sententia Cæsius Cordus de repetundis fuerit condemnatus, & exactam ab eo pecuniam ipsa receperit.

Hic nummus argenteus maximi moduli rarissimus est.

ΤΙΒΕΡΙΩ ΚΑΙΣΑΡΙ ΣΕΒΑΣΤΩ ΕΠΙ. ΛΑΧΗΤ. *Caput Tiberii sub Lachete Prætore.*

ΣΥΝΚΛΗΤΩ ΚΡΗΤΕΣ ΚΥΔΩΝΕΑΤΩΝ. *Caput Senatus barbatum, & velatum, ut supra.*

Cydonia Senatus Romani effigiem hìc exhibuit cum Tiberio propter æquum illius judicium contra Cæsium Cordum de repetundis condemnatum: urbs nummum sub Prætore Lachete percussit.

Hic nummus argenteus maximi moduli rarissimus est.

Caput Tiberii sine epigraphe.

ΒΑΣΙΛΙΣΣΑ ΠΥΘΟΔΩΡΙΣ ΚΟΤΥΟΣ. *Cum Bilance.*

A Pythodori Cotyos Thraciæ Regis uxore post mariti mortem cusus est hic Tiberii nummus, ipsique apposuit bilancem justitiæ, in memoriam, quod quum Rescuporis ejus frater, cum quo paternum regnum diviserat Augustus, Cotym occidisset, ille ab ipsa in Senatu accusatus, damnatus sit, & regno privatus.

Hic nummus argenteus præstantissimus est.

★ *Sine epigraphe. Caput Tiberii laureatum.*

ΒΑΣΙΛΙΣΣΑ ΠΥΘΟΔΩΡΙΣ ΕΤΟΥΣ Ξ. *anno* 60. *Capricornus.*

Ex hoc nummo existente in museo D. Abbatis de Rothelin D. Baro Bimartius optime corrigit errorem Vaillantii, qui perperam exscripserat, vestigiis inhærens Petri Seguini, epigraphen superioris nummi. Non itaque legi debet ΚΟΤΥΟΣ, sed ΕΤΟΥΣ Ξ: atque adeo non est fingenda nova Pythodoris, quæ fuerit uxor Cotis regis Traciæ; sed est illa eadem, quæ nupta fuerat Polemoni primo Regi Ponti; & annus sexagesimus initium ducit ab anno v. c. 713. quum M. Antonius Polemonem constituit Regem Ponti: cui anno 713. si addantur 60. in nummo signati, prodibit annus v. c. 773. imperii Tiberii 6. & 7.

(1) *Hic nummus argenteus rarissimus, & præstantissimus est.*

★ *Sine epigraphe. Caput Tiberii nudum.*

ΒΑ Ρ ΛΑΤ. *anno* 331. *Caput nudum Ræmetalcis Regis Bospori.*

Annus iste 331. est annus æræ Bosporanæ, quæ initium cepit, juxta Vaillantium, anno v. c. 453. Huic si addantur anni 331. in hoc nummo consignati, consurget annus v. c. 784. qui erat annus Imperii a Tiberio suscepti 17. & 18. Rœmetalcis hic, filius Rescuporidis, quem Senatus damnaverat reum cædis Cotys regis ejus nepotis, in Bosporano regno a Tiberio confirmatus fuit, quum illi constaret paternis consiliis adversatum fuisse, ut ex Tacito discimus lib. 2. Annal.

(2) *Hic nummus aureus insignis raritatis, & præstantiæ est.*

F 2 DRU-

(1) In museo D. Abbatis de Rothelin. (2) In museo D. Apostoli Zeno.



DRUSI junioris nummi ex argento rariſſimi ſunt, ex auro non obſervantur.

DRVSVS CAESAR TI. F. TR. P. *Caput Druſi ſine corona.*
TI. CAESAR AVG. P. M. TR. P. XXV. *Caput Tiberii laureatum.*
Druſus in averſa patris nummi parte ponitur, poſtquam Senatus ipſi Tribunitiam poteſtatem, petente per literas Tiberio, decreviſſet, at quum per eam poteſtatis ſupremæ conſors eſſet, ideo Senatus ei nummos æreos cum effigie percuſſit, ut prius M. Agrippæ: at tunc Tiberius agebat Trib. p. XXV. ut nummus denotat.
Hic nummus argenteus eximiæ raritatis, & elegantiæ eſt.



DRU-



DRUSI fenioris nummi ex auro, & argento non obvii funt.

NERO CLAVDIVS DRVSVS GERMANICVS IMP. *Caput Drufi laureatum. In aliis corona quercea infignitum.*
DE GERMANIS. *Duo clypei cum fpiculis, & figno militari.*
Clypei oblongi, fpicula, & vexillum infigne equitum in hoc nummo cælantur in memoriam eorum, quæ Drufus Tiberii frater de Germanis victor retulit, quum ob id, decretis fibi triumphalibus ornamentis, ovans Romam ingreffus, anno 743.
Hic nummus ex argento, & auro pro raro habetur:

Arcus Triumphalis, fupra quem figura equeftris inter duo trophæa: in ejus peryftilio DE GERM. *In aliis*, DE GERMANIS.
Arcus ille in honorem Drufi erectus eft poft ejus mortem, in regione prima, verfus portam Capenam; de illo Sueton. c. 1. in Claudio. *marmoreum arcum cum trophæis via Appia decrevit*. Ille fupra arcum eques, ut Romam ovans ingreffus erat; hinc & inde trophæum, in memoriam eorum, quæ in Germania, ut & trans Rhenum erexerat.
Hic nummus argenteus, & aureus ejufdem eft pretii, ac fuperior.

ANTO-



ANTONIÆ Drusi nummi ex argento, & auro non obvii sunt [imo rari sunt.]

ANTONIA AVGVSTA. *Caput Antoniæ cum corona spicea.*
CONSTANTIAE AVGVST. *Figura muliebris dextra facem oblongam, læva cornucopiæ gerit.*
Antonia spicea corona ornatur tanquam altera Ceres, in prima fronte nummi, qui a Claudio filio cusus videtur ob *Constantiæ* symbolum, quo usus est. In aversa parte stat illa cum face, quam quærendo Proserpinam filiam gerebat, & cornucopiæ habet: quum illa frumenti sationem docuerit.
Hic nummus ex auro, & argento rarus est.

SACERDOS DIVI AVGVSTI. *Duæ tædæ cum corollis.*
Caligula aviam Antoniam Augusti Sacerdotem fecit more Græcorum, quum hæc esset abstemia: prius illa tantum Flamines, & Sodales habebat: Aviæ etiam Cajus omnes Vestalium honores tribuit, ideo illa coronatur spicis, quum eadem Vesta sit, & Ceres, facesque in aversa parte ad mysteria Cereris spectant, quæ ipsis agebantur accensis, nisi sint ignis æterni a Vestalibus servati symbola.
Hic nummus aureus, & argenteus ejusdem est raritatis, ac superior.

GER-



GERMANICI nummi ex auro rariores ſunt argenteis, omnes a C. Caligula ejus filio ſignati.

GERMANICVS CAESAR P. C. CAES. GERM. AVG. *Caput Germanici.*

C. CAESAR AVG. GERM. P. M. TR. POT. *Caput Caligulæ laureatum.*

Germanici caput ex altera parte filii Caligulæ, in honorem patris a filio cuſum nos edocet nummum. In ejus memoriam Septembrem menſem *Germanicum* etiam appellavit.

Hic nummus argenteus, & aureus rarus eſt.


GERMANICVS CAES. P. C. CAES. AVGV. COS. II. IMP. *Caput Germanici.*

DIVVS AVGVSTVS. *Caput Auguſti radiatum.*

Inſcriptio patris Caji Cæſaris Auguſti ex altera nummi parte, in qua Germanici effigies exhibetur, eum a filio in patris memoriam cuſum arguit, cui proavum Auguſtum ſociavit corona radiata inſignem, ut inter Divos relatum.

Hic nummus argenteus eximiæ raritatis eſt, & elegantiæ.

AGRIP-



AGRIPPINÆ nummi ex auro raritate inferiores ſunt nummis Germanici; ex argento, ejuſdem præſtantiæ.

AGRIPPINA MAT. C. CAES. AVG. GERM. *Caput Agrippinæ.*
C. CAESAR AVG. GERM. P. M. TR. POT. *Caput Caligulæ laureatum.*
Caligula in matrem pius, ejus memoriam in nummis reſtituit, cujus cineres, mox quum imperium adeptus eſſet, ex Pandataria confeſtim retulit, ad quam venerabundus properavit, tempeſtate turbida, quo magis pietas emineret.
Hic nummus aureus, & argenteus rarus eſt.



CA-



CALIGULÆ nummi ex auro, & argento rari ſunt.

C. CAESAR AVG. GERM. P. M. TR. POT. *Caput Caligulæ laureatum.*

AGRIPPINA MAT. C. CAES. AVG. GERM. *Caput Agrippinæ.* Caligula, ut imperium adeptus eſt, ad Pandatariam inſulam ſe tranſtulit, & inde collectos Agrippinæ matris cineres in urnam condidit, ipſi Circenſes inſtituit, Carpentumque, quo in pompa traduceretur: ejus memoriam per nummos etiam reſtituit.
Hic nummus aureus, & argenteus rarus eſt.

* C. CAESAR AVG. PONT. MAX. TR. POT. *Capita jugata Caligulæ nudum, & Druſillæ.*

AGRIPPINA IVLIA. *Capita adverſa Agrippinæ cum diademate, & Juliæ.*

Tres fuere Caligulæ ſorores Druſilla, Agrippina, & Julia. Has ad inſaniam uſque adamavit. *Auctor fuit*, inquit Suetonius in ejus vita c. 15. *ut omnibus ſacramentis addicerentur, neque me, liberoſque meos cariores habeo, quam Cajum, & Sorores ejus.*
(1) *Hic nummus aureus eximiæ raritatis, & ſingularitatis eſt.*

DIVVS AVGVSTVS PATER PATRIAE. *Caput Auguſti radiatum.* Auguſti proavi memoriam in nummis reſtituit Caligula, quum ejus templum a Tiberio inchoatum triumphali habitu, & maxima pompa dedicaſſet.
Hic nummus aureus inter rariores habendus.

(1) In muſeo Strozziano.

DRVSVS. *Caput Drusi avi.*

In Antoniæ aviæ honorem nummos cudisse Caligulam noverant antiquarii, sed in Drusi avi memoriam aliquos restituisse hactenus ignoraveramus, unde ingens esse nobis debet studium nummorum, qui nos quotidie nova edocent.

Hic nummus argenteus eximiæ raritatis est, & elegantiæ.

GERMANICVS CAESAR P. C. CAES. AVG. GERM. *Caput Germanici.*

Cajus in patrem pius nummos ejus restituit, cujus cara erat apud populos memoria, auxerat enim gloriam, desideriumque defuncti etiam atrocitas insequentium temporum, ut ait Suetonius in Caligula c. 6.

Hic nummus aureus, & argenteus superiore rarior est.

★ C. CAESAR AVG. GERMANICVS. *Caput Caligulæ nudum.*

IMPERATOR PONT. MAX. AVG. TR. POT. *Sympulum, & Lituus.*

Sympulum, & Lituus insignia sunt Sacerdotiorum, quibus Tiberius Cajum Caligulam honestando ad spem sucessionis paulatim admovebat; Sympulum quidem insigne est Pontificatus, & Lituus Auguratus. Legenda autem est syllaba AVG. AVGVR, non AVGVSTVS, ut legitur in aliis nummis Imperatorum.

(1) *Hic nummus argenteus inter rariores, & elegantiores est recensendus.*

S. P. Q. R. P. P. OB C. S. *In corona quercea.*

Corona quercea ob servatos in bello cives concedebatur, sed quum nullum bellum gesserit Caligula, in quo ille cives servaverit, adulationis causa id in nummis adpositum est a principibus, ut viderentur a clementiæ laude, & paternæ curæ imperium auspicari, ut alii deinceps Imperatores observarunt.

Hic nummus argenteus inter rariores habendus, ut & aureus.

P. M. TR. POT. ITER. *Victoria insidens globo, dextra lauream.*

Victoria in nummis tanquam symbolum relatæ de hostibus, non semper cælata est, nullum in Trib. pot. II. per se, aut legatos bellum gesserat

(1) In museo D. Apostoli Zeno.

gessit, sed ut Dea in iis apposita est, cujus templum erat in regione fori Romani: hæc insidet globo, tamquam totus orbis terrarum per eam Romano imperio esset acquisitus.
Hic nummus aureus inter rariores collocandus.

★ P. M. TR. POT. IIII. *Victoria insidens globo, ambabus manibus lauream tenens.*
Puto hunc nummum cusum ob eam victoriam, quam insanus Imperator retulit, quum in Britanniam primum, mox in Germaniam progressus, belli materia deficiente, sylvam cum amicis, & parte prætorianorum adortus arbores truncavit, & in trophæorum modum erexit, & adornavit. Vide Suetonium in ejus vita c. 45.
(1) *Hic nummulus aureus elegantissimus, & præstantissimus est.*

Sine epigraphe. Caput Augusti radiatum.
Nil mirum, si Augusti proavi effigiem in nummis secum sociaverit, cujus acta initio imperii imitari volebat.
Hic nummus argenteus rarior est aureo.

Sine epigraphe. Caput Augusti radiatum, hinc, & inde stella.
Caput Augusti corona radiata divinitatis symbolo ornatum est, hinc, & inde sidus, avum Drusum, & Germanicum patrem denotare videntur, tamquam ex divina stirpe ortos.
Hic nummus ex auro, & argento superiore rarior est.

Γ. ΚΑΙΣΑΡ ΣΕΒ. ΓΕΡΜ. ΑΡΧ. ΜΕΓ. ΔΗΜ. ΕΞΟΥ. ΥΠΑΤ. *Caput Caligulæ nudum.*
Sine epigraphe. Caput Augusti septem stellis circumdatum.
Augusti caput radiatum ejus divinitatem denotat, & ut duo superiora sidera Drusum, & Germanicum indicant, ita septem Augusti caput circumdantia, præter Drusum, & Germanicum, quinque Caligulæ fratres arguunt, nisi existimes Augustum in arctoo sidere collocatum, ut ait Manilius.
Hic nummus argenteus inter rariores numerandus est.

★ *Eadem epigraphe, & typus in utraque parte nummi; addito dumtaxat sceptro ad collum transverso.*
(2) *Hic nummus ex argento de numero Quinariorum rarissimus est.*

(1) Apud Franciscum Palatium. (2) In museo Editoris.

ΓΑΙΟΣ ΚΑΙΣΑΡ. ΣΕΒΑΣΤΟΣ ΑΡΧ. ΜΕΓ. ΔΗΜ. ΕΞ.
Caput Caligulæ nudum.
Sine epigraphe. Figura Augusti togata sedens inter septem sidera, dextra pateram, læva sceptrum gerit.
Augustus sedens cum divinitatis symbolis patera nempe, & sceptro; patera sacra ipsi facienda denotat, sceptrum divinitatis insigne est, de quo in Galba apud Sueton. c.1. *Augustique sceptrum e manibus excussum est*, septem sidera omnem Caligulæ familiam fato functam arguunt, ut supra diximus, vel alludunt ad arctoon sidus.
Hic nummus argenteus maximi moduli rarissimus est.

Sine epigraphe. Figura, ut supra, in curru a quatuor Elephantis tracto cum sessoribus, septem sidera pariter eam circumdant.
Statua est Augusti per Circum vecta ab Elephantis, quum inter Deos a Tiberio, & Livia consecratus est, quam restituit Caligula cum septem sideribus Drusum avum, Germanicum patrem, & quinque fratres denotantibus, utpote divinitatis consortes.
Hic nummus maximi moduli ex argento pro rarissimo æstimandus est.



CLAU-



CLAUDII nummi ex auro, & argento obvii sunt in Gallia, in Italia rari.

TI. CLAVD. CAESAR AVG. GERM. P. M. TRIB. POT. P. P. *Caput Claudii laureatum.*

AGRIPPINAE AVGVSTAE. *Caput Agrippinæ uxoris.*

Claudius Agrippinam neptem, Germanici fratris filiam duxit uxorem an. 802. eam Augustam appellavit, primusque Imperatorum in nummis argenteis, & aureis ejus effigiem cælavit, qui honos a Senatu non illi tributus est, quum ille adhuc sui juris nimis esset studiosus.

Hic nummus argenteus, & aureus rarus est.

CONSTANTIAE AVG. *Figura muliebris sedens, dextra pateram, sinistra cornucopiæ.*

Constantiam inter alias virtutes Claudius pro symbolo assumpsit, quæ tamen in eo non semper emicuit; Suetonius enim in ejus vita c. 15. *In cognoscendo autem, ac decernendo, mira varietate animi fuit, modo circumspectus, & sagax, modo inconsultus, ac præceps, nonnunquam frivolus, amentique similis.*

Hic nummus argenteus rarior est aureo, sed aureus a Trajano restitutus rarissimus est.

TI. CLAVD. CAESAR AVG. P. M. TR. P. VI. IMP. XI. *Caput Claudii laureatum.*

DE BRITANNIS. *Arcus triumphalis cum trophæis.*

Clau-

Claudius in Britanniam primus post Julium Cæsarem profectus est an. 796. sine ullo prælio, parte insulæ recepta, sexto, quam profectus erat, mense Romam rediit, triumphavitque maximo apparatu, & ei arcus in nona regione erectus est an. 799. quum ageret Trib. pot. VI. Supra eum visitur ejus statua equestris inter duo trophæa ex Britannorum armis confecta.
Hic nummus aureus rarus est, argenteus inter rariores recensetur.

TI. CLAVD. CAES. AVG. P. M. TR. P. *Caput Claudii laureatum.* DE GERM. *Arcus triumphalis.*
Arcus ille est Drusi patris *de Germanis* in via Appia erectus, quem anno imperii primo in memoriam patris, in nummis suis cælari jussit pius in parentem, de quo narrat Suetonius cap. 11. in Claudio: *Parentibus inferias publicas, & hoc amplius, patri Circenses annuos natali die, matri carpentum, quod per circum duceretur.*
Hic nummus aureus inter rariores habendus.

DE GERMANIS. *Duo clypei cum hastilibus, & vexillo, ut in Druso patre.*
Sunt & illa Germanorum arma de ipsis a Druso Claudii patre Romæ in ovatione lata, de quibus in illo diximus; qui typus a Monetariis in memoriam patris, ut arcus ejus triumphalis, in Claudio renovatus est.
Hic nummus argenteus inter elegantissimos numerandus.

DIAN. EPHES. *Diana polymamma cum fulcris.*
Diana hæc polymamma, Ephesia est, & ab Ephesiis nummum illum ex maximo modulo cusum Claudio denotat, sed quænam illa fuerit, Hieronymus indicat epist. 1. ad Eph. *Dianam colentes non hanc venatricem, sed illam multimammiam, quam Græci* πολυμαστον *vocant.*
Hic nummus argenteus maximi moduli rarissimus est.

DIANA EPHESIA. *Diana polymamma cum fulcris in templo quatuor columnarum.*
Quænam fuerit Ephesiæ Dianæ templi frons, ostendit nummus iste Claudii maximus: quatuor columnæ illam ornant, in cujus aditu illius simulacrum, ut supra, visitur. De illo, qui primus templum Dia-

Dianæ ſtruxit Epheſi, non conveniunt authores; vide Euſtathii Comment. in Dionyſium.
Hic nummus ex argento maximus rariſſimus eſt.

★ TI. CLAVD. CAES. AVG. AGRIPP. AVGVSTA. *Capita Claudii laureatum, & Agrippinæ jugata.*
DIANA EPHESIA. *Diana polymamma ſtans a fronte, utraque manu extenſa innixa fulcris, ſeu verubus.*
Epheſii in honorem Claudii, & Agrippinæ uxoris nummum hunc cuderunt, inque averſa parte Dianæ ſimulacrum ſignarunt, pro eorum cultu in Dianam.
(1) *Hic nummus tetradrachmalis argenteus rariſſimus, & præſtantiſſimus eſt.*

DIVVS CLAVDIVS AVGVSTVS. *Caput Claudii laureatum.*
EX S. C. *Carpentum a quatuor equis vectum.*
A Nerone percuſſus eſt in memoriam apotheoſeos Claudii nummus, & carpentum exhibet, quod in pompa funebri per circum traducebatur, Imperatorum nempe a quatuor equis, aut elephantis trahebatur, Auguſtarum vero a duabus mulis. Voces *Ex S. C.* illud Senatuſconſulto decretum arguunt.
Hic nummus argenteus, & aureus inter rariores numerandus.

DIVVS CLAVDIVS. *Caput Claudii laureatum.*
IMP. CAES. TRAIAN. AVG. GER. DAC. P. P. REST. *Figura muliebris ſtolata ſedens, dextra pateram, læva duplex cornucopiæ.*
Quum mos ſacra faciendi Claudio, ab ipſo Nerone eſſet abolitus, apud Suetonium c.45. hunc deinde honorem, teſte hoc authore, per Veſpaſianum recepit, cujus memoriam etiam Trajanus per mulierem pateram ad ſacra ipſi facienda gerentem, reſtituit.
Hic nummus aureus rariſſimus eſt.

IMPER. RECEPT. *Caſtra Prætoria.*
Caſtra ſunt Prætoria in nummis Claudii repræſentata in memoriam, quod a Prætorianis pro Imperatore ſalutatus ſit, & ab iis, ut ait Suetonius c.10. *Receptus intra vallum pernoctavit.*
Hic nummus aureus, & argenteus rarus eſt.

NERO

(1) In muſeo D. Abb. de Rothelin.

NERO CLAVD. CAES. DRVSVS GERM. PRINCEP. IVVENT. *Caput Neronis.*

Nero, Agrippinæ matris artibus, a Claudio adoptatus, & princeps juventutis factus est, quum ille Trojæ lusum exhibuit, teste Suetonio c.7. in Nerone: *Princeps autem juventutis vocabatur, qui præsidebat pueris majoribus, & minoribus hunc ludum in circo agentibus.*

Hic nummus aureus inter elegantiores computandus, argenteus rarissimus est.

PRAETOR. RECEPT. *Imperator togatus, & Prætorianus militari habitu dextras sibi jungentes.*

Claudius a Prætorianis Imperator primum appellatus est, cujus rei monimentum in ejus nummis expressum est; Prætorianus autem aliorum nomine data ipsi manu, fidem obstringit, cum singulis quindena HS pignoratus esset.

Hic nummus argenteus rarior est aureo.

ROM. ET AVG. COM. ASI. *Templum distylum, in cujus medio figura muliebris stolata stans, dextra imponit coronam Imperatori paludato, læva cornucopiæ gerit.*

Jam in Augusti nummis templum Romæ, & Augusto dicatum vulgavimus, quod Pergami extructum a Tiberio suspicati sumus: at quum illud exastylum sit, & hoc distylum, idem esse non existimamus. Alabandenses templum Romæ anno 534. extruxerunt, forsan idem & Augusto consecrarunt; vide nummum toti familiæ Augusti dicatum in Cenot. Pisan. pag. 93.

Hic nummus argenteus maximi moduli rarissimus est.

SACERDOS DIVI AVGVSTI. *Duæ tædæ cum corollis, ut in Antonia.*

An pars aversa nummi Antoniæ a quodam Monetario in Claudio substituta' sit, an Claudius ipse matris sacerdotii memoriam restituere voluerit, incertum est. Vide, quæ diximus in nummis Antoniæ.

Hic nummus argenteus eximiæ raritatis est.

VICTORIA AVGVST. *Victoria, pede dextro globo imposito, scribit supra clypeum.*

Victoriæ typus spectat ad victoriam, quam Claudius in Britannia re-

retulit anno 796. ob quam triumphavit maximo apparatu; illa pedem globo imponit, quasi novum orbem sub ditione Romana redegerit: nam Britannia toto orbe divisa, tanquam alter Romanis videbatur.
Hic nummulus aureus inter rariores habendus.

ΤΙ. ΚΛΑΥ. ΚΑΙΣ. ΣΕΒΑ. ΓΕΡΜΑΝΙ. ΑΥΤ. L. Γ. *Caput Claudii laureatum.*
ΜΕΣΣΑΛΙΝΑ ΚΑΙΣ. ΣΕΒ. *Messalina stans stolata, dextra duos filios suos sustinet, sinistra spicas.*
Mulier stolata illa in nummo cælata, Messalina est Claudii uxor, ex qua Octaviam, & Britannicum tulit, hunc vero in Consulatu II. quem inivit cum Licinio Cæcinna an. 706. ideo nummus ille Alexandriæ cusus anno ejus imperii 3. ut literæ L. Γ. indicant.
Hic nummus maximi moduli ex argento inter elegantissimos habendus est.


ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ. ΓΕΡΜΑΝΙΚΟΣ. *Diana stans, dextra ramum, sinistra vestem colligit.*
Imperator, & Germanicus in hoc Græco nummo appellatur Claudius, Germanici nomen in memoriam Drusi patris tulit, de quo Suetonius in ejus vita c. 1. *Senatus .... & Germanici cognomen ipsi, posterisque ejus*, quod non permutare voluit in Britannicum, redacta a se Britannia, sed filio nomen Britannici dedit. Diana colitur in urbe, ubi cusus est nummus, quæ ignoratur, quum nomen in eo non sit adpositum.
Hic nummus argenteus inter præstantiores ponendus.

ΑΥΤΟΚΡΑ. *Duo capita muliebria cornucopiæ imposita sunt, & alterum puerile intermedium.*
Similem nummum Colonia Patrensis repræsentat: duo illa capita muliebria super duplex cornucopiæ, Antoniam, & Octaviam Claudii filias exhibent, majorem nempe, quam ex Ælia Petina tulit, Cn. Pompejo magno, deinde Fausto Sullæ nuptam, minorem Neroni, post ejus adoptationem: medium vero infelicis Britannici est. Hic nummus ab Ursino in gente Antonia num. 9. falso tribuitur M. Antonio.
Hic nummus argenteus eximiæ raritatis est.


ΕΤΟΥΣ ΙΑ. *Anno undecimo. Caput Claudii laureatum.*
ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΠΟΛΕΜΩΝΟΣ. *Caput Polemonis Regis diademate insignitum.*

Polemo Rex Ponti, & Bosphori post mortem Polemonis patris in utroque regno a Caligula confirmatur anno 791. apud Dion. *Polemoni Polemonis filio paternum imperium ex Senatusconsulto videlicet tribuit.* Claudius vero Mithrydati, eodem Dione teste: *Bosporum largitus est, pro eo parte Ciliciæ Polemoni data*, an. 794. Polemo nummum Claudio cudit regni anno XI. respondente V. C. 805. postquam sedati essent Clitæ in Cilicia.

Hic nummus argenteus eximiæ raritatis est, & elegantiæ.



AGRIP-



AGRIPPINÆ junioris nummi præstantia inferiores Agrippinæ senioris nummis sunt.

AGRIPPINA AVGVSTA. *Caput Agrippinæ spicea corona ornatum.*
NERO CLAVD. DRVSVS GERM. PRINC. IVVEN. *Caput Neronis nudum.*
Agrippina in nummis argenteis, & aureis tantum occurrit, non autem in æreis Senatusconsulto percussis. Senatus sui juris adhuc nimis studiosus fœminis principibus sub Domitiano tantum nummos cudere cœpit. Nero in Claudiam gentem adoptatus, Neronis Drusi cognomina vivente Claudio tulit.
Hic nummus ex argento eximiæ raritatis, & elegantiæ.

AGRIPPINA AVGVSTA MATER AVGVSTI. *Caput Agrippinæ.*
NERO CLAVD. DIVI CLAVD. F. CAESAR AVG. GERMAN. *Caput Neronis.*
Agrippinæ cusus est hic nummus post mortem Claudii, quum Nero in aversa ejus parte Divi F. appelletur; ille initio imperii teste Suetonio c. 9. in Nerone *Matri summam omnium rerum publicarum, privatarumque permisit.*
Hic nummus argenteus ex maximo modulo singularis, & eximiæ elegantiæ est.

AGRIPPINAE AVGVSTAE. *Caput Agrippinæ.*
TI. CLAVD. CAESAR AVG. GERM. P. M. TRIB. POT. P. P. *Caput Claudii.*
Claudius, quum Neronem, Agrippinæ uxoris artibus, biennio tan-

tum majorem natu, filio antepoſuiſſet adoptione, Agrippinam appellavit Auguſtam, ut narrat Tacitus Ann. 12. *Augetur & Agrippina cognomento Auguſtæ*, & mox nummi in rei memoriam cum ejus effigie percuſſi ſunt.
Hic nummus aureus, & argenteus pro raro habetur.

AGRIPP. AVG. DIVI CLAVD. NERONIS CAES. MATER.
Capita Agrippinæ, & Neronis adverſa.
NERONI CLAVD. DIVI F. CAES. AVG. GERM. IMP. TR. P.
Corona quercea, in qua EX S. C.
Agrippina nobiliorem nummi partem occupat ſe Claudii uxorem, & Neronis matrem vocans, quaſi penes eam eſſet imperii dominatio, & filius tantum Cæſar haberetur; quare ait Tacitus Ann. 23. *Quod ſubſidium in eo, qui a fœmina regeretur?* Nil mirum igitur, ſi corona quercea ipſi, & filio, ut Caligulæ, & Claudio, ob cives ſervatos, decreta eſt a Senatu, quem in palatium vocaret, ubi velo diſcreta aſſidebat.
Hic nummus argenteus rarior eſt aureo.

NERO CLAVD. DIVI F. CAES. AVG. GERM. IMP. TR. P. COS.
Capita jugata Neronis, & Agrippinæ.
AGRIPP. AVG. DIVI CLAVD. NERONIS CAES. MATER EX S. C. *Quadrigæ elephantorum currum vehunt, in quo figura virilis togata radiata ſedet, dextra haſtam puram: prope eam mulier, dextra aquilam legionariam tenet.*
Claudius, ut narrat Suetonius c. 11. in Claudio, *Aviæ Liviæ divinos honores, & Circenſi pompa currum elephantorum Auguſtino ſimilem decernendum curavit*. Nero, & Agrippina nummum cuderunt, ut quo uterque exhiberetur; Auguſtus corona radiata inſignitur, Livia tanquam mater caſtrorum aquilam legionariam gerit: Nero ipſis ſtatuas conſecravit, quæ in ejus nummis viſuntur cum epigraphe AVGVSTVS AVGVSTA.
Hic nummus aureus, & argenteus inter raros, & elegantes reponitur.

ΑΓΡΙΠΠΕΙΝΑ ΣΕΒΑΣΤΗ. *Caput Agrippinæ.*
ΝΕΡΩΝ ΚΑΙΣΑΡ. *Caput Neronis juvenile.*
Ut Romæ, in nummis Latinè inſcriptis, Claudius permiſit, ut Agrip-

Agrippina tanquam Augusta signaretur, & Nero tanquam Cæsar, & ad imperium destinatus in iis etiam cælaretur: ita Græci adulatores, ut eorum vultus in eodem nummo signarent, ab illo obtinuerunt.

Hic nummus argenteus maximi moduli eximiæ raritatis est.

* *Sine epigraphe. Caput Agrippinæ Claudii.*

BA K. BNT. *anno 352. Caput Cotys Regis Bospori facie juvenili.*


Annus 352. æræ Bosporanæ additus anno v. c. 453. a quo illa initium sumpsit, complet annum v. c. 805. qui erat annus 11. & 12. Imperii Claudii, cujus Agrippina erat uxor. Cotys iste filius erat alterius Cotys, dolo, & sævitia Rhæmetalcis ejus patrui, interempti.

(1) *Hic nummus aureus præstantissimus, & rarissimus, imo singularis est.*



NE-

(1) In museo D. Apostoli Zeno.



NERONIS nummi ex auro, & argento vulgares, & triti ſunt.

NERO DIVI CLAVD. CAESARIS F..... *Caput Neronis laureatum.*

ARMENIAC. *Victoria gradiens, dextra coronam, ſiniſtra lauream.*

Initio imperii Neronis, Vologæſes Parthorum Rex Armeniam invadere conatus eſt pulſo Rhadamiſto; ſed Nero Corbulonem huic provinciæ retinendæ præpoſuit, qui cum Vologæſe pacem inivit; & ille obſides tradidit: inde ſignatus Neroni nummus cum divi Claudii filii adhuc nomine, & typo victoriæ Armeniacæ.

Hic nummus argenteus, etſi mole exiguus, elegantia tamen, & raritate præſtantiſſimus eſt.

AVGVSTVS AVGVSTA. *Duæ figuræ ſtantes, altera radiata divi Auguſti, dextra pateram, læva haſtam puram; altera Liviæ, dextra pateram, ſiniſtra duo cornuacopiæ geſtantis.*

Suetonius c. 11. in Claudio narrat Claudium ad officia pietatis converſum, jusjurandum neque ſanctius ſibi, neque crebrius inſtituiſſe quam per Auguſtum, & aviæ Liviæ divos honores decernendos curaſſe. Nummus Neronis nos docet eum Claudium æmulatum, ipſis ſtatuas conſecraſſe, quas in rei memoriam in nummis expreſſit.

Hic nummus argenteus rarior eſt aureo.

AVGV-

★ AVGVSTVS GERMANICVS. *Imperator togatus stans a fronte, capite radiato, dextra ramum, sinistra globum cum Victoriola.*
Voluit Nero in hoc nummo exhiberi Tiberium Claudium, a quo adoptatus fuerat. Caput radiatum nota est ejusdem apotheoseos: tituli Augusti, & Germanici illi conveniunt, ut supra in nummo græco Claudii dictum est: ramus pacem indicat per omne Romanum Imperium: & globus, cui Victoriola insistit, mundum devictum, & Romanis legibus subjectum.
(1) *Hic nummus aureus non obvius est.*

CONCORDIA AVGVSTA. *Figura muliebris sedens, dextra pateram, sinistra cornucopiæ.*
Ad indicandam summam Neronis cum matre Agrippina concordiam, signata est Dea Concordia; sedens quidem, tanquam firma: effingebatur pateram tenens, quoniam ea libabatur; a Romanis culta est, qui & ejus diversa templa habuere, ut plane ex historicis cognoscimus.
Hic nummus aureus rarus est.

EQVESTER ORDO PRINCIPI IVVENT. *Supra clypeum.*
Quum Romæ Claudius Trojæ lusum exhiberet, Neronem a se adoptatum, principem juventutis declaravit, ut iis præsideret: at quum ille ludus esset equestris, ideo equester ordo clypeum Neroni vovit, quod *Trojam favorabiliter, & constantissime lusit*, teste Suetonio c.7. in ejus vita.
Hic nummus aureus, ut & argenteus, rarus est.

IVPITER LIBERATOR. *Figura Jovis sedentis, dextra fulmen gerentis.*
Nero nummum cudit, in quo effigies Jovis sedentis visitur cum epigraphe IVPITER LIBERATOR, quod conjuratione Pisoniana Romæ detecta, Jupiter eum a tanto periculo liberaverit, ut in aliis nummis IOVIS CVSTOS, quod illum custodierit.
Hic nummus argenteus inter rariores numerandus.

LIBERTAS. *Caput Libertatis.*
Nero primis imperii sui temporibus, quum multa Senatus arbitrio con-

(1) Apud Franciscum Palatium.

constitueret, & graviora vectigalia abolevisset, aut minuisset, libertas publica videbatur quasi restituta: ideo caput Libertatis in ejus nummis exhibitum est.
Hic nummus aureus insignis elegantiæ, & raritatis est.

PACE P. R. TERRA MARIQVE PARTA IANVM CLVSIT. *Templum.*
Corbulo, Armenia anno v. c. 811. subacta, Tiridatem a Nerone regnum accipere coegit: ideo ille Romam magnis pollicitationibus venit sollicitatus, quem Nero ad genua procumbentem sublevavit, & deosculatus est: postea que, ut ait Suetonius c. 14. *Janum geminum clausit*, in cujus rei memoriam, illius templum in ejus nummis signatum est.
Hic nummus aureus non obvius est.

SACERD. COOP. IN OMN. CONL. SVPRA. NVM. EX S. C. *Patera, tripus, simpulum, & lituus.*
Principis juventutis titulus Neroni, tanquam ad imperium designato, datus est, & etiam sacerdotiorum dignitates adjunctæ, ut illis reverentia ipsi quodammodo præstaretur: ideo cooptatus est in omne conlegium sacerdotum, unde adpositum est in nummo *Ex S. C.* quo opus erat, quando supra numerum cooptabantur. Vide Spanhemii diss. 8.
Hic nummus ex auro, & argento inter præstantiores adscribitur.

VESTA. *Templum rotundum.*
Vestæ templum a Nerone restauratum fuisse docet nummus, nam illud an. v. c. 817. arserat in magno illo Urbis incendio, teste Tacito lib. 15. *Numæque regia, & delubrum Vestæ cum penatibus P. R. exusta.* Nero autem Vestam colere videbatur, nam quum proficisci in Achajam meditaretur, Capitolium veneratus deos, & templum Vestæ iniit.
Hic nummus aureus rarior est argenteo.

ΘΕΟΣ ΣΕΒΑΣΤΟΣ. *Caput Claudii radiatum.*
ΣΕΒΑΣΤΗΣ ΑΓΡΙΠΠΕΙΝΗΣ ΝΕΡΟΝΩΣ ΚΑΙΣΑΡΟΣ. *Capita adversa Agrippinæ, & Neronis.*
Non modo Romæ, sed in Græciæ urbibus nummi Claudii apotheosim

ſim denotantes, percuſſi ſunt; hic eum corona radiata, divinitatis ſymbolo, ornatum exhibet; adſunt in altera parte Neronis, & Agrippinæ effigies, quorum opera ille conſecratus fuerat.
Hic nummus maximi moduli inter raros, & elegantes reponendus eſt.

ΚΑΙΣΑΡ ΘΕΟΣ ΘΕΟΥ ΥΙΟΣ. *Caput Claudii laureatum.*
ΝΕΡΩΝ ΑΓΡΙΠΠ. *Capita Neronis, & Agrippinæ adverſa.*
Claudius per adulationem dicitur Θεοῦ ὑιὸς divi filius, quum pater ejus Druſus non conſecratus fuerit.
Hic nummus maximi moduli inter elegantiores habendus.

* ΝΕΡΩΝΟΣ ΚΛΑΥΔΙΟΥ ΘΕΟΥ ΥΙ. ΚΑΙΣΡΟΣ ΣΕΒ. Γ. *Caput Neronis laureatum.*
ΑΓΡΙΠΠΕΙΝΗΣ ΣΕΒΑΣΤΗΣ.. *Caput Agrippinæ. In area* ΣΡ. *anno* 106. *æræ Antiochenæ*, & 3. *Neronis*.
Quod ſcripſerat Card. Norifius in inſigni, & immortali opere de Epochis Syromacedonum, æram Antiochenam initium ſumpſiſſe ad autumnum anni v. c. 705. hoc præſtantiſſimo nummo comprobatur, quem ille neutiquam vidit. Conſignatur in hoc nummo annus 106. æræ Antiochenæ, & 3. imperii Neronis. Tertius porro Neronis annus incidit in annum v. c. 810. & 811. quocum coincidit annus 106. æræ Antiochenæ, qui eſt v. c. 811.
(1) *Hic nummus ex argento maximi moduli præſtantiſſimus, & rariſſimus eſt.*

ΝΕΡΩΝΟΣ ΚΑΙΣΑΡΟΣ ΣΕΒΑ. *Caput Neronis laureatum.*
ΔΡΑΓΜΗ ΕΦΕ. *Tripus, cui involutus eſt ſerpens.*
Vox Εφε. id eſt Εφεσίων, nummum arguit Epheſi cuſum eſſe, & altera δραγμὴ, nummum argenteum denario Romano correſpondere: quatuor ille valebat ſeſtertios, ſeu duos quinarios: ita dictus, quod pro decem aſſibus in ſolutionem cedebat. Tripus ad Apollinem pertinet, ideo cuſa ab Epheſiis, quod Nero ſe Apollinem appellaret.
Hic nummus maximi moduli inter elegantiores recenſendus.

ΔΙΔΡΑΓΜΟΝ. *Lituus, & ſimpulum.*
Videtur ex forma idem nummus pariter Epheſi ſignatus, cum voce

(1) In muſeo D. Ab. de Rothelin.

διδραγμὸν, ad indicandum nummi pretium: moneta argentea Romæ ad denarii, seu drachmæ unius pondus signata est; in Græciæ urbibus ad duas drachmas, imo ad quatuor usque, qui nummi tetradrachmi sunt appellati. Lituus, & simpulum ad Neronis sacerdotia spectant.
Hic nummus argenteus rarus est.

ETO. ς. *Aquila alis expansis fulmini insistit.*
Nummus ille tetradrachmus percussus est Antiochiæ Syriæ, ut ex sequentibus similis typi, magnitudinis, & formæ auguramur. Voces Ετο. ς. illum sub anno Neronis sexto cusum arguunt. Aquila in nummo signata imperium Romanum denotat; insistit fulmini, quum illa in bello Gigantum arma, seu fulmina Jovi ministraverit.
Hic nummus ex argento in rarissimorum numero scribendus est.

ΕΤΟΥΣ. ΑΙΓ. Θ. *Anno æræ Antiochenæ* 111. *Imperii Neronis* 9. *Typus idem: in area palmæ ramus.*
Æra in nummo signata cum typo aquilæ, ut supra, fulmini insistentis, nummum Antiochiæ ad Orontem cælatum indicat; illa autem æra Juliana, Neronis tempore, utebatur; hæc ab autumno 706. initium habuit: itaque si ei addas annos 111. efficient v. c. 816. ad cujus prid. Id. Octobris Nero annum decimum numerare cœpit.
Hic nummus argenteus inter rariores computandus.

ΕΤΟΥΣ. ΒΙΡ. Ι. *Anno æræ Urbis* 112. *Imperii Neronis* 10. *Typus idem.*
Antiochia quatuor æras in nummis adhibuit, primam sub Regibus suis ab Urbe condita: secundam sub Pompejo, a quo autonomiam obtinuit: unde epigraphe αυτονομ in nummis: tertiam sub Julio Cæsare: quartam sub Augusto, ab Actiaca pugna, unde in ejus nummis ΕΤΟΥΣ ΝΙΚΗΣ; sed mortuo Augusto Julianam anni 706. sub Tiberio recepit: quare si his addas 112. habebis v.c. 817. quo Nero annum 11. computabat.
Hic nummus ex argento rarissimus est, & elegantissimus.

ΕΤ. ΙΑ. *Mons Argæus, in cujus vertice Imperator cum globo, & hasta.*
Cæsarienses Cappadociæ, quorum urbs sub Tiberio Mazaca vocabatur, ad Argæi radices sita, nummum cuderunt: mons ipse in eo ob

ob peculiarem cultum, quo illum prosequebantur, signatus est, in cujus vertice statuam Imperatoris apponere soliti sunt. Literæ ΙΑ annum indicant Neronis imperii undecimum, illi principi gratulantes, quod Pontum ipsis conterminum concedente Polemone in Provinciam Romanam redegerit.
Hic nummus ex argento rarissimus est.

ΕΤΟΥ ΙΗ. *Anno 18. Caput Neronis laureatum.*
ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΠΟΛΕΜΩΝΟΣ. *Caput Polemonis Regis diademate ornatum.*
Polemo, cujus effigiem in Claudii nummis vulgavimus, nummos etiam suos cum Neronis vultu expressit; ille paterni regni sub Caligula an. V. C. 791. confirmationem S. C. obtinuit, ut ibi diximus; itaque si huic anno adjicias octodecim annos in hoc nummo signatos, numerabis annum V. C. 808. & primum Neronis annum, quum Claudius mortuus sit A. D. III. Id. Octobris.
Hic nummus didrachmalis argenteus eximiæ raritatis est.

* ΕΤΟΥϹ ΙΘ. *Caput Neronis laureatum.*
ΒΑϹΙΛΕΩϹ ΠΟΛΕΜΩΝΟϹ. *Caput Polemonis Regis Ponti diademate cinctum.*
Annus in nummo signatus decimus nonus est regni Polemonis initio ducto ab anno V. C. 791. quo, ut supra dictum est, paternum regnum ab Cajo obtinuit. Annis 791. additis 19. consurgit annus V. C. 810. & imperii Neronis 3. & 4. extincto Claudio sub finem anni 807.
(1) *Hic nummus argenteus eximiæ raritatis est.*

ΕΤΟΥΣ ΚΓ. *Anno 23. Caput Neronis laureatum.*
ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΠΟΛΕΜΩΝΟΣ. *Caput Polemonis Ponti Regis.*
Devotus Neroni fuisse videtur Polemo ille Polemonis filius, Zenonis nepos, quum tot nummos ipsi percusserit: en alter, in quo 23. regni annum signat, cujus initium tribuimus anno V. C. 791. quo ille in paternis regnis a Caligula confirmatus fuit: hos si simul junxeris, efficient 813. quo Nero gerebat Trib. pot. VI. & VII.
Hic nummus argenteus eximiæ raritatis est.

(1) In museo D. Abb. de Rothelin.

Caput Neronis cum epigraphe latina.

ΒΑΣ. Π. ΚΔ. *id est* Βασίλεως Πολέμωνος, ἔτος κδ. *Caput Polemonis Regis diademate ornatum. an.* 24.

Singularis est iste nummus, quod bilinguis, & didrachmus sit. Polemonem Neronis studiosissimum fuisse denotat Suetonius c. 18. quum illi suum Ponti regnum, ut in provinciam Romanam redigeret, concessisse narrat, quod accidisse tradit Eusebius an.v.c. 817. Neronis undecimo; hic vero nummus anno 814. ex litteris ΚΔ. 24. annum regni Polemonis denotantibus, cusus est.

Hic nummus argenteus eximiæ raritatis est, & elegantiæ.

* ΝΕΡΩ ΚΛΑΥ. ΚΑΙΣ. ΣΕ. ΑΥΤΟΚΡΑΤ. *Caput Neronis radiatum.*

In area L. ΙΔ. *anno* 14.

ΗΡΑ ΑΡΓΕΙΑ. *Juno stans.*

Sub typo Junonis Argivæ Livia Augusta indicatur. Hanc Neronem speciali cultu prosequutum fuisse exemplo Claudii, eumdemque novissimum fuisse ex illius gente urbs Argos per hunc nummum voluit significare.

(1) *Hic nummus argenteus maximi moduli inter præstantiores, & rariores est.*

* ΝΕΡΩΝ ΚΑΙΣΑΡ ΣΕΒ. *Caput Neronis nudum.*

Sine epigraphe. Jupiter nudus, dextra fulmen, sinistra hastam, inter septem stellas.

In qua Græciæ urbe percussus fuerit hic nummus, erui certò nequit; nulla enim ferme erat Græca urbs, in qua Jupiter hominum pater, atque Deorum non coleretur. Septemtriones Jovem circumstant, qui cœlo præest, atque sideribus.

(2) *Hic nummus ex argento maximus rarissimus est.*

POP-

(1) In Thesauro Fridericiano Saxengoth. ex Liebe Goth. Numm.
(2) In museo D. Apostoli Zeno.



POPPÆÆ Neronis nummi ex argento puro, eximiæ raritatis ſunt; nullos hactenus latinos, ſeu aureos inſpexi.

ΠΟΠΠΑΙΑ ΝΕΡΩΝΟΣ ΣΕΒΑΣΤΟΥ. *Caput Poppææ.*
ΝΕΡΩΝ ΚΑΙΣΑΡ ΣΕΒΑΣΤΟΣ. *Caput Neronis laureatum.*
Nero tres habuit uxores Octaviam, Poppæam, & Statiliam Meſſalinam, quibus nullos Senatus percuſſit nummos; at quædam Græciæ urbes Poppæam cum Nerone conjunxerunt.
Hic nummus argenteus ſingularis elegantiæ, & raritatis eſt.

ΠΟΠΠΑΙΑ ΣΕΒΑΣΤΗ. L. I. *In aliiis* L. IA. *anno* 10. *&* 11. *Caput Poppææ.*
ΝΕΡΩΝ ΚΑΙΣ. ΓΕΡΜ. *Caput Neronis radiati.*
Poppæa Neroni nupſit, dimiſſa uti ſterili Octavia, an. v. c. 815. & hi nummi cum nota L. id eſt Λυκαβαντος in Ægypto ſignati ſunt, prior anni regni Neronis decimo v. c. 817. alter undecimo. Porro annus imperii Neronis Prid. Id. Octob. anni ſuperioris inchoabat.
Hi nummi maximi moduli ex argento puro plerumque non extant; porro integri inter rariores habentur.

GAL-



GALBÆ nummi ex auro inter rariores habentur; ex argento frequentes, & obvii ſunt.

GALBA IMPERATOR. *Caput Galbæ laureatum.*

BONI EVENTVS. *Figura virilis nuda ſtans, dextra pateram, ſiniſtra ſpicas.*

Bonus Eventus inter ruſticos deos recenſetur, qui agriculturæ præerat: nudus in nummo depingitur dextra pateram, læva ſpicas, ut ejus ſimulacrum ab Euphranore factum teſtatur Plinius: in Galbæ nummis videtur ſignatus ob agriculturæ ſtudium, quo ille delectabatur; quum in villa natus & educatus ſit, & Fundis prope Terracinam ſæpe moraretur.

Hic nummus argenteus pro raro habetur.

CONCORDIA PROVINCIARVM. *Figura muliebris ſtolata ſtans, dextra ramum, ſiniſtra cornucopiæ.*

Mulier illa ſtolata, Pax eſt, quam ramus olivæ ejus ſymbolum ab ea prolatus dextra, denotat, ut & læva cornucopiæ, quo omnium rerum abundantia procuratur: illam autem conciliatam exiſtimat Galba *concordia Provinciarum*, quæ ad ſuam electionem conſpiravere.

Hic nummus argenteus rarus, ſed ex auro rariſſimus eſt.

FORTVNA AVG. *Fortuna ſtans, dextra temonem, ſiniſtra cornucopiæ.*

Fortunam in nummis ſuis exhibuit Galba, ob cultum, quo hanc deam proſequebatur, cujus ſimulacrum æneum cubitali majus ad por-

portæ limen invenerat, ut narrat Suetonius c. 4. in Galba, postquam ea illi, sumpta virili toga, in somno apparuisset: nec illi unicum futuri imperii præsagium fuit.
Hic nummus aureus, & argenteus rarus est.

GALLIA HISPANIA. *Duæ figuræ militares dextras sibi jungentes, una clypeum cum duabus hastis, altera spiculum tantum gerit.*
Hispania, & Gallia provinciæ dextras sibi jungunt in concordiæ signum, quod illæ primùm Galbam pro Imperatore agnoverant: Gallia enim sub Julio Vindice tumultuari contra Neronem cœpit, & in Hispania Galba consalutatus est Imperator, omnesque fere Hispaniarum, Galliarumque civitates, teste Suetonio c. 9. ipsi accesserunt.
Hic nummus argenteus rarissimus est.

GALLIA. *Caput muliebre, ante quod duæ spicæ: pone, clypeus, & duo spicula, seu sarissæ.*
SER. GALBA IMP. *Figura equestris Galbæ.*
Galliæ imago est, ante quam spicæ, ad denotandam in agris suis illarum abundantiam; pone eam duo tela, quæ gesta Livio, & clypeus. Hæc Gallorum arma sunt, quibus Gallia suam in re militari præstantiam denotat. Figura Galbæ in equo statua ejus videtur a Gallis ei decreta.
Hic nummus ex argento inter rariores numerandus.

HISPANIA. *Figura muliebris, dextra spicas, & papavera, sinistra clypeum.*
Hispaniæ effigies in nummis Galbæ exhibetur, in memoriam provinciæ, quæ illi imperium primò detulit; illa sub figura mulieris tunicatæ repræsentatur; dextra spicas, ob agrorum suorum fertilitatem, sinistra parvum clypeum, seu cetram ex Livio, quibus armis utuntur Hispani.
Hic nummus argenteus inter rariores recensetur.

Eadem epigraphe. Caput muliebre cum duobus jaculis, in altera parte figura Imperatoris in equo.
Hispaniæ imago est humero tenus, cum cirris ex ejus coma supra collum dimissis; pone eam duo spicula, & parvus clypeus, qui a Livio

Livio Cetra dicitur, Hiſpania in Galbæ nummis cuditur, quod in ea primùm appellatus fuerit Imperator, & ab illa decreta ſit equeſtris principis ſtatua in iis cælata.
Hic nummus argenteus inter elegantiores notatur.

IMP. *Galba paludatus in equo.*
Equeſtris hæc Galbæ in equo figura, ad ſtatuas ipſi in Gallia, & Hiſpania erectas ſpectare videtur, quum ille in equo pacificatoris habitu non ſit, ut ſolent eſſe Imperatores ad Urbem venientes, ut videre eſt in tab. 99. Oiſelii, ſed decurrentis effigie, ut ad expeditionem properantes depinguntur.
Hic nummus argenteus rariſſimus eſt.

IMP. AVG. *Figura muliebris ſtolata ſtans, dextra ramum oleæ, læva clypeo terra affixo.*
Muliebris illa figura, Pax eſt, dextra oleæ ramum gerens, quæ peculiariter huic deæ dicata eſt, & in ſolemnibus pacificis ſupra caput geſtare ſolita, de qua Prudentius hymno 4.
Verticem flavis oleis revincta. Hanc Galba, per provinciarum concordiam, a quibus electus fuerat Imperator, P. Romano conciliatam prædicabat.
Hic nummus argenteus rarus eſt.

IMP. CAES. TRAIAN. AVG. GER. DAC. P. P. REST. *Libertatis typus.*
Libertas in Galbæ nummis vario modo inſcribitur, modo *Libertas Publica*, modo *Libertas Auguſti*, modò *Libertas Reſtituta*, quaſi voluerit ille denotare, extincta in Nerone Cæſarum familia, libertatem P. Romano eſſe reſtitutam, nam ait poſt Neronis mortem Tacitus Hiſt. 1. *ſed Patres læti, uſurpata ſtatim libertate.*
Hic nummus aureus inter elegantiores reponendus.

* PAX. AVG. *Mulier ſtans, dextra ramum cum caduceo, læva demiſſa ſcutum.*
Inſcriptionem, & typum nummi laudat Spanhemius to. 2. pag. 64. ſignificari ea ratione inquiens, pacem Galbæ non emptam largitionibus, non emendicatam precibus, aliave minus honeſta ratione expreſ-

expressam, sed virtute armorum partam; redditaque tranquillitate armorum curam non abjiciendam.
(1) *Hic nummus aureus raritate, & elegantia conspicuus est.*

REST. NVM. *Caput muliebre cum monili circa collum.*
Quid sibi velint hæ voces *Rest. Num.* varias proposuit opiniones Seguinus: porro a Restituta Numidia non alienus est. Spanhemius pro Numidia stetit. Mediobarbus ei accessit. Harduinus pugnax, & contentiosus de Numantia interpretatur, sed nulli in Hispania post Caligulam cusi occurrunt nummi. Numidia a Clodio Macro vexata, a Galba restituta est.
Hic nummus argenteus a Petro Seguino vulgatus, raritate, & elegantia insignis est.

ROMA RENASCENS. *Figura galeata stans, dextra Victoriolam.*
Roma dicitur in nummis Galbæ, Renascens, quasi apparens iterum libera: nam quum Senatus post mortem Caligulæ ob imperium in Cæsarum familia continuum de libertate asserenda cogitasset, videbatur progenie Cæsarum extincta, per Galbæ electionem libertas ejus renascens. Victoriam gerit, tanquam insignem, morte Neronis, retulisset.
Hic nummus aureus rarior est argenteo.

ROMA VICTRIX. *Roma galeata stans, dextra ramum, læva hastam, pede dextro globo imposito.*
Victrix Roma perhibetur tanquam per mortem Neronis insignem retulisset victoriam de tyranno, nam hostis a Senatu judicatus fuerat.
Hic nummus argenteus rarus est, sed ex auro rarissimus habetur.

SALVS GEN. HVMANI. *Figura muliebris stans, dextra pateram supra aram ignitam, læva temonem inversum.*
Per humanum genus, intelligitur orbis terrarum, tanquam sub imperio Romano ille comprehenderetur: unde Suetonius narrat c.9. Jul. Vindicem Galliarum præsidem hortatum esse Galbam Hispanis præfectum, ut vellet se *humano generi* assertorem præstare, id est

(1) In Thesauro Fridericiano Saxengoth. ex Liebe in Goth. Num.

P. Romanum in libertatem vindicare, quod Galba se præstitisse gloriatur hoc schemate.
Hic nummus argenteus rarus est, aureus longe rarissimus.

★ S. P. Q. R. OB C. S. *In corona quercea.*
Vivo adhuc Nerone ad capessendam Reipublicæ curam Provinciarum Præfecti Sergium Galbam sollicitabant, inter quos Junius Vindex Galliarum Prætor literis illum hortabatur, ut humano generi assertorem, ducemque se accommodaret. Extincto porro Nerone libertatem, ac salutem per Galbam Populus Romanus recepisse visus est. Ideoque Senatus, Populique jussu decreta illi est corona ex quercu, quæ in nummo signata est; quæ unis civium servatoribus dari solebat.
(1) *Hic nummus aureus rarus est.*

Sine epigraphe. Aquila legionaria inter duo signa militaria.
Legionum hæc instrumenta, legionum a Galba imperio Romano additarum monimenta sunt; ille autem legiones ex Tacito, & Dione instituit I. Adjutricem, quæ Romæ ab eo constituta est, alteram VII. Galbianam, quam in Pannoniam transmisit.
Hic nummus aureus inter rariores collocandus est.

SERG. GALBA IMPER. *Figura Galbæ equestris.*
TRES GALLIAE. *Tria capita muliebria.*
Gallia triplex dicta est, Togata, Comata, & Braccata, 1. quod togà Romanorum instar uteretur: 2. a comæ nutriendæ studio, 3. a braccis villosæ vestis genere appellata: sed sic olim, nam sub Galba, altera erat nova appellatio; Belgica nempe, Celtica, & Aquitanica, quarum nomine statua equestris Galbæ decreta est.
Hic nummus argenteus eximiæ raritatis, & præstantiæ habetur.

VICTORIA GALBAE AVG. *Victoria gradiens, dextra coronam, læva palmam gerit.*
Externa non fuerunt bella sub Galba, sed tantum civilia: quum quidam provinciarum legati res novas moliti essent, in Germania Fontejus Capito, & in Africa Clodius Macer, sed mox oppressi sunt: at

(1) In museo Strozzio Romæ.

at quum illa victoria non P. Romanum, sed Imperatorem solum spectaret, ideo in ejus nummis victoria Galbæ inscripta est.
Hic nummus argenteus non obvius est.

VICTORIA P. R. *Victoria gradiens, dextra lauream, læva palmam.*
Mors Neronis videtur victoria de ipso relata a populo, nam ille ejus hostis declaratus fuerat, de quo narrat Dio: *P. Romanus ampla sacra faciebat, magnaque lætitia fruebatur, ferebantque pileos multi, quasi essent libertatem consequuti.* Ideo Galba Populo gratulans scripsit in suis nummis *Victoria P. Romani.*
Hic nummus argenteus rarus est, aureus longe rarior.

VICTORIA. *Victoria scribens in clypeo basi imposito* P. R.
Diversus ille de victoria P. Romani typus, in æternum etiam de morte Neronis monimentum est signatum, tanquam in ære victoria illud scriberet. Ad imperium non ut plurimi ante se, progeniei gradu, sed virtutis suæ dignitate tantum electum esse gloriabatur Galba, nam illud sibi delatum esse, & non se suscepisse arbitrabatur, idque sæpe numero confirmabat: militari quidem laude apud Germanos floruit.
Hic nummus aureus rarissimus est.

VIRTVS. *Figura virilis nuda, dextra parazonium, læva hastam.*
VIRTVS. *Caput Virtutis galeatum.*
SER. GALBA IMP. *Imperator eques.*
Virtus pro dea, & deo colebatur apud Romanos una voce apud eos dicta, sed apud Græcos distinguitur pro animi dotibus ἀρετὴ, nobis *vertu* dicitur, hic pro corporis fortitudine ἰσχὺς, nobis *valeur*: prior matronali habitu dextera serpentem gerit, alter militari habitu galea insignis dextra parazonium, læva hastam.
Hic nummus argenteus pro raro notatur.

ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΙΑ. *Caput Africæ, aut Alexandriæ proboscide insigne.*
Africa proboscide elephantis ornatur tanquam ejus symbolo, ut norunt Antiquarii, illa enim provincia multarum ferax earum belluarum fuit. Hæc nummos Galbæ, memor profert, quod ille teste Tacito, Proconsul Africam moderate administraverit.
Hic nummus argenteus rarus est.

ΣΕΡΟΥ. ΓΑΛΒΑ ΑΥΤΟΚΡΑΤ. ΣΕΒ. *Caput Galbæ* L. A. *In aliis* L. B.

Idem typus, ſed in area partis anticæ L. B. quod interpretantur *anno ſecundo*: porro Galba eum non attigit, ſi quidem 9. Junii an. V. C. 821. occiſus eſt Nero, ille vero 15. Januarii ſequentis, ſed Alexandrini videntur primum imperatorum annum uſque ad annum urbis ſuæ die Auguſti 28. exeuntem numerare, & illo poſtea ineunte, ſecundum principis computare, quod Hadriani nummo comprobatur, in quo K B. quum Trib. pot. 21. tantum geſſerit. Alii id de Trib. poteſtate principis, & de ſolita Trib. plebis poſtea numerata accipiunt. Alii ſeptem menſes imperii Galbæ ex ejus Romam ingreſſu tantum numerari ſolitos ajunt, ſed in Hiſpania ante ſex alios menſes imperaſſe: ideo Ægyptios annum 2. in ejus nummis ſignaſſe. Hadrianum etiam in adoptione Tribun. poteſtatem accepiſſe, a qua annum 22. Ægyptios numeraſſe perhibent: quod veriſimile videtur.

Hic nummus argenteus maximi moduli rariſſimus eſt.

ΡΩΜΗ. L. A. *Roma galeata dimidio corpore tenus, dextra haſtam, ſiniſtra clypeum.*

Alexandria a M. Antonio, quum in ea tertium conſulatum geſſiſſet, *Roma* appellata eſt: ſub eo nomine, illius triumviri nummi apud Patinum cuſi ſunt, quod nomen in Galba, & Othone retinuit: ejus effigies galeata, Romæ adinſtar, exhibetur, ipſa etiam novo Imperatori gratulans ſuos etiam ei nummos dedicat.

Hic nummus ex argento maximus inter raros collocatur.

ΕΛΕΥΘΕΡΙΑ. L. A. *Figura muliebris ſtolata ſtans, dextra coronam, ſiniſtro cubito columnæ innixo, cum haſta in manu.*

Non modo Roma libertatem in nummis ſignavit quaſi per Galbæ imperium eam recuperaſſet, ſed Alexandria etiam in ſuis Ἐλευθερίας typum depinxit, illam quidem brachio columnæ innixam quaſi firmatam, & in perpetuum futuram; ſed ſpem fefellit Galbæ dominatio, & Piſonis adoptio.

Hic nummus argenteus maximi moduli rariſſimus eſt.

OTHO-



OTHONIS nummi ex argento non obvii ſunt, ex auro rari.

IMP. M. OTHO CAESAR AVG. TR. P. *Caput Othonis laureatum.* PONT. MAX. *Imperator paludatus eques decurrens dextra haſtam vibraturus.*

Typus ille eſt Othonis ad expeditionem contra Vitellianos proficiſcentis, qui equo veloce vectus haſtam contra hoſtes vibraturus depingitur: ſic enim expeditiones in Cæſarum nummis exarantur; de ipſius expeditione ſic ait Suetonius c.7. in Othone: *Expeditionem autem impigre, atque etiam præpropere inchoavit*. Vide Tacitum. *Hic nummus argenteus rariſſimus eſt.*

Eadem epigraphe. Figura muliebris ſtolata ſtans, dextra ſpicas, læva cornucopiæ.

Mulier illa cum ſpicis, & cornucopiæ, Annona eſt, Othonis diligentiam in ea procuranda deſignans. Tacitus in ejus vita: *Fames in vulgus, inopia quæſtus, & pecunia alimentorum.*
Hic nummus argenteus rarus eſt, ex auro rariſſimus.

Eadem epigraphe. Figura muliebris ſtolata ſtans, dextra bilancem, ſiniſtra cornucopiæ.

Figura muliebris illa, Juſtitia eſt, dextra gerit bilancem, qua omnia ponderat, & læva cornucopiæ ad denotandam per eam omnium rerum abundantiam; milites enim ob ſeditionem Romæ etiam caſtigavit, de quo Tacitus Hiſt. 1. *Et oratio ... & ſeveritatis modus ... grate accepta.*
Hic nummus argenteus rarus eſt.

Ea-

Eadem epigraphe. Figura muliebris stolata stans, dextra ramum, læva cornucopiæ.

Pax est illa mulier stans cum olivæ ramo, quem pro symbolo gerit, Otho autem illam in nummis signavit, quamvis civile bellum ipsum minaretur, ut tranquillus videretur, ita ut de illo Tacitus ibid. *Otho, ut in multa pace, munia imperii obibat.*

Hic nummus argenteus rarus est.

Eadem epigraphe. Figura muliebris sedens, dextra pateram, sinistra hastam.

Justitia in nummis Hadriani, & Concordia militum in Gordiano Pio, simili modo depingitur per mulierem in sella sedentem, dextra pateram, læva cornucopiæ gerentem: patera diis sacra facienda denotat, ut vigeat Justitia, & Concordia maneat inconcussa, unde per eas omnium rerum abundantia comparatur.

Hic nummus argenteus inter rariores numerandus.

PAX ORBIS TERRARVM. *Figura muliebris stolata stans, dextra caduceum, læva ramum.*

Otho, licet civile bellum contra Vitellium sibi suscipiendum animadverteret, munia tamen imperii, ut in multa pace obibat, teste Tacito, & quum nullum adesset bellum externum Sarmatis repressis, nummum signavit, cum hac epigraphe *Pax orbis terrarum.*

Hic nummus ex argento rarus est, ex auro inter rariores numeratur.

VICTORIA OTHONIS. *Victoria stans, dextra lauream, sinistra palmam.*

Ob victoriam a suis contra Vitellianos relatam, nam apud Suetonium c.9. *ex tribus præliis vicit, verum mediocribus.* Plutarchus narrat penes Othonem fuisse victoriam, sed non completam fraude ducum, & tandem apud Bebriacum ejus copiæ fraude adhuc fusæ sunt.

Hic nummus argenteus rarissimus est.

ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ Μ. ΟΘΩΝ ΚΑΙΣΑΡ ΣΕΒΑΣΤΟΣ. *Caput Othonis laureatum.*

ΕΤΟΥΣ Α. *Aquila alis extensis rostro coronam gerens, lauri ramo insistit.*

An-

Antiochiæ Syriæ cuſus eſt hic ex maximo modulo nummus, quod denotat lauri ramus, cui inſiſtit aquila: laurus enim Apollini illius urbis tutelari deo ſacra erat. Syria autem Mucianum ipſius præſidem ſequuta, Othonem Imperatorem noſcebat Tacito, & Plutarcho teſtibus: Aquila autem imperii ſymbolum in plurimis Syriæ urbibus ſignabatur, ſed cui rei inſiſtit, urbis, in qua nummus cuſus eſt, pro ſymbolo habetur, fulmen Seleuciæ, clava Tyri, & laurus Antiochiæ.

Hic nummus argenteus maximi moduli eximiæ raritatis, & elegantiæ eſt.

Tres porro Lutetiæ obſervavimus, unum in Theſauro Regio, alterum in Cimelio Ill. Harlæi Senatus Pariſienſis Principis, tertium in Muſeo R. P. de la Chaiſe Regi a Confeſſionibus.

[*His duos addimus Romæ exiſtentes, unum in Muſeo Em. Card. Alexandri Albani, nunc Vaticano, alterum apud PP. S. Franciſci de Obſervantia in inſula Tiberis, olim Em. Card. Cozzæ.*]



VI-



VITELLII nummi ex auro rari, ex argento triti sunt.

A. VITELLIVS IMP. GERMAN. AVG. *Caput Vitellii laureatum.*
CLEMENTIA IMP. GERMAN. *Figura sedens, dextra ramum gerit.*

Vitellius cognomen *Germanici* sibi delatum ab exercitu superioris Germaniæ cupide recepit; mortuo Othone pepercit ejus fratri Titiano, quem ob pietatem excusavit; Mario Celso Othonis duci consulatum servavit: nec ultra in defectores, aut bona cujuscumque sævìit: de quo Tacitus, *Vitellius victor* clementiæ *gloriam tulit.*
Hic nummus argenteus inter rariores computandus: ex auro rarissimus est.

CONCORDIA P. R. *Figura muliebris sedens, dextra ramum.*

Ut Othonis mors Romæ audita est, populus Vitellio plausit: in Senatu, cuncta longis aliorum principatibus composita, statim ei decernuntur, teste Tacito, inde in ejus nummis, *Concordia Pop. Romani.*
Hic nummus aureus rarus est: argenteus obvius, & frequens.

CONCORDIA PRAETORIANORVM. *Figura muliebris stans, dextra ramum, læva cornucopiæ.*

Mortuo Othone, earum, quæ Brixelli egerant, cohortium preces Rubrius Gallus tulit, & per Vitellii ducem venia statim iis impetrata. Romam vero, quum ejus mortis nuntius allatus est, quod erat

erat in Urbe militum, sacramento Vitellii adactum est; sic Vitellius concordia Prætorianorum, Imperator receptus est.
Hic nummus argenteus rarus est.

CONSENSVS EXERCITVVM. *Mars gradivus, dextra hastam, sinistra trophæum humeris impositum.*
Nummus hic Vitellii ante mortem Othonis cusus est: Martem autem exhibet gradivum, id est bellatorem ad arcendos hostes; quem ominis gratia Vitellius adhibuit, quum quidam ei D. Julii Cæsaris ensem ex Martis templo extractum attulisset, teste Tacito, postquam ex utriusque exercitus Germanici consensu, Imperator fuisset electus.
Hic nummus ex argento, & auro rarus est.

I. O. M. CAPITOLINVS. *Jupiter sedens in Templo.*
Vitellius in nummis Templum Jovis Capitolini, quod milites incenderant Vespasiani fratrem in arce obsidentes, tanquam a se mox ædificandum signari jussit: causatus, quod hoc facinus luctuosissimum fœdissimumque P. Romano non culpa sua accidisset.
Hic nummus argenteus rarissimus est.

IVPITER VICTOR. *Jupiter sedens, dextra Victoriolam, sinistra hastam.*
Jupiter Victor cognominatur, quod omnia vincere putaretur, teste Livio: ejus Templum erat in Palatino Monte; ille in nummis Vitellii videtur cusus, quod die ejus festi Idibus Aprilis Romæ celebrati, ipsius exercitus victor, Othonis copias ad Bebriacum fuderit.
Hic nummus argenteus rarus est.

L. VITELLIVS COS. III. CENSOR. *Caput L. Vitellii, ante quod scipio eburneus, in cujus vertice aquila.*
L. Vitellius in hoc nummo signatus, Imperatoris pater est, non autem frater, ille Consul III. dicitur: primum gessit sub Tiberio an. v.c. 787. secundum sub Claudio an. 796. tertium vero sub eodem Principe an. 800. Id confirmat Tacitus Hist. I. *Vitellius aderat censoris, ac ter consulis filius.*
Hic nummus argenteus inter rariores numerandus: [*aureus longe rarissimus in thesauro Austriaco Vindobonensi, olim PP. CC.*]

L. VITELLIVS COS. III. CENSOR. *Figura virilis togata sedens, dextram extendit, læva scipionem eburneum.*

Eximium est censuræ L. Vitellii, patris Imperatoris monumentum, quod in nummis luculenter exprimere voluit filius, quum censura omnium honorum apex esset ex Plutarcho: ille in sella curuli ex ebore visitur, qua censores in publico, & privato loco sedendi causa utebantur; censuram ille gessit anno 801. scipio eburneus consulum insigne est.

Hic nummus argenteus inter rariores habetur, aureus rarissimus est.

LIBERI IMP. GERM. AVG. *Duo capita filiorum Vitellii adversa.*

Filiorum Vitellii in hoc nummo scalptorum nomina ignorantur. De uno loquitur Tacitus Hist. II. quum Vitellio allata sunt de morte Neronis nuntia, *Mox universum exercitum occurrere infanti filio jubet: perlatumque, & paludamento opertum, sinu retinens,* Germanicum *appellavit*. Periit ille cum patre, & patruo, teste Suetonio c. 18. in Vitellio.

Hic nummus ex auro, & argento inter elegantiores recensetur.

PRAETORIANORVM *subintellige* CONCORDIA. *Duæ dextræ junctæ.*

Prætoriani dicebantur cohortis prætoriæ milites, ab Imperatore corporis, seu custodiæ causa delecti: duodecim cohortes sub Galba erant, quæ Othoni acclamarunt, at Vitellius in Germania Imperator appellatus, sibi alias elegit, quæ post Othonis mortem cum aliis concordiam inierunt.

Hic nummus argenteus inter rarissimos collocandus.

* S. P. Q. R. OB C. S. *In corona querna.*

Nummus cusus inito vix principatu, militum præsertim assentatione, qui eum e cubiculo raptum, ita ut erat in veste domestica, Imperatorem consalutaverant, rati futurum civium servatorem, qui post Bebriacensem victoriam, *ut campos, in quibus pugnatum est, adiit, abhorrentes quosdam cadaverum tabem, detestabili voce confirmare ausus est, optime olere occisum hostem; & melius civem.* Suetonius in ejus vita c. 10.

(1) *Hic nummus ex auro rarus est, ex argento obvius.*

VE-

(1) In Thesauro Austriaco Vindobonensi, olim PP. Cart. Romæ.

VESTA P. R. QVIRITIVM. *Figura muliebris ſedens, dextra pateram, ſiniſtra facem ardentem.*

Triſtanus Veſtam in Vitellii nummo cuſam exiſtimat, quod quum eſſet ille Pontifex Maximus jus ſe in Veſtales habere denotaret; illas narrat Tacitus Hiſt. 3. Antonio Veſpaſiani duci obvias ad pacem pro illo impetrandam miſſas. *Obviæ fuere, & virgines Veſtales cum epiſtolis Vitellii ad Antonium ſcriptis.* Videant eruditi, ne ad Veſtæ templum ſub Nerone exuſtum, quod Vitellius reſtaurare cœpiſſet, illud pertineat, quod tamen ſub Veſpaſiano tantum perfectum eſt, ut ejus docent numiſmata.

Hic nummus argenteus rarus eſt, ex auro inter rariores reponendus.

* VICTORIA AVGVSTI. *Victoria gradiens dextra clypeum, in quo* S. P. Q. R.

Ob Victoriam contra Othonis exercitum reportatam Bebriaci, quod oppidum eſt Cremonam inter, & Veronam; ubi Otho, qui tamen pugnæ non adfuit, fraude potius, quam virtute hoſtium ſuperatus eſt.

(1) *Hic nummus aureus rarus eſt, ex argento obvius.*

XV. VIR SACR. FAC. *Tripus, cui impoſitus eſt delphin, infra corvus.*

Vitellius ſacerdotiis ornatus fuiſſe dicitur a Suetonio c. 5. antequam imperium arripuiſſet, *Sacerdotiis ampliſſimis auctus*; nummus ejus unum ex Quindecim viris fuiſſe denotat; ii curam habebant Sibyllinorum librorum, & ſacra faciebant Apollini, quod ille eas vaticinari docuerat. Tripus huic deo ſacer, ſicut corvus ex avibus erat, qui apud Statium l. 3. Theb. dicitur *Corvus non obſcurus tripodum.* Delphin vero ex piſcibus, Apollo enim in Delphinum tranſmutatus eſt ex Homero: vide Spanhemium pag. 197.

Hic nummus ex auro tantum rarus eſt.

(1) In Theſauro Fridericiano Saxengothano.



VESPASIANI nummi ex auro, & argento triti sunt.

IMP. CAESAR VESPASIANVS AVG. *Caput Vespasiani laureatum.*
AETERNITAS. *Figura muliebris stans velata, una manu solis caput, altera lunæ sustinet.*
Alludit Vespasianus per hæc duo sidera solem, & lunam tanquam æternitatis symbola, ad æternitatem imperii Romani per duos filios Titum, & Domitianum a se prospectam, hoc modo imperium in æternum domui, & familiæ alligasse existimans.
Hic nummus ex auro rarus est.

* AVG. *In corona quercea.*
Quum alios nummos in argento Vespasianus signari jusserit cum epigraphe AVGVR, adpositis vasis Pontificalibus, eamdem epigraphen AVG*ur* in corona civica signatam voluisse credibile est: plura enim læta auguria, & signa, quæ a Suetonio referuntur in ejus vita c. 5. ejus ad Principatum adventum, eaque ratione ad servandos cives præcessere.
(1) *Hic nummus ex argento non obvius est.*

* IMP. CAES. VESP. AVG. *Caput Vespasiani laureatum.*
CAESAR AVG. TR. P. CAESAR AVG. F. COS. *Capita adversa Titi, & Domitiani.*
Ambo filii Vespasiani exhibentur in hoc nummo, Titus quidem cum titulo Auguris, & Domitianus Augusti filius, & Consul suffectus prima

(1) In museo Editoris.

ma vice anno v. c. 823. Kalendis Julii. Neque enim legendum est in epigraphe CAESAR AVG*ustus*, sed AVG*ur*, quum Augusti cognomen non assumpserit, nisi post mortem Vespasiani, quocum tamen communem habuit tribunitiam potestatem.

(1) *Hic nummus aureus rarioribus adnumerandus.*

CAESAR AVG. F. COS. CAESAR AVG. F. PR. *Capita Titi, & Domitiani adversa.*

Percussus est hic nummus patris cum capitibus Titi, & Domitiani filiorum, quando Senatus Consulem cum patre majorem designasset anno 823. & præturam juniori Domitiano decrevisset. De quibus Tacitus Hist. 4. *Ipsi consulatus cum Tito filio, prætura Domitiano, & consulare imperium decernuntur.*

Hic nummus argenteus inter rariores habendus.

CONSENS. EXERCIT. *Duæ figuræ togatæ dextras sibi jungentes, utraque læva scipionem eburneum gerunt.*

Duo sunt hi provinciarum præsides, Syriæ nempe, & Ægypti, qui dextras sibi porrigunt ad Vespasianum suarum legionum consensu procreandum Imperatorem, *Tiberius Alexander præfectus Ægypti*, apud Suetonium c.6. in Vespasiano, *primus in verba Vespasiani legiones adegit Kal. Julii, qui principatus dies in posterum observatus est*, Mucianus paulo post, in Syria.

Hic nummus ex auro, & argento rarissimus est.

DE IVDEIS. *Trophæum.*

Quum Judæi sub Nerone rebellassent, cæso Romano præposito, ad quem motum comprimendum cum exercitu ampliore missus fuerat Vespasianus, qui iis oppressis, & capta eorum urbe Hierosolyma, triumphum egit: hoc de illis adpositum est trophæum.

Hic nummus aureus, ut & argenteus rarus est.

DIANA EPHESIA. *Diana Polymamma stans cum verubus, seu adminiculis.*

Diana polymamma cum fulcris cælata, nummum in Vespasiani honorem ab Ephesiis, ubi hæc præcipue colebatur, & unde hæc cogno-

(1) In Thesauro Fridericiano Saxengoth. ex Liebe in Goth. Numm.

gnominata est Ephesia, percussum indicat: similem ex ære possidemus cum epigraphe Εφεσίων. Horatius 1. Carm.

Urbs Asiana Ephesus, templo celebrata Dianæ.

Hic nummus maximi moduli rarissimus est.

DIVVS AVGVSTVS VESPASIANVS. EX S. C. *Carpentum a quatuor equis tractum.*

Mortuo Vespasiano, ille a Tito filio consecratus est, cujus rei testes, Eutropius lib. 7. *Atque inter divos relatus est*, & nummi, in quibus ejus carpentum per pompam Circensem tractum, & quidem ex Senatusconsulto. Flamen ipsi decretus est, & M. Bæbium ejus sacerdotio initiatum fuisse docet vetus inscriptio apud Onuphrium.

Hic nummus aureus rarus est.

IMP. CAES. TRAIAN. AVG. GER. DAC. P. P. REST. *Sedes curulis, supra quam fulmen.*

Fulmen nemo nescit imperii symbolum fuisse, illud autem in hoc nummo sellæ curuli in memoriam Vespasiani consecrati impositum est: hæc in templo ponebatur in signum summæ erga novum deum reverentiæ, cujus honoris memoriam Trajanus tanto principi restituit.

Hic nummus aureus pro raro habendus est.

Eadem epigraphe. Trophæum.

Trophæum illud de Judæis est, quod in nummis Vespasiani ob hanc ab eo principe gentem penitus deletam jam supra vidimus, cujus etiam monumentum in nummis huic Imperatori a se restitutis Trajanus renovare voluit.

Hic nummus ex auro rarus est.

Eadem epigraphe. Captivus genuflexus manibus post terga revinctis.

Vir ille, Judæus est; genuflexus ut supplex, manibus post terga revinctis ut captivus, forsan Simon Gioræ, qui solus in triumpho capitis supplicium tulit, teste Dione. Porro quisquis sit, ad arguendam Judæam a Vespasiano captam fuisse exhibetur, cujus egregium belli facinus Trajanus in nummis a se restitutis iterum expressit.

Hic nummus ex auro rarus est.

IMP. T. CAES. VESP. *In aliis* IMP. CAES. VESPAS. TR. P. II. COS. II. *Caput Titi sine laurea.*
Titus in aversa patris nummi parte signatus est ob consulatum primum, quem cum patre gessit an. 823. de quo Dio lib. 76. *Praeterea Vespasianus, & Titus absentes consularem dignitatem accipiunt. Horum alter in Ægypto, alter in Palaestina erat.* Titus nudum habet caput, quum adhuc Cæsar esset.
Hic nummus ex auro rarissimus est.

IMP. V. P. P. COS. II. DESIG. III. *Roma galeata sedens, dextra porrigens Victoriolam figurae togatae stanti, dextra hastam gerenti.*
Roma sedet ut dea, quæ victoriam Vespasiano togato porrigit, quum de Hierosolyma a Tito capta nuntium accepit, sic patri ob filium gratulata: nam urbem octavo die Septembris, secundo Vespasiani principatus anno cepit, cum pater eodem mense se consulem designasset, ut notat nummus, & ob eam rem Imperator V. appellatus fuisset.
Hic nummus aureus inter praestantiores adscribendus est.

IUDAEA DEVICTA. *Mulier lugens stat juxta palmam arborem.*
Judæa, per mulierem hanc manibus revinctis juxta palmam arborem stantem, exprimitur; ob provinciam rebellem a Vespasiano per Titum devictam. Palma pro ejus symbolo adponitur ex Levit. 23. Palma ideo Judæam designat, quod ea potissimum regio palmis abundaret, & quod Judæi in sacris suis ejus foliis uterentur. Vide Patinum.
Hic nummus argenteus obvius est, aureus vero rarus.

LIBERI AVG. VESPASIAN. *Capita adversa Titi, & Domitiani.*
Titus, & Domitianus dicuntur in hoc nummo Liberi Augusti Vespasiani, quorum mater fuit Flavia Domitilla ut apud Suetonium c. 3. declaratur. *Inter haec Flaviam Domitillam duxit uxorem.... Ex hac liberos tulit, Titum, & Domitianum*, uterque alternis vicibus post patrem regnavit, sed ambo sine prole mortui sunt.
Hic nummus argenteus inter rariores locandus.

LIBERI IMP. AVG. VESPAS. *Duae figurae velatae stantes, dextra pateram.*
Velati stant cum patera Titus, & Domitianus, sacerdotiis a patre in

in ſpem futuri imperii ſucceſſionis honorati; qui mos ab Auguſto petitus, quum Cajum, & Lucium a ſe adoptatos, illum inter Pontifices, & hunc inter Augures cooptaſſet.
Hic nummus argenteus rarus eſt, & elegans.

MARS VLTOR. *Mars gradivus, dextra haſtam, ſiniſtra trophæum.*
Martis Ultoris templum Auguſtus vovit pro paterna ultione, & illud in Capitolio conſtruxit teſte Dione lib. 53. quum autem a Vitellianis Capitolium fuiſſet incenſum, pariter & hoc templum videtur crematum, quod Veſpaſianum reſtauraſſe indicat nummus: quippe ex Suetonio c. 8. *Ipſe reſtitutionem Capitolii aggreſſus, ruderibus purgandis manus primus admovit.*
Hic nummus ex auro rarus eſt.

PACIS EVENT. *Figura virilis nuda, dextra pateram, ſiniſtra ſpicas, & papavera.*
Bonus Eventus inter Conſentes deos a Romanis cultus, ut pote qui agriculturæ præeſſet, de quo egimus: illius ſtatua a Praxitele facta, ſimilis erat huic figuræ, quæ ſub epigraphe *Pacis Eventus* dicitur, quaſi Veſpaſianus inſinuare voluerit, per proſperum pacis eventum majorem eſſe ad agriculturam diſpoſitionem.
Hic nummus argenteus inter præſtantiores numeratur.

PACI ORBIS TERR. AVG. *Caput muliebre* EPE.
Deæ Pacis effigies eſt, quam maxime coluit Veſpaſianus, & in cujus honorem templum a Claudio inchoatum foro proximum abſolvit: quod ipſomet VI. & Tito IV. conſulibus dedicavit anno 828. teſte Dione: in eo repoſita ſunt, ſi Hieronymo fides, vaſa, & donaria templi Hieroſolymitani a Tito Romam allata.
Hic nummus argenteus rarus eſt.

TITVS CAES. DOMIT. CAES. PRINC. IVVENT. *Duæ figuræ equeſtres dextra haſtas gerentes.*
In equis ſunt Titus, & Domitianus, ut juventutis principes, nam hi pueris majoribus, & minoribus in ludis præerant: non erant illi proprie magiſtratus, ſed tamen ad eos capiendos deſignabantur: De ipſis Dio lib. 66. *His rebus geſtis, Veſpaſianus etiam a Senatu creatur Imperator, Tituſque, & Domitianus Cæſares deſignantur.*
Hic nummus argenteus, & aureus inter raros adſcribitur.

TITVS

TITVS ET DOMITIAN. CAESARES PRIN. IVVEN. *Titus, & Domitianus sedentes, dextra olivæ ramum tenentes.*

Sedentes in curulibus Titus, & Domitianus in nummo exhibentur, ut in muneribus constituti; ille enim Consul factus fuit, hic Prætor, utriusque dignitatis sella eburnea, quæ curulis dicta, insigne fuit, cujus jus illis magistratibus competebat.

Hic nummus argenteus inter rariores reponendus est.

T. CAESAR. *Titus in quadrigis dextra ramum, sinistra scipionem eburneum.*

Titus Hierosolyma capta, in Urbem reversus cum patre, de Judæis triumphavit anno 824. ideo in parte aversa Vespasiani quadrigis triumphalibus invectus exhibetur: dextra rami laurum gerit, ut Orientis pacificator, sinistra scipionem eburneum, Consulum insigne.

Hic nummus argenteus rarus est, & elegans.

* TR. POT. X. COS. VIIII. *Columna rostrata, cui insidet simulacrum nudum capite radiato, dextra hastæ innixum, sinistra parazonium tenens.*

Columna rostrata fortasse illa est, de qua Suetonius in vita Galbæ c. 23. *Senatus, ut primum licitum fuit, statuam ei decreverat rostratæ Columnæ superstantem in parte fori, qua trucidatum est; sed decretum Vespasianus abolevit.* Loco Galbæ, Solis statua superimposita est columnæ, ut ostendit caput radiatum a fronte habitu imperatoris, vel fortasse relicta est eo loci Augusti statua, quæ in simili Augusti nummo insculptā cernitur.

(1) *Hic nummus ex argento rarus est.*

TRIVMP. AVG. *Currus triumphalis, in quo Imperator coronatus a Victoria, canente buccinatore, & duobus captivis manibus post terga revinctis præeuntibus.*

Vespasianus, & Titus eodem die de Judæis seorsim triumpharunt, ideo nummi seorsim cum triumphalibus quadrigis iis cusi sunt, prout utrique triumphum Senatus proprium decreverat, teste Josepho. Duo illi captivi, Simon, & Joannes inter alios 70. duces præcipuè electi videntur.

Hic nummus aureus eximiæ raritatis, & elegantiæ est.

(1) In museo Editoris.

VESTA. *Templum rotundum cum tribus figuris stantibus.*

Vestæ templum, ob ejus a Vespasiano restaurationem exhibetur, nam in illo magno Romæ incendio arserat: rotundum est, ut referret terræ globum, ita a Numa Pompilio consecratum fuerat, teste Festo Pompejo. Vesta cippo imposita in aditu templi cernitur, hinc & inde statua ad ejus ornamentum.

Hic nummus aureus rarus est.

★ IMP. VESPAS. AVG. P. M. TR. P. P. P. COS. IIII. *Caput Vespasiani laureatum.*

VICTORIA AVGVSTI. *Victoria stolata stans a sinistris, læva palmam gerit, dextram imponit trophæo pulcherrimo militari erecto.*

Victoria hæc, quam Vespasianus retulit quarto suo consulatu, ut nummus præfert, ea est, qua Cæsonnius Petus Siriæ præses Antiochum vicit, Comagene subacta, & in P. R. potestatem redacta. Dextram imponit trophæo significans illud virtute militum partum, & in monimemtum Romanæ fortitudinis erectum.

(1) *Hic nummus aureus rarus est.*

VICTORIA IMP. VESPASIANI. *Victoria cippo imposita, dextra coronam, sinistra palmam.*

Victoria illa est Judaica, quam Vespasianus de hac gente reportavit; Imperatores autem extincta Juliæ gentis progenie, victoriam de nomine suo appellarunt, ut supra vidimus. *Victoria Galbæ, Victoria Othonis,* & nunc *Victoria Imp. Vespasiani,* ut quisque eorum familiam suam commendaret.

Hic nummus argenteus rarus est.

IMP. CAES. VESP. AVG. P. M. COS. IIII. *Caput Augusti laureatum.*

Sine epigraphe. Quadrigæ triumphales, in quibus Imperator paludatus.

Diversi sunt cusi de triumpho Judaico typi, quem Vespasiani cum magna fama egerunt, ut loquitur Suetonius, hi autem nummi, certa sunt gloriæ gentis Flaviæ, & P. Romani lætitiæ monumenta: neuter tamen *Judaicus* appellatus est, ob religionis odium, & gentis contemptum.

Hic nummus aureus rarus est, ex argento obvius.

Sine

(1) In museo D. Apostoli Zeno.

* *Sine epigraphe. Imperator armatus dextra hastam, sinistra parazonium, pede lævo calcans globum, & mulier stolata humi sedens, & cubito sinistro sustinens caput, palmæ arbore cum fructibus intermedia.*

Palmæ arbor, & mulier lugens aperte indicant Judæam a Vespasiano devictam: ob quam victoriam de gente indomita, & pervicaci relatam excisis Jerosolymis, urbe in Judæa principe omnem orbem domuisse Imperator sibi visus est.

(1) *Hic nummus ex argento rarus est.*

ΑΥΤΟΚΡΑ. ΚΑΙΣ. ΟΥΕΣΠΑΣΙΑΝΟΣ ΣΕΒΑΣΤΟΣ. *Caput Vespasiani laureatum.*

ΔΟΜΙΤΙΑΝΟΣ ΚΑΙΣΑΡ ΣΕΒ. ΥΙΟΣ. ΕΤ. Θ. *Domitianus togatus stans, dextra ramum gerit.*

Urbs Græca si nomen non adposuit, porro annum signavit, in quo nummum cudit ΕΤ. Θ. nono scilicet imperii Vespasiani; hæc principi gratulatur per filium Domitianum, quem dextra rami laurum gerentem exhibet, pace nempe cum Sarmatis inita, postquam anno 729. eos legione cum legato simul cæsa tumentes profligasset, ut ex Suetonio discimus.

Hic nummus maximi moduli rarissimus est.

* ΑΥΤΟΚΡΑ. ΚΑΙϹΑΡ ΟΥΕϹΠΑϹΙΑΝΟϹ ϹΕΒΑϹΤΟϹ. *Caput Vespasiani laureatum.*

ΕΤΟΥϹ ΙΕΡΟΥ. *Mons argeus, in cujus vertice simulacrum nudum, dextra pateram, sinistra hastæ innixum.*

Cæsaræa Metropolis Cappadociæ montem Argæum, quasi divinitatis aliquid ipsi inesset, tamquam numen colebat. In ejus vertice Vespasiani simulacrum posuit, cui thus adoleret, & sacra ageret, novum Deum in Vespasiano agnoscens, a quo magis sacer locus fieret, & sacer annus inchoaret.

(2) *Hic nummus ex argento rarus, & præclarus est.*

ΕΤΟΥΣ ΝΕΟΥ ΙΕΡΟΥ. Α. *Aquila insistens fulmini rostro coronam.*

Plurimi observantur nummi imperiales argentei cum hac epigraphe ΕΤΟΥΣ ΝΕΟΥ ΙΕΡΟΥ, & anno addito; diversi sunt typi, prout

(1) In museo Editoris. (2) In eodem museo.

prout in variis urbibus percussi; omnes sunt tetradrachmi, primusque occurrit sub Vespasiano cum nota A. id est *anno primo*, quem de *anno novi Templi* interpretatus est doct. Seguinus, æra nempe computata a reparato sub Vespasiano Jovis Capitolini templo; sed quum hæc stare nequeat, de *anno novo sacro primo* intelligendum videtur. Fulmen aquilæ pedibus subjectum, nummum Seleuciæ ad ostia Orontis signatum denotat.

Hic nummus tetradrachmus ex argento inter rariores reponendus.

ΕΤΟΥΣ ΝΕΟΥ ΙΕΡΟΥ. Β. *Aquila alis expansis insistit clavæ.*

Aquila Jovis ales, hujus dei frequens symbolum, forsan illustrem Spanhemium pag. 881. in Seguini sententiam *anni novi Templi* traxit; sed Jupiter in nummo ab eo vulgato, Capitolinus non est, sed Salaminius, ut infra videbimus; nec aquila in hoc, cum anni secundi nota, ad Jovem spectat: imperii Romani insigne est in variis Syriæ, & Phœniciæ urbibus, ut norunt tyrones, obvium, quæ pro nomine urbis sæpe illius symbolum posuere, quale clava, cui insistit aquila, Tyrum denotat, ob Herculem ibi cultum.

Hi nummi ex maximo modulo apud Tyrios cusi inter rariores habendi sunt.

ΦΛΑΥΙ. ΟΥΕΣΠ. ΚΑΙΣ. ΕΤΟΥΣ ΝΕΟΥ ΙΕΡΟΥ. *In area* Β̄. *Caput Titi laureatum, pone illud stella.*

Caput Titi in aversa Vespasiani parte exhibetur cum epigraphe *anno novo sacro secundo*. Vespasianus autem quum post tres principes, sub quibus afflicta, nutansque Respublica fuerat, Imperator fuisset ab omnibus appellatus, in omen, & augurium fausti, sanctique ejus imperii, quod ille rem Romanam renovaturus, atque restauraturus esset, anni ejus sacri vocati sunt, cujus memoriam Syriæ, Phœniciæ, & aliquot urbes in nummis suis consecrarunt. Stella in area nummi hunc Aradi Phœniciæ cusum, ut in nostra Regum Syriæ Historia notavimus, indicat.

Hic nummus tetradrachmalis eximiæ raritatis est.

ΕΤΟΥΣ ΝΕΟΥ ΙΕΡΟΥ Δ. *Aquila basi insistens inter alam dextram caduceum gerit, pro illius pedibus, ex modio duæ spicæ prodeunt.*

Per aquilam aræ encarpis ornatæ insistentem, & per caduceum pacis symbolum, urbs, quæ nummum cudit anno novo sacro (id est impe-

imperii Veſpaſiani) quarto, ad templum Pacis, quod ille princeps ſub Claudio inchoatum, perficere curabat, reſpexiſſe videtur: niſi mavis typum ad pacem in orbe Romano deſignandam referre. Palmæ ramus nummum Apamææ cuſum denotat, ut in noſtra Regum Syriæ Hiſtoria diximus.
Hic nummus maximi moduli inter rariores locandus eſt.

ΕΤΟΥΣ ΝΕΟΥ ΙΕΡΟΥ Η. *Templum Veneris Paphiæ, in cujus medio Dea ſub metæ forma.*
Templum Veneris Paphiæ ab omnibus Antiquariis notum in Veſpaſiani nummis cum epigraphe *anno novo ſacro octavo*, nos edocet Paphios Cypri nummos ſuos Veſpaſiano dedicaſſe, ut, & Syros, & Phœnices cum ſimili elogio principis, præſertim quum ab eo pecuniam ad reparandam urbem terræ motu hoc anno afflictam accepiſſent; de quo Euſebius, *tres civitates Cypri terræ motu occiderunt. Unde Sibyll. Carmina.*

Καὶ τότε δὴ Σαλαμῆνα Παφονθ' ἅμα σεισμὸς ὀλέσσει
Κύπρον ὅταν περίκλυσον ὑπερκλονέη μέλαν ὕδωρ.

Ex inundatione terræ motum ſequuturum innuunt.
Hic nummus tetrachmalis elegantiſſimus, & rariſſimus eſt.

ΕΤΟΥΣ ΝΕΟΥ ΙΕΡΟΥ. Η. *In aliis Θ. Jupiter barbatus, dextra pateram, ſiniſtra innixa ſcipioni, cui aquila inſiſtit.*
Salamina Cypri urbs eodem terræ motu, quo Paphos, vexata, a Veſpaſiano etiam aliquid ad urbem reſtaurandam accepiſſe videtur, cujus memor Jovem ſuum Salaminium in nummo expreſſit: de quo Tacitus ann. 3. quum tria Cypriorum templa laudat, *Et Jovi Salaminio Teucer Telamonis patris ira profugus, poſuiſſet*, Non ille eſt igitur Jupiter Capitolinus, ut exiſtimavit P. Seguinus. Vide Druſi nummum in noſtro de Colon. lib. pag. 135.
Hic nummus argenteus maximi moduli rarus eſt.

DO-



DOMITILLÆ nummi ex argento inter rariores, ex auro rariſſimi ſunt.

DIVA DOMITILLA AVG. *Caput Domitillæ.*
DIVVS AVGVSTVS VESPASIANVS. *Caput Veſpaſiani radiatum.*
Domitillæ Veſpaſiani uxoris nummi, a Tito filio in ejus memoriam percuſſi ſunt, quando ille matrem cum patre conſecravit anno 632. ideo Veſpaſianus ab una parte nummi corona radiata divinitatis ſymbolo ornatur, & ex altera cum divæ nomine Domitilla inſcribitur.
Hic nummus aureus rariſſimus eſt.

FORTVN. AVGVSTAE. *Fortuna ſtans cum temone, & cornucopiæ.*
Fortunæ Auguſtæ typus, Domitillæ inter divos relatæ minime convenit: ideo mihi ſuſpectus omnino factus eſt hic nummus, quem a novo artifice eximie elaboratum auguror.
Hic nummus ex argento, niſi ſuſpectus eſſet pro rariſſimo habetur. [*Extat in muſeo D. Apoſtoli Zeno integerrimus, & extra omne dubium falſitatis.*]


PACI AVGVSTAE. *Figura muliebris ſtolata ſtans, dextra florem, læva veſtem ſublevat.*
Frequens eſt hic Veſpaſiani typus, quem a monetario in averſa Domitillæ nummi parte adhibitum opinor; quum Domitillæ inter divas relatæ non conveniat. Veſpaſianus hunc Pacis Auguſtæ typum in

in Claudio obvium renovavit, ob templum hujus deæ ab eo principe inchoatum, a ſe tandem perfectum.
Hic nummus argenteus pro raro habendus.

PIETAS AVGVST. *Figura muliebris ſedens, pro pedibus puerulus.* Pius in matrem Titus eam inter divas retulit, ob pietatem, quam illa in ipſo educando, & tutando adhibuit; cujus memor, illam Pietatis habitu velatam ſedentem repræſentari juſſit, cui puer adſtat prætexta toga veſtitus, quam gerere ſolebant nobiles uſque ad 17. annum.
Hic nummus argenteus inter rariores habendus eſt.



TITI



TITI VESPASIANI nummi ex auro, & argento frequentes, & obvii ſunt.

T. CAES. VESPASIANVS AVG. *Caput Titi laureatum.*
IMP. CAES. TRAIAN. AVG. GER. DAC. P. P. REST. *Trophæum.*
Inter Imperatorum nummos a Trajano reſtitutos, Titi præ cæteris crebrius parantur, quod ejus memoria præcipue apud Trajanum culta ſit. Trophæum illud de Judæis eſt, quos Titus ſubegit, & illi teſte Dione lib. 66. *Juſſi ſunt quotannis didrachmum pendere Jovi Capitolino.*
Hic nummus aureus inter elegantiores habendus eſt.

Eadem epigraphe. Sella curulis, ſupra quam fulmen.
Fulmen, imperii ſymbolum omnes eſſe norunt, ut & ſellam auream a Senatu decretam; hæc autem in theatra inferebatur, atque in circum introducebatur, ut meminit Dio lib. 46. Sella quidem eburnea Romanos magiſtratus deſignabat, ſed aurea ſupremi honoris inſigne fuit.
Hic nummus aureus ejuſdem eſt raritatis, & præſtantiæ, ac ſuperior.

IVLIA AVGVSTA DIVI TITI F. *Caput Juliæ ejus filiæ.*
Julia Titi filia in averſa patris nummi parte cælata eſt, poſtquam Domitianus fratrem inter deos retuliſſet, & neptem marito Sabino, conceſſo ei Auguſtæ nomine, abſtuliſſet, de qua Dio lib. 667. *Palam cum fratris ſui filia Julia, tanquam cum uxore cohabitabat.*
Hic nummus aureus ſummæ raritatis, & elegantiæ eſt.

P. M.

P. M. TR. P. VIII. COS. VII. *Imperator in quadrigis, dextra ramum, læva ſceptrum, in cujus apice globus.*
Triumphi Judaici typus in nummis Titi renovatur, tanquam æternum ejus rei monumentum, dum ille imperium patre mortuo anno 832. ſuſcepit; ille autem tunc Trib. poteſtatem VIII. gerebat, & conſulatum VII. hoc anno cum parente inibat, ut teſtantur nummi ejus cum his titulis percuſſi.
Hic nummus argenteus rarus eſt, ex auro rarior.

Eadem epigraphe. Quadrigæ ducentes currum, in quo flos quidam.
Pro Tito in quadrigis triumphante, ſuper eas flos, ſeu herba, quam gerere ſolet dea ſpes, collocatur, ad denotandam Reipublicæ ſpem in armis Titi victricibus poſitam eſſe per triumphum de Judæis actum. Ter a Romanis ducibus capta eſt Hieroſolyma; nam ante Titum, Pompejus illam ceperat, & Soſius ſub Antonio.
Hic nummus argenteus rarus eſt, ex auro rarior.

PONT. MAX. *Imperator eques, dextra ſpiculum gerens.*
Pontificis maximi dignitatem in ſe perpetuam tranſtulerunt Imperatores, quæ, ut conſulatus, & Trib. poteſtas, non renovanda, quia erat ad vitam. Paludatus in equo eſt Titus cum hoc titulo, tanquam ad Britannicam expeditionem promptus, quod ſacra facere poſſet tam uti Pontifex, quam ut Imperator, ut liquet ex Lampridio in Severo.
Hic nummus ex argento inter elegantiores recenſetur.

PRINCIP. IVVENTVTIS. *Figura togata equeſtris, dextra erecta.*
Principis juventutis dignitas in eos, quos Imperatores ſibi ſucceſſores deſtinabant, primum ab Auguſto translata eſt; his, depoſita prætexta, toga virilis dabatur, ſi eam nondum accepiſſent; hac autem ſumpta, ſtatim in Capitolium ad Jovis ædes ibant: ideo Titus toga indutus in equo ſignatur.
Hic nummus maximi moduli eximiæ raritatis eſt.

TR. P. IX. IMP. XV. COS. VIII. P. P. *Fabrica pulcherrima.*
Icon eſt templi a Tito in honorem patris extructi in regione VII. quod dictum eſt templum Flaviæ gentis, ſed P. Victor de regionibus Urbis innuere videtur Domitiani illud poſtea Minervæ, ab eo

ſuperſtitioſe cultæ, & dictæ Flavianæ, dedicaſſe. *Templum Minervæ Flavianæ, alias templum gentis Flaviæ.*
Hic nummus argenteus eximiæ raritatis, & elegantiæ.

VENUS VICTRIX. *Figura muliebris ſtolata ſtans, dextra galeam, ſiniſtra haſtam.*
Venus Victrix a vincendo dicta, cui ædem dedicavit Pompejus M. in Titi nummo exhibetur, in gratiam Berenices Judæorum Reginæ ab eo maxime dilectæ, quam in palatio cum fratre Agrippa collocaverat; ei nupturus erat, niſi P. Romanus id ægre tuliſſet; illam porro invitus dimiſit, ex Sueton. & Tacito.
Hic nummus aureus rarus eſt.

VESTA. *Templum rotundum cum tribus figuris, ut in patre Veſpaſiano.*
Veſtæ templi icon in nummo Titi, ut in patre, repræſentatur, ob ipſius ab iis reſtaurationem, quum illud in magno illo Romæ incendio conflagraſſet, ex Tacito, ut ſupra diximus.
Hic nummus ex auro pro raro habetur.

T. CAES. IMP. VESP. PONT. TR. POT. *Caput Titi laureatum. Sine epigraphe. Domitianus togatus eques dextram elevat, læva ſcipionem eburneum.*
Domitianus in nummis Titi, ut in patre, eques repræſentatur, qualis in pompa triumphali de Judæis progrediebatur: de quo Joſeph lib. 7. de bell. Jud. cap. 17. *Veſpaſianus prior ibat, & Titus deinde ſequebatur. Domitianus autem adequitabat, ipſe quoque ornatus pulchritudine, dignumque ſpectari exhibens equum.*
Hic nummus ex argento inter rariores adſcribendus.

★ *Sine epigraphe. Imperator armatus dextra haſtæ innixus, ſiniſtra parazonium tenens, pede lævo globum calcat: a ſiniſtris mulier ſtolata humi ſedens, cubito ſiniſtro ſuſtinet caput, palma arbore cum fructibus intermedia.*
Similis typus cernitur in nummo Veſpaſiani. Patri æque, ac filio tribuitur victoria de Judæis reportata; ſed potiori jure tribuenda eſt Tito, quam Veſpaſiano. Ipſe enim Jeroſolymas cepit, atque ſubvertit, & gentem obtrivit, ac pene delevit.
(1) *Hic nummus ex argento rarus eſt.*

Sine

(1) In muſeo Editoris.

Sine epigraphe. Columna rostrata, supra quam figura paludata stans, parazonio, & hasta insignis.

Columna illa rostrata videtur ea fuisse, quam narrat Suetonius in fori parte Galbæ a Senatu decretam, in cujus imperatoris loco, posita est Vespasiani statua, ob victoriam contra Judæos ab eo relatam in lacu Genasar; de qua vide Josephum bell. Jud. lib. 3. c. 19. & cujus meminit in triumpho ejusdem principis lib. 7. c. 17. *Multæ etiam sequebantur naves*. Unde in patris, & filii nummis *Victoria navalis*.

Hic nummus aureus rarior est argenteo.

Sine epigraphe. Roma augurium captans, clypeis insidet inter duas aquilas, aut vultures, cum lupa, & puerulis.

Roma insidet clypeis ut victrix; adstat lupa cum puerulis, tanquam ejus symbolum; advolant duo vultures, in memoriam illorum, quos viderat Romulus: qui typus in nummo Titi signatus videtur, quod ille Judæos subegerit faustis captis auguriis; Roma autem adhibetur cum Romulo, quod primi Augures ab illo Romæ conditore instituti sint.

Hic nummus argenteus rarior est aureo.

* *Sine epigraphe. Thensa, in qua figura sedet dextra hastæ innixa, & læva protensa pateram tenens. Thensam trahunt duo elephantes cum sessoribus.*

Vespasiani patris apotheosim voluit Titus in hoc nummo repræsentari. Thensa genus erat vehiculi, quo defuncti viri principes per circum ad rogum deferebantur. Elephantes symbolum sunt æternitatis: & figura sedens simulacrum erat ipsius Vespasiani inter Divos jam relati, vel proxime referendi.

(1) *Hic nummus argenteus rarissimus, & præstantissimus est.*

* IMP. TITVS CAESAR VESPASIANVS AVG. P. M. *Caput Titi laureatum.*

Sine epigraphe. Aquila legionaria inter duo signa militaria.


Cusus hic nummus est a Tito sub initium imperii defuncto Patre, cujus nomen adsumpserat cum titulo Augusti, & Pontificis maximi; ut fortassis celebraret Kalendas Julii, quibus legiones Ægypti pri-

(1) In museo D. Ab. de Rothelin.

mæ, suadente Tiberio Alexandro Ægypti præfecto, Vespasianum Imperatorem consalutarunt; ut refert Suetonius c. 6. *Tiberius Alexander præfectus Ægypti primus in verba Vespasiani Legiones adegit Kalendis Julii, qui principatus dies in posterum observatus est.* (1) *Hic nummus argenteus maximi moduli inter rarissimos collocandus est.*

ΝΕΟΥ ΙΕΡΟΥ Β. *Aquila rostro coronam, insistens fulmini.*
Observavimus Vespasiani nummum cum epigraphe ΕΤΟΥΣ ΝΕΟΥ ΙΕΡΟΥ Α. id est anno novo sacro primo, & Aquila fulmini insistente, quem, ob fulmen Seleuciæ ad Orontis ostia symbolum, ab ipsa urbe cusum protulimus. En alter Titi anno secundo signatus, qui sub patre cælari potuit, quum iidem typi in utroque frequentes sint: testis nummus, in quo pater hinc, & inde filius, cum eodem anno novo sacro secundo, in Vespasiani nummis a nobis descriptus.
Hic nummus didrachmalis pro rarissimo habendus.

ΕΤΟΥΣ ΝΕΟΥ ΙΕΡΟΥ Η. *Templum Veneris Paphiæ, ut in patre Vespasiano.*
Templum Veneris Paphiæ in hoc Titi nummo, illum a Paphis insulæ Cypri percussum arguit, ut similis æreus in patre cum lemmate ΚΟΙΝΟΝ ΚΥΠΡΙΩΝ ΕΤΟΥΣ Α. sed in argenteis additum est ΝΕΟΥ ΙΕΡΟΥ Η. id est, *anno novo sacro octavo*: at quum in illis solis hoc schema occurrat, id explicabit vir eruditus Nicolaus Toinardus, qui de his nummis parat dissertationem.
Hic nummus maximi moduli inter rarissimos, & elegantissimos reputandus est.



JU-

(1) In museo D. Apostoli Zeno.



JULIÆ TITI nummi ex argento rari, ex auro sunt rarissimi.

IVLIA AVGVSTA DIVI TITI F. *Caput Juliæ.*
CONCORDIA AVGVST. *Pavo cauda expansa.*
Nomen divi Titi filiæ, quod sibi assumit Julia, nummum post patris mortem denotat percussum, quando illa a Domitiano patruo accepta est in conjugem, exemplo Claudii cum Agrippina nepte. Pavo ad ejus concordiam cum Domitiano consorte indicandam exhibetur; ille enim sacratus erat Junoni, quæ nuptiis præesse existimabatur.
Hic nummus argenteus rarissimus est.

IVLIA AVGVSTA. *Caput Juliæ.*
DIVI TITI FILIA. *Pavo cauda expansa.*
Idem Pavonis typus, licet sine epigraphe, ad concordiam Juliæ cum Domitiano denotandam percussus est ob eorum nuptias, quibus præfuisse Junonem denotat ejus ales, huic deæ sacra; quod in Samo, ubi illa adoleverat, & Jovi nupserat, primi Pavones, l. 14. c. 20. teste Athenæo, fuerant editi, ac educati.
Hic nummus aureus rarissimus est.

DIVVS TITVS AVGVSTVS. *Caput Titi radiatum.*
Titum a Domitiano consecratum tantum narrat Suetonius c. 2. *Defunctumque nullo præterquam consecrationis honore dignatus.* Ideo nullos cum symbolis ejus consecrationis nummos ab eo cusos observavimus; hic videtur tantum in gratiam Juliæ filiæ signatus cum divi epigraphe, & corona radiata insignis.
Hic nummus aureus eximiæ raritatis, & elegantiæ est.

VE-

VESTA. *Figura velata sedens, dextra palladium, sinistra hastam transversam gerit.*

Vesta exhibetur pro pudicitiæ typo; Augustæ enim nihil sanctius habebant, quam ut castæ apud populos existimarentur; sacerdotes autem, quæ Vestæ serviebant, dictæ erant Vestales castitatem ut moniales servantes per 30. annos, post quos iis nubere licebat. Palladium tenet, quod in Vestæ fano id esset depositum.

Hic nummus argenteus inter rariores numerandus est.

[*Verum maximi moduli ex argento raritatis est eximiæ, & singularis in museo D. Abb. Rothelin.*]

Sine epigraphe. Thensa a duobus elephantis vecta.

Julia patruo Domitiano oblata a patre, alteri collocata est, sed Tito mortuo ille eam ita dilexit, ut a marito abstulerit, & loco uxoris habuerit: defunctam inter divas retulit, cujus thensa symbolum est, ut & elephantes æternitatis, ob diuturnitatem vitæ.

Hic nummus argenteus eximiæ raritatis est.



DO-



DOMITIANI nummi ex auro, & argento triti, & frequentes sunt.

CAES. DIVI VESP. F. DOMITIAN. COS. VII. *Caput Domitiani.*
CONCORDIA AVG. *Mulier velata stans, dextra spicas, sinistra cornucopiæ.*
Cusus est post Vespasiani mortem nummus, quum Titus fratri Domitiano consulatum contulisset anno 833., quem hic gessit VII. In eo nummo expressa est Concordia ad illam inter fratres denotandam: unde per spicas annona populo abundans demonstratur, quod nihil optabilius ab eo requiratur.
Hic nummus argenteus rarus est.

★ DOMITIANVS CAESAR AVG. F. *Caput Domitiani sine laurea, cum pectore loricato.*
CONCORDIA AVG. *Mulier stolata sedens, dextra spicas, sinistra cornucopiæ.*
Eadem est epigraphe in hoc nummo, ac in superiore, sed non idem typus, neque ulla nota Consulatus: atque adeo quum ejus caput laurea non sit redimitum, opinor exhiberi in nummo Domitianum, statim ab imperio a Vespasiano patre suscepto, Cæsaris titulo insignitum. *Post victoriam*, inquit Suetonius c. 1. *demum progressus, & CÆSAR consalutatus honorem præturæ urbanæ cum consulari potestate suscepit titulo tenus.* Postica pars Concordiam præfert sedentem, quia illam Pater constantem, ac permanentem inter Titum, & Domitianum filios augurabatur.
(1) *Hic nummus ex argento eximiæ raritatis est.*

COS.

(1) Penes D. Marchionem Jo: Petrum Lucatellum.

COS. II. *in aliis* III. *Figura equestris dextram protendens*.
Figura illa equestris Domitiani cum toga, non videtur statua ipsi erecta, nam figuræ equestres togatæ in equo repræsentari non solebant; sed ille sic exhibetur, ut in pompa triumphi Judaici processit. Scipionem eburneum gerit, ad indicandum ipsi a Senatu collatum perpetuum proconsulare imperium, teste Tacito Hist. 4.
Hic nummus aureus rarus est.

* COS. XIIII. LVD. SAEC. FEC. *Salius dextrorsum gradiens, capite galeato, dextra bacillum, sinistra scutum, in quo caput Palladis*.
Salius huic nummulo insculptus non caduceum, ut Vaillantius describit, sed bacillum spissis nodis, seu globulis interdistinctum dextra gerit. Galea suis apicibus est ornata; & scutum caput Palladis præfert, quam præ ceteris numinibus Domitianus colebat.
(1) *Hic quinarius argenteus inter rariores, & elegantiores est referendus*.

DIVVS CAESAR IMP. DOMITIANI F. *Infans globo insidens, circumdatus stellis*.
Suetonius c. 3. Domitianum in secundo suo consulatu anni 826. filium ex Domitia uxore tulisse refert: nummi vero eum ad annum fere nonum pervenisse suadere videntur: si quidem tantum a patre consecratus est, postquam imperium ille suscepisset A. D. Id. Sept. an. 735. Stellæ septem illæ, Arctoi sideris sunt, pro æternitatis symbolo habitæ, apud Manilium lib. 1.
Hic nummus argenteus inter rarissimos collocandus est.

DOMITIA AVGVSTA DOMITIAN. IMP. *Caput Domitiæ*.
Domitia Domitii Corbulonis filia, L. Ælii Lamiæ uxor, a conjuge per Domitianum occiso abducta, ei nupsit, cui ille Augustæ nomen in gratiam pueri in lucem editi dedit: de qua Suetonius c. 3. *In secundo suo consulatu filium tulerat, alteroque anno consalutaverat* Augustam. Inde nummus.
Hic nummus aureus, & argenteus rarissimus est.

GER-

(1) In museo Editoris.

GERMANICVS COS. XV. *Quadrigæ triumphales aurigante Imperatore, dextra ramum, læva sceptrum.*

Bis de Germanis triumphavit Domitianus, si fides Suetonio c. 13. *post autem duos triumphos, cognomine* Germanici *sibi assumpto*: At vero licet ille post priorem, Germanici nomen acceperit, nulla in nummis ejus de primo triumpho memoria, omnes in hoc secundo percussi occurrunt.

Hic nummus ex auro rarus est, ex argento rarissimus est.

IMP. CAES. *Templum tetrastylum pulcherrimum, in conum desinens, in cujus medio Jupiter sedet cum hasta.*

Templum est Jovis in Capitolio a Domitiano extructum, ubi domus erat Æditui, qui eum servavit, quum Vitelliani arcem incenderunt. De illo Sueton. c. 5. *Novam autem excitavit ædem in Capitolio Custodi Jovi.* Tacitus in eo loco narrat Domitianum primo modicum sacellum, & aram posuisse, sed addit. *Mox imperium adeptus Jovi Custodi templum ingens sacravit.*

Hic nummus argenteus inter elegantiores habendus est.

Eadem epigraphe. Templum ut supra, in cujus medio stat Minerva cum clypeo, & hasta.

Minervæ templum est, cui nomen erat Flavianæ, quod in ejus honorem in regione Urbis septima excitavit, ob cultum, quo hanc deam præcipue prosequebatur, ut narrat Suetonius c. 15. *Minervam, quam superstitiose colebat*, ipsi etiam in Albano quotannis quinquatria celebrabat, cui collegium instituerat.

Hic nummus argenteus ejusdem elegantiæ, & raritatis est.

Eadem epigraphe. Templum exastylum, in cujus aditu tres figuræ, Vespasiani nempe, & filiorum stantes.

Templum est, quod Titus in honorem patris Vespasiani erexit post ejus apotheosim, & in quo repositus est; a Domitiano fratre inter deos etiam relatus: in eo pariter videtur statua Domitiani collocata, tanquam deus etiam, nam ille in epistolis scribebat ap. Sueton. c. 13. *Dominus, & deus noster sic fieri jubet.*

Hic nummus argenteus superiores præstantia superat.

★ IMP. CAES. DOMIT. AVG. GERM. P. M. TR. P. VIII. *Caput Domitiani laureatum*.

IMP. XIIII. COS. XIIII. CENS. P. P. P. *Victoria gradiens sinistrorsum, dextra lauream, sinistra palmam*.

Notæ istæ numerales, quibus indicantur anni Tribunitiæ potestatis, tituli Imperatoris, & consulatus Domitiani cum cognomine Germanici, hunc integerrimum nummulum Mediobarbo ignotum maxime notabilem reddunt, quo imperii Domitiani epocha illustratur, & quando Germanici cognomen sumpserit, certius determinatur.

(1) *Hic quinarius argenteus rarus, & elegans est*.

IMP. XXII. COS. XVII. CENS. P. P. P. *Ara, in qua duæ figuræ cum hastis insculptæ sunt, hinc, & inde aquila legionaria*.

Hæc ara videtur esse, quam Domitianus posuit in eo loco, ubi servatus, dum Capitolium arsit in bello Vitelliano, ut narrat Tacit. Histor. 3. *Ac potiente rerum patre, disjecto Æditui contubernio, modicum sacellum Jovi Conservatori, aramque posuit*, cui tamen tempus, quo cusus est nummus, dubium afferre potest.

Hic nummus ex argento rarissimus est.

DOMITIANO CAESARI PR. IVVENT. *Caput Domitiani nudum*.

IMP. T. CAES. *supra clypeum, sub quo duo spicula decussatim*.

Clypeus ille votivus esse videtur, quem Domitianus ob bellum Judaicum a Tito fratre susceptum vovit, & postea appensus est in ædibus Jovis Capitolini, quum supra eum scriptum sit *Imperator Titus Cæsar*, quem titulum ob hanc expeditionem accepit, in cujus memoriam Domitiano Cæsari nummus percussus est.

Hic nummus aureus inter rariores computandus.

IVPPITER CONSERVAT. *Aquila expansis alis fulmini insistens*.

Aquila pro ipso Jove hic accipitur. Aglastotenes dicit Jovem in Aquilam transfiguratum, Naxum, ubi nutritus fuerat, petiisse, & regnum accepisse: egresso vero de insula quum adversus Titanas proficisceretur, & sacra faceret, Aquilam ei auspicio apparuisse, & fulmina ministrasse, quam bono omine acceptam, tutelæ subjecit.

Hic nummus aureus rarior est argenteo.

LVD.

(1) In museo Editoris.

LVD. SAEC. FEC. COS. XIIII. *Corona quercea, in cujus medio cippus cum hac inſcriptione.*

In memoriam ludorum ſæcularium, quos ille edidit anno 841. quum ageret Trib. poteſtatem VIII. & Conſul eſſet XIIII. de quibus Suetonius c. 4. ait, *Fecit & ludos ſæculares, computata ratione temporum ab anno, non quo Claudius, ſed quo olim Auguſtus ediderat.* Plurimi occurrunt nummi ærei, in quibus eorum ritus obſervantur.

Hic nummus argenteus nec obvius, nec rarus eſt. [*Ex auro rariſſimus eſt: in theſauro Auſtriaco Vindobonenſi, olim* PP. *CC.*]

Eadem epigraphe. In cippo, ante ſtat Salius, dextra caduceum alatum gerit, læva clypeum.

Cippus ille videtur baſis ſtatuæ Domitiano conſecratæ, ob ludorum ſæcularium celebrationem ab eo factam, in qua eorum inſcriptio ponebatur, ut in Auguſto vidimus. Salius adeſt, ob ſaltationem militarem, quam in his agebant Salii Sacerdotes, a Numa inſtituti: hi apicibus ornati, & puniceas tunicas induti, clypeum gerebant.

Hic nummus argenteus rarior eſt ſuperiore: diverſi ſunt typi.

* CAES. DIVI F. DOMITIANVS COS. VII. *Caput Domitiani laureatum.*

PRINC. IVVENTVT. *Domitianus togatus in equo dextrorſum decurrens, dextra extenſa, ſiniſtra haſtam brevem.*

Conſulatum VII. iniit Domitianus cum Tito Conſule VIII. anno V. C. 833. Veſpaſiano extincto anno præcedenti. Statim a morte patris Titus principem juventutis eum declaravit, & ſucceſſorem imperii. *Fratrem inſidiari ſibi non deſinentem.....* inquit Suetonius c. 9. in Tito, *ne in minore quidem honore habere ſuſtinuit; ſed ut a primo imperii die conſortem, ſucceſſoremque teſtari perſeveravit.*

(1) *Hic nummus argenteus maximi moduli ſingularis raritatis eſt.*

PIETAT. AVGVST. *Figura muliebris ſedens, ante quam puerulus prætextatus ſtans.*

Mulier illa ſedens Domitia eſt ſub pietatis figura, ad denotandam

O 2 illam,

(1) In muſeo D. Abb. de Rothelin.

illam, quam mater in puero Domitiano educando adhibet, sed ille novennis obiit; ita ut ostensus, raptusque simul ut herba solstitialis. Domitianus pater in filium etiam pius inter deos consecravit, de quo vide Statium lib. 1.

Hic nummus argenteus rarus, & elegans est.

TR. POT. IMP. II. COS. VIII. DES. IX. P. P. *Pallas medio corpore, humeris hastam.*

Pallas in nummis Domitiani sæpe occurrit, ut peculiare ejus principis numen, cujus filius credi volebat, at quum ille se deum prædicaret, nec id dissuadere posset, Josephus dixit ei apud Judæos vulgare esse vaticinium, deum ex virgine aliquando nasciturum, sic Minervæ, quum illa esset virgo, se filium esse prædicaret. Ex Apollon.

Hic nummus aureus inter raros habendus.

* TR. POT. COS. VIIII. P. P. *Caduceus alatus.*

Bellum civile a L. Antonio superioris Germaniæ præside motum confecit Domitianus, quamvis absens, mira felicitate, juxta Suetonium c. 6. Caduceus insigne est pacis; additæque alæ celeritatis sunt indices, qua civile bellum extinctum fuit. Non extat hic nummus in Mediobarbo.

(1) *Hic quinarius argenteus rarus, & elegans est.*

DOMITIAN. CAES. AVG. F. *Caput Domitiani laureatum.*

VESTA. *Templum rotundum cum tribus figuris, ut in Vespasiano, & Tito.*

Vestæ templum in nummis Domitiani cælatum, non tanquam ab illo extructum repræsentatur, in eo enim tantum ille Cæsaris nomen habet; sed quum id a Nerone inchoatum perfecisset Vespasianus, ipsi, & filiis hujus templi icon dedicata est: porro dum esset Domitianus Cos. II. anno 826. illud videtur absolutum.

Hic nummus aureus inter rariores habendus est.

IMP. CAES. DOMITIANVS AVG. GERM. *Caput idem.*

VICTORIA AVGVST. *Victoria habens in clypeo* S. P. Q. R.

Domitianus primis imperii annis Germanici titulum accepit, etiamsi nul-

(1) In museo Editoris.

ſi nullam adhuc ſuſcepiſſet expeditionem, ut vox *Germ.* circa caput in ejus nummis confirmat, ſed poſt triumphos, teſte Suetonio, Germanici cognomen tulit, quod in averſa eorum parte repetitur, unde ad priorem triumphum ſpectare hanc victoriam conjicimus.
Hic nummulus aureus rarus eſt.

* ΚΑΙ. ΔΟΜΙΤΙΑΝΟϹ. ϹΕΒΑϹΤΟΥ ΥΙΟϹ. *Caput Domitiani laureatum.*

ΟΜΟΝΟΙΑ ϹΕΒΑϹΤΗ. *Mulier ſedens dextra pateram, ſiniſtra haſtam.*

Typus hic cum epigraphe *concordia auguſta* ad concordiam referri debet, quam Titus, & Domitianus inierunt mortuo Veſpaſiano. Quum enim Domitianus infenſus eſſet Tito, palamque patre defuncto jactaret *relictum ſe principem imperii*, ut ait Suetonius c. 2. *ſed fraudem teſtamento adhibitam*, Titus, princeps mitiſſimi ingenii, ut ſibi ejus benevolentiam conciliaret, teſtatamque populis faceret mutuam concordiam, ſibi eum Collegam in Conſulatu ſociavit anno V. C. 833. quo ambo Conſules proceſſerunt Titus VIII. & Domitianus VII.

(1) *Hic nummus argenteus inter rariores numerandus eſt.*

ΔΟΜΙΤΙΑΝΟϹ ΚΑΙϹΑΡ. *Caput Domitiani laureatum.*

* ΕΤΟΥϹ ΝΕΟΥ ΙΕΡΟΥ Θ. *anno nono. Jupiter ſtans cum patera, & haſta, cui aquila inſidet.*

Hic nummus omnem penitus abſtergit difficultatem, unde numerandi ſint anni iſti novi ſacri: Ab anno videlicet primo imperii Veſpaſiani; nono enim anno Veſpaſiani Domitianus dumtaxat Cæſar erat. In ſequenti autem nummo ſignatur annus octavus Domitiani jam Auguſti, & Germanici, nempe initio ducto ab anno primo ejuſdem imperii.

(2) *Hic nummus argenteus didrachmalis eximiæ raritatis eſt.*

ΑΥΤ. ΚΑΙΣΑΡ ΔΟΜΙΤΙΑΝΟΣ ΣΕΒ. ΓΕΡΜ. *Caput Domitiani laureatum.*

ΕΤΟΥΣ ΝΕΟΥ ΙΕΡΟΥ Η. *Aquila alis extenſis inſiſtit fulmini, ante eam palmæ ramus.*

Renovata in Domitiano ab urbe Seleucia Syriæ, epigraphe ΕΤΟΥΣ ΝΕΟΥ ΙΕΡΟΥ, ſententiam eorum, qui annos ſacros a reparato Romæ

(1) In theſauro Fridericiano Saxengoth. ex Liebe Goth. Numm. (2) In eodem theſauro.

mæ Templo Jovis Capitolini putarunt, penitus explodit: sed annos Vespasiani, in felix ejus imperii omen post nutantem rempublicam restitutam, novos & sacros fuisse dictos confirmat, quos etiam adulatorie in ejus filio Domitiano appellavit Seleucia.
Hic nummus maximi moduli eximiæ raritatis est.


ΑΥΤ. ΔΟΜΙΤ. ΚΑΙΣ. ΣΕΒ. ΓΕΡ. *Caput Domitiani laureatum.*
ΕΤΟΥΣ ΙΔ. ΥΠΑΤΟΥ ΙΖ. *Lyra, & ramus lauri.*
Lyra, & ramus lauri, Apollinis symbola nummum a Lappæis in Creta percussum arguunt, alios enim possideo æreos Domitiani cum epigraphe ΛΑΠΠΑΙΩΝ, in quibus stat Apollo cum lyra, & similes Augusti cum nomine ΑΠΟΛΛΩΝ: hic Lappæis libertatem concessit ex Dione, quam iis confirmasse videtur Domitianus.
Hic nummus argenteus rarus, & conspicuus est.

ΕΤΟΥΣ ΙΔ. ΥΠΑΤΟΥ ΙΖ. *Duæ lyræ caduceo intermedio.* [*In nummo integerrimo, qui est penes Editorem non intermediat lyras caduceus, sed illis noctua insistit, ut in simili nummo Nervæ, & Trajani.*] Similis fere typus a Lyttiis Cretæ in Nerva signatus, hunc etiam Domitiano cusum arguit. Lyræ, & caduceus Apollinem, & Mercurium Lytti cultos indicant, sed an duæ, quod ambo de lyra contenderunt, ut narrat Pausanias lib. 9. Anno imperii Domitiani decimo quarto cusus est nummus, quum ille consulatum XVII. gereret.
Hic nummus argenteus rarus est.

* *Sine epigraphe. Caput Domitiani laureatum; infra cujus collum* ΠΤ. *anno* 380.
ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΡΗΣΚΟΥΠΟΡΙΔΟΣ. *Caput Rescuporidis regis Bospori diademate redimitum.*
Æra Bosporana, ut dictum est in nummis Tiberii, & Agrippinæ, initium habuit anno V. C. 453. Additis annis in nummo consignatis 380. consurgit annus V. C. 833. quo anno, vel saltem initio subsequentis Domitianus iniit principatum. Rescuporis hic, tertius fortasse hujus nominis est Regum Bospori; primus enim Augusto imperante interfectus fuit; & alter sub Tiberio, dolis Pomponii Flacci, eodem Tiberio mandante, regno privatus, Alexandriæ occisus est. Vide Tacitum Annal. l. 2.
(1) *Hic nummus aureus didrachmalis præstantissimus est.*

DO-

(1) In museo D. Apostoli Zeno.



DOMITIÆ nummi ex argento inter rariores habentur, ex auro rariſſimi ſunt.

DOMITIA AVGVSTA IMP. DOMIT. *Caput Domitiæ.*
CONCORDIA AVGVST. *Pavo.*
Pavo in Domitiæ nummis ſignatur, ut in Julia Titi filia, ad deſignandam cum Domitiano conjugalem concordiam; hic Junoni, quæ nuptiis præerat, unde illi pronubæ nomen, ſacer erat.
Hic nummus argenteus, & aureus inter rariores habendus.

DIVVS CAESAR IMP. DOMITIAN. F. *Infans globo inſidens, circumdatus ſtellis.*
Quum filius Domitiæ, quem Domitiano peperit in ſecundo ejus conſulatu, puer novennis mortuus eſſet, a patre Domitiano inter deos relatus eſt, cujus memoria, in matris nummis, ut in patre, conſignata eſt. Vide, quid de ejus apotheoſi dixerit noſter Triſtanus tom. I.
Hic nummus argenteus inter rariores numerandus, ex auro præſtantiſſimus eſt.

IMP. CAES. DOMITIANVS AVG. P. M. *Caput Domitiani laureatum.*
Initio imperii Domitiani videtur hic nummus cum Domitiæ vultu in averſa conjugis parte ſignatus, ille enim Germanici titulum non præfert, quem anno primo non elapſo uſurpavit, quod etiam denotat eorum conjugium ante Domitiani imperium fuiſſe celebratum.
Hic nummus aureus, & argenteus rariſſimus eſt.

PIETAS AVGVST. *Figura muliebris ſedens, pro pedibus puerulus.*
Non ob pietatem, quam Domitia in Domitiano filio educando adhibuit, nummus hic videtur cuſus; ſed ob illam, quam in puero ſuo poſt mortem conſecrando teſtata eſt; ſimilis enim typus in æreo primæ formæ occurrit cum epigraphe *Divi Cæſaris matri*, quem illi Senatus dedicavit.
Hic nummus argenteus inter elegantiores adſcribendus.

VENVS AVG. *Venus ſtans ſeminuda columnæ ſiniſtra innixa, dextra galeam, ſiniſtra haſtam.*
Venus illa, Victrix eſt, quæ ita ſeminuda, & aperta depingitur, ut ejus corporis pulchritudo, & concinnitas conſpiciatur, qua ſummi etiam belli duces capti in medio victoriarum curſu arma abjecerunt; unde illa eorum galeam, & haſtam gerit.
Hic nummus argenteus rariſſimus eſt: [Sed longe rariſſimus idem nummus maximi moduli in muſeo D. Abb. de Rothelin.]



MER-



NERVÆ nummi ex auro rari sunt, ex argento frequentes.

IMP. NERVA CAES. AVG. P. M. TR. P. *Caput Nervæ laureatum.*
COM. ASI. *Mulier stolata stans in aditu templi duarum columnarum, in cujus peristilio* ROM. ET AVG. *dextra coronam imponit figuræ paludatæ, sinistra cornucopiæ. Imperator læva hastam gerit.*
Sub Asiæ proconsularis provincia, continebantur Lydia, Iconia, Caria, Mysia, Phrygia, & Hellespontus; quod autem earum omnium nomine fiebat, id ab Asiæ communitate factum dicebatur. Templum hoc ab ea Romæ, & Augusto extructum apud Alabandenses Cariæ conjecimus in Claudio, & cujus typus renovari videtur in Nerva tanquam templo ejusmodi digno.
Hic nummus argenteus maximi moduli rarissimus est.

COS. II. *in aliis* COS. IIII. [*apud D. Apostolum Zeno* COS. III.] *Fasciculus sex spicarum.*
Qua in urbe cusus sit nummus, quum illius nomen in eo desit, conjicere difficile videtur; sed quum similis typus frequens in Ægyptiis occurrat, illum Alexandriæ signatum fuisse pronuntiare audemus. Fasciculus ille spicarum, magnam frumenti in agris Ægypti provinciæ abundantiam denotat.
Hic nummus argenteus maximus inter rariores habendus est.

COS. II. DESIGN. III. P. P. *Diana venatricis habitu, dextra telum, pro pedibus canis.*
Dianæ Venatricis typus in nummis Romanis insolens, ad designan-

dam Nervæ patriam percussus videtur; de qua Victor. *Quid enim Nerva Cretensi prudentius, atque moderatius?* Nemo nescit Dianam a Cretensibus maxime cultam, quæ & ipsis modo *Dictynna*, modo *Venatrix* dicta est. Vide Tristanum tom. I. pag. 409.
Hic nummus argenteus inter rariores habendus.

COS. III. *Simulacrum Dianæ Pergeæ in templo duarum columnarum, in cujus peristylio* DIANA PERGENSIS.
Perge urbs Pamphyliæ nobilissima in Nervæ nummis, Dianæ templum ab oppidi nomine dictæ Pergeæ, exhibet, ob prærogativam Asyli huic templo olim concessam, ab eo forte confirmatam, unde illud Cicero I. Verr. appellat *Sanctissimum, & antiquissimum*. In Græcis nummis epigraphe hæc legitur ΠΕΡΓΑΙΑΣ ΑΡΤΕΜΙΔΟΣ ΑΣΥΛΟΥ.
Hic nummus argenteus maximi moduli præstantissimus est.

* COS. III. PATER PATRIAE. *Vasa pontificalia.*
Quum in hoc nummo consignetur consulatus tertius Nervæ, puto per vasa pontificalia indicari adoptionem Trajani ab eodem factam in Capitolio mense Octobris anni ab V. C. 850. In nummis enim ferme omnibus vasa pontificalia sunt nota Cæsareæ potestatis collatæ, indicantque cooptationem novorum Cæsarum in omnia Conlegia Sacerdotum. Jure optimo inscribitur Nerva *Pater Patriæ*, qualem potissimum se exhibuit in adoptando Trajano extraneo, posthabitis domesticis, & consanguineis.
(1) *Hic nummus aureus inter rariores numerandus.*

IMP. CAES. TRAIAN. AVG. GER. DAC. P. P. REST. *Thensa a duobus elephantis vecta, supra quam figura Imperatoris sedentis.*
Thensa hæc deorum vehiculum a Trajano in Nervæ nummis adponitur ad consecrationis ejus memoriam posteris relinquendam: imago autem principis cerea thensæ imposita cum solemni pompa per circum in Martium Campum ferebatur, ubi corpus cremabatur. Elephantes thensam vehebant ob eorum vitæ diuturnitatem.
Hic nummus aureus singularis elegantiæ, & raritatis est.

Eadem

(1) In thesauro Austriaco Vindobonensi, olim PP. CC.

Eadem epigraphe. Duæ dexteræ junctæ.

Duæ dextræ fidei testes in Nervæ nummis signatæ sunt, & sæpe cum hoc lemmate *Concordia exercituum*, ad indicandam eorum sub hoc principe concordiam, & ipsi fidem præstitam; qui typus a Trajano restitutus esse videtur, ob eorum similem erga se concordiam.
Hic nummus aureus inter præstantiores adscribendus.

IMP. II. COS. IIII. P. P. *Victoria gradiens, dextra coronam, sinistra palmam.*

Ob victoriam in Pannonia a Trajano tunc Nervæ legato relatam, Nerva ipse Imperator II. appellatus est, in cujus memoriam percussus videtur hic nummus, & quidem renovatus, quum Nerva Consulatum IIII. cum Trajano a se adoptato Cos. II. accepisset anno V. C. 851. sed bonus ille princeps paucis abhinc diebus mortuus est.
Hic quinarius argenteus inter rariores numerandus.

SALVS PVBLICA. *Mulier sedens, dextra spicas.*

Quum frumenti penuria Romæ Domitiani tempore plurimum populo Romano incommodum attulisset, Nerva vix imperium suscepit, quum ex omnibus provinciis frumentum Romam asportare jussit, unde salus publica in annonæ procuratione, ejusque abundantia consistere, ejus typo significarunt.
Hic nummus aureus rarus habendus.

S. P. Q. R. OPTIMO PRINCIPI. *Figura muliebris stolata stans, dextra ramum, læva cornucopiæ.*

Pacis typus ille est, ut ab optimo principe procurata; quum autem hunc titulum a Senatu Nervam accepisse non legamus, sed e contra omnium applausu Trajano inditum, existimamus caput Nervæ pro Trajani effigie a Monetario esse adhibitum.
Hic nummus argenteus rarus est.

VICTORIA AVG. *Victoria sedens, dextra palmam, sinistra cornucopiæ.*

Nerva quidem nullum per se bellum gessit, sed Trajanus ejus legatus in Pannonia de hostibus victoriam reportavit, ex qua Nervæ allata est laurea, ex Plinio in Paneg. In cujus memoriam signati sunt cum typo victoriæ nummi.
Hic nummulus aureus inter elegantiores adscribendus est.

ΑΥΤΟΚΡΑΤ. ΝΕΡΟΥΑΣ ΚΑΙΣΑΡ ΣΕΒΑΣΤ. ΑΥ. *id est* Αυττίων. *Caput Nervæ laureatum.*

ΥΠΑΤΟΥ ΤΡΙΤΟΥ. *Duæ lyræ, supra quas noctua.*

Similis fere typus prodiit in Domitiani nummis, quem Lytti Cretæ signatum diximus, ut indicant primæ litteræ ΑΥ. id est Αυττίων, quemadmodum in Tiberio ΚΥ. pro Κυδωνιάτων, vidimus: sed in Domitiano caduceus, in hoc autem noctua insistit lyris, an hæc avis Minervæ in hac urbe cultum indicet, ut caduceus Mercurii symbolum denotat?

Hic nummus argenteus inter rariores computandus est.

ΑΥΤΟΚΡΑ. ΝΕΡΟΥΑΣ ΚΑΙΣΑΡ ΣΕΒΑΣΤΟΣ ΥΠΑΤ. Γ. *Caput Nervæ laureatum.*

ΕΛΕΥΘ. ΔΗΜΟΥ. *Mulier stolata stans, & tutulata, dextra palmam, sinistra hastam.*

Inscriptio Ἐλευθέρυ Δήμυ, & Dea libertas in nummo repræsentata, eum a populo, qui libertatem a Nerva accepit, percussum indicat: nos Cretenses auguramur, quod Cretensis fuerit Nerva ex Victore, & frequentes occurrant deinde Trajano percussi Cretensium nummi cum lemmate ΚΟΙΝΟΝ ΚΡΗΤΩΝ, quasi tanti beneficii memores illi.

Hic nummus ex argento maximi moduli rarissimus est.

ΑΥΤ. ΝΕΡΟΥΑΣ ΚΑΙΣ. ΣΕΒ. *Caput Nervæ laureatum.*

ΕΤΟΥΣ ΝΕΟΥ ΙΕΡΟΥ Α. *In aliis* Β. *Aquila insistens fulmini: ante, palmæ ramus.*

Ut quædam urbes annum Imperatorum, quo nummos suos cuderint, in iis inscripsere; Seleucia ad Orontis ostia, cujus insigne, fulmen esse omnes norunt, in Nervæ nummis primum, & secundum ejus annum etiam sub nomine *novi*, & *sacri* ut in Vespasiano, & filiis fecerat, notavit, quod princeps ille ab omnibus pro bono haberetur.

Hic uterque nummus maximi moduli ex argento rarissimus est.

TRA-



TRAJANI nummi ex auro, & argento triti ſunt.

IMP. CAES. TRAIAN. AVG. GERM. DAC. P. P. *Capus Trajani laureatum*.

ALIM. ITAL. *Figura muliebris ſtans, pro pedibus duæ icunculæ: diverſi ſunt typi*.

Trajanus mortuo Nerva ut primum Romam rediit, Reipublicæ curam geſſit: teſtis eſt nummus in memoriam alimentorum Italiæ, pueris ab illo præſcriptorum, ſæpius ſignatus: de quibus Plinius in Panegyr. c. 26. *Hæc prima parvulorum civium vox aures tuas imbuit, quibus tu daturus* Alimenta, *hoc maximum præſtitiſti, ne rogarent*. Vocati ſunt Ulpiani.

Hic nummus ex auro rarus, ex argento obvius eſt.

BASILICA VLPIA. *Ædificium pulcherrimum, ſtatuis exornatum*. Ex tot præclaris ædificiis publicis ad Urbis ornamentum, & utilitatem a Trajano conſtructis, nobis ſupereſt in nummis, Baſilicæ Ulpiæ memoria, quam P. Victor in ejus foro regionis VIII. collocat. Baſilicæ autem ita ædificari ſolebant, ut in una parte judicia, in altera negotia exerceri poſſent. De hac Nicephorus l. 7. c. 26. *Porro Senatu in Baſilicam, quæ Ulpia, convocato*.

Hic nummus aureus ſingularis, & eximiæ raritatis eſt.

COM. ASI. *Templum, in cujus periſtylio* ROM. ET AVG. *in aditu Victoria lauream imponit Imp. loricato ſtanti*.

Provincia Aſiæ conſularis nummos Trajano dedicat cum templo, quod Romæ, & Auguſto Pergami communitatis nomine erexit, nihil

nihil illi ſanctius, & jucundius offerre arbitrata: quem typum in aliis Imperatoribus cum ſimulacro Romæ coronam Auguſto proferentis; at in hoc pro Roma ſubſtituta eſt Victoria, ob illas inſignes, quas Trajanus retulit.

Hic nummus argenteus maximi moduli præſtantiſſimus eſt.

COS. II. *Faſciculus ſex ſpicarum.*

Alexandriæ hunc nummum diximus in Nerva fuiſſe ſignatum, ob frumenti copiam in hac Provincia per ſpicas denotatam: Alexandrini Trajano, ut mox ſolus imperavit, nummos protulere gratulantes, quemadmodum conſulis II. titulus teſtatur, nam ille hunc, vivo adhuc Nerva, anno 181. ſuſceperat.

Hic nummus maximæ formæ argenteus elegantiſſimus eſt.

COS. II. DIAN. PERG. *Signum Dianæ in templo diſtylo, in cujus Zophoro* DIANA PERGAEA.

Perga Pamphyliæ urbs, qualem in Nerva, Dianæ templi typum ſignavit, Trajano, quum imperium mox ſuſcepit, eundem dicat, utrique gratulans, quod Aſyli privilegia templo confirmaſſent ambo: Diana ab urbe, dicitur Pergæa, quod in ea peculiariter efficta coleretur: hujus iconem videas, apud Patinum in Theſ. pag. 64.

Hic nummus argenteus maximi moduli rariſſimus eſt.

* DACICVS COS. V. P. P. *Victoria dextrorſum ſedens, dextra coronam, ſiniſtra palmam.*

Tribunitiam poteſtatem VII. auſpicabatur Trajanus circa Novembrem anni V. C. 856. quo tempore finiebat ejuſdem Conſulatus IV. Januario proximo ſequenti iniit Conſulatum V. pergebatque numerare Tribunitiam poteſtatem ſeptimam ad Novembrem uſque anni V. C. 857. ſic conſiſtit veritas hiſtoriæ teſtimonio infallibili nummorum comprobata, quod *Dacici* cognomen aſſumpſerit, Decebalo debellato ad finem Conſulatus quarti, atque initium quinti, qui duo Conſulatus in nummis ambo conſignati reperiuntur Tribunitia poteſtate ſeptima: ut optime animadvertit Card. Noriſius in epiſtola conſulari.

(1) *Hic quinarius argenteus rariſſimus eſt.*

DIVI

(1) In muſeo Editoris.

DIVI NERVA ET TRAIANVS PATER. *Capita adversa Nervæ, & patris Trajani.*

Trajanus ut pietatem erga parentes suos denotaret, patrem Trajanum, & patrem adoptivum Nervam inter divos consecravit, & ut hujus rei memoriam redderet æternam, nummis plusquam codicibus duraturis memoriam consignavit; ejus enim gesta ab historicis scripta, potius quam nummos, tempus obliteravit.

Hic nummus aureus inter rariores computandus est.

DIVI NERVA P. ET PLOTINA AVG. IMP. TRAIAN. *Capita adversa Nervæ, & Plotinæ.*

Grati erga parentes animi monumentum est hic nummus ab Hadriano cusus; Trajani enim monetam restituit, & Nervæ, Plotinæque consecrationem commendat: se autem Nervæ nepotem, etsi raro in nummis appellat, sæpe in inscriptionibus ut pote longioribus nominat. Dio lib. 69. ait, *Plotinæ vita functæ amplissimos honores tribuit.*

Hic nummus aureus singularis elegantiæ, & raritatis est.

DIVVS PATER TRAIANVS. *Caput Trajani patris.*

Trajanus ex Ulpia gente oriundus erat, & pater ejus in bello Judaico legioni x. Geminæ præfuit, in quo triumphalia ornamenta obtinuit consul, sed ut conjicitur, suffectus, proconsulatumque Asiæ administravit, sub Domitiano mortuus est; memor eximii parentis Trajanus, ut inter divos a Senatu collocaretur, postulavit.

Hic nummus aureus rarissimus est.

FORVM TRAIANI. *Ædificium pulcherrimum statuis undique adornatum.*

Fora Romæ plurima negotiis civilibus tractandis extructa sunt, Romanum nempe, at quum alterum Jul. Cæsar, illud vetus appellatum est: tertium condidit Augustus; quartum incœpit Domitianus a Nerva perfectum: quintum denique a Trajano, ex manubiis Dacicis, per Apollodorum in regione VIII. absolutum est.

Hic nummus aureus inter rariores computatur.

* IMPERATOR VII. *Trajanus in substructione sedens, adstantibus duabus aliis figuris, alloquitur milites.*

Sumpserat Trajanus titulum Imperatoris VII. domitis Adiabenis, atque

atque Affyriis, anno v. c. 867. Moturus arma in Parthos concionem habuit ad milites, ut nummus judicat. Transmiffoque fubinde Tigri Babylone primum, deinde Ctefiphonte potitur, & cognomine Parthici a Senatu donatur anno v. c. 868.
(1) *Hic nummus aureus præftantiffimus, & rariffimus eft.*

PLOTINA AVG. IMP. TRAIANI. *Caput Plotinæ.*
Æquum fuit optimum Imperatorem cum uxore fanctiffima repræfentare in eodem nummo, & eorum memoriam ejufmodi lemmate pofteris commendare; quis enim Trajano melior fuit alius imperator? quæ alia princeps fœmina, illa dignior? quum tanti conjugis gloriam modeftia, & factis auxerit.
Hic nummus aureus fingularis elegantiæ, & raritatis eft.

* P. M. TR. P. COS. IIII. P. P. *Hercules nudus a fronte, dextra demiffa clavam, finiftra exuvias leonis, cippo infiftens.*
Hercules Gaditanus fortaffis hic eft, (a quo fretum Gaditanum) quem urbs Italica præfertim coluit; ad indicandam patriam Trajani, qui Italicæ ortus eft anno v. c. 805.
(2) *Hic quinarius argenteus perrarus eft.*

P. M. TR. P. COS. V. P. P. *Quadrigæ triumphales, aurigante Imperatore.*
Duos egit de Dacis triumphos ex Plinio jun. in ep. 4. lib. 8. at cum ambo in confulatu v. inciderint, Raph. Fabrettus de Col. Trajana p. 309. ingeniofe alterius nummi ab altero dignofcendi modum proponit, tribuendo priori fcipionem eburneum, quem dextra gerit, quum tunc effet conful, & pofteriori laurum: fed in omnibus utrumque tenet.
Hic nummus argenteus, & aureus rarus eft.

P. M. TR. COS. VI. P. P. S. P. Q. R. *Caput radiatum Orientis, ut in Hadriano vifitur.*
Oriens cum capite comato, & radiis infigne, repræfentat Provincias, nempe Armeniam, & Mefopotamiam, quas Romano imperio recens Trajanus addidit in ea mundi parte, ex qua fol Romæ refpectu

(1) In thefauro Vindobonenfi Auftriaco, olim PP. CC. (2) In mufeo Editoris.

ſpectu oriri videtur, quam Vopiſcus in Aureliano, *Orientis* ſtatum appellabat.
Hic nummus argenteus rarior eſt aureo.

PONT. MAX. TR. POT. COS. II. *Mulier ſedens habitu patrio ornata, clypeo inſiſtit, alter pro pedibus ejus.*
Hæc mulier ſub habitu Germaniæ provinciæ tanquam pacificæ ſedentis repræſentatur, quam deſignant clypei illi oblongi, & exagoni, quibus utebantur Germani; ut videre eſt in eorum ſpoliis ſæpe in nummis conſignatis: nam Trajanus ob bellum feliciter in Germania geſtum, Germanici nomen, priuſquam Dacici appellationem tulit.
Hic nummus ex auro inter rariores collocatur.

IMP. CAES. NER. TRAIANO OPTIMO AVG. GER. DAC. *Caput Trajani laureatum.*
PROFECTIO AVGVSTI. *Imperator eques præeunte milite, & tribus aliis ſequentibus.*
Profectio illa Trajani, Parthica eſt, quam *optimi* cognomen indicat ab illo receptum poſt Armeniam captam; uti Xiphilinus, & Zonaras referunt: nec illi excuſandi ſunt, ut videtur Raph. Fabretto pag. 296. ſed potius ipſe excuſandus, qui ob nummorum penuriam illud poſt VI. conſulatum a Trajano acceptum contendit, quum id in V. conſulatu ſæpius occurrat.
Hic nummus aureus ex rariſſimis habendus.

PROVID. TR. P. COS. II. P. P. *Figura togata porrigens globum figuræ paludatæ.*
Monumentum eſt adoptionis Trajani a Nerva, hic pacificus, terræ globum, hoc eſt imperium tradit, unde providentia in nummo inſcribitur, ſeu quod Nerva imperio ita providerit, uti ei talem ſucceſſorem daret; ſeu quod deorum providentia illum ſelegerit, teſte Plinio, *Nec judicium hominum, ſed deorum etiam in conſilium aſſumpſit.*
Hic nummus argenteus in elegantiorum numero adſcribitur.

REGNA ADSIGNATA. *Imperator ſedens in ſella caſtrenſi duabus figuris militaribus adſiſtentibus, diademata largitur tribus Regibus infra ſtantibus.*

Trajanus in Oriente longe, lateque imperii fines propagavit, plurimos reges vicit, alios in fidem Romanæ ditionis accepit, quibusdam regna ademit, aliis adſignavit. Xiphilinus ex Dione, Trajanum Parthis regem Parthamaſpatem dediſſe refert, Eutropius alterum Albanis conſtituiſſe memorat, ſed nummi tres exhibent.
Hic nummus aureus inter rariores recenſetur.

REST. ITAL. *Imperator togatus ſtans, dextram porrigit fœminæ genuflexæ, duobus puerulis nudis adſiſtentibus.*
Merito Trajanus Italiæ Reſtitutor appellatus eſt, qui ipſius liberis alimenta adſignavit, de quo Xiphilinus ex Dione. *Civitatibus Italiæ multa largitus eſt ad educationem liberorum; in quos magna beneficia contulit.* Quinque ingenuorum millia ſelecta ſunt, quibus alendis conſtituta eſt ex publico pecunia.
Hic nummus ex argento, & auro rarus eſt.

REX PARTHVS. *Imperator ſedet in ſuggeſtu adſiſtente Præfecto prætorii, in imo Rex Parthorum genuflectens adſtantibus quinque figuris militaribus, quarum tres ſigna militaria geſtant.*
Ille eſt Parthamaſpates Artabani filius, cum Trajano conjunctus contra Coſrhoem fratrem Parthorum regem, qui Parthamaſiri Armeniam dederat; eos regnis exuit Trajanus, Armeniam in Provinciam Romanam redegit, Parthamaſpatem Parthorum regem conſtituit. Vide Dionem lib. 68.
Hic nummus aureus ſingularis, & eximiæ raritatis eſt.

SALVS GENERIS HVMANI. *Figura muliebris ſtans ante aram, dextra pateram, læva temonem, dextro pede globo impoſito.*
Deſignatur hoc ſchemate ſalutem humano generi partam, ac ſtabilitam eſſe pietate, & imperio Trajani, ideo Imperator dicitur Salus generis humani, ut in Galba dictum eſt, & ut Nerva apud Plinium in Panegyr. appellatur *Imperator, & parens generis humani.*
Hic nummus argenteus inter rariores collocandus eſt.

S. P. Q. R. OPTIMO PRINCIPI. *Imperator paludatus ſtans, dextra haſtam, ante quem figura genuflexa globum humeris ſuſtinet.*
Trajanus Herculem colebat: domus Ulpiorum Hercules conſervator in veteri inſcriptione dicitur apud Gruterum. Fingebatur autem is

is humeris globum terræ ſuſtinere, tanquam dignus, qui tam grave pondus ferret, & hic globum ad pedes Trajani devolvit, quum illum ſe ipſo, imperio digniorem exiſtimet.
Hic nummus argenteus præclarus, & ſingularis eſt.

Eadem epigraphe. Imperator paludatus ſedens, cui figura militaris ſupplicem exhibet.
Parthamaſiris eſt Pacori filius, quem patruus Coſrhoes Parthorum rex, Armeniæ Regem nominaverat; hic ſupplex pro diademate Elegiam in Armenia ad Trajanum venit, eum Præfectus prætorii præſentat, ſed quum nihil eorum, quæ volebat impetraſſet, ipſi Cæſar abeundi, quo vellet, poteſtatem fecit.
Hic nummus aureus rariſſimus eſt.

VIA TRAIANA. *Figura muliebris humi decumbens, pro pedibus rota.*
Omnes in Italia vias reſtaurari curavit Trajanus, teſte Galeno lib. 9. de Meth. med. *Itaque quum ſe ita haberent omnes in Italia viæ, eas Trajanus ille refecit.* Appia autem, quæ Brunduſium uſque ducit, ab eo verſus paludes Pontinas reſtituta fuit, ut refert Dio. *Iiſdem temporibus ſtravit paludes Pontinas.* Illa vocata eſt Trajana.
Hic nummus ex argento tritus, ex auro rarus eſt.

VIRTVTI ET FELICITATI. *Duæ figuræ ſtantes. Illa galea inſignis cum haſta, & parazonio, hæc caduceum, & cornucopiæ gerit.*
Virtus, & Felicitas mire ſub Trajano copulantur, quis enim illo bellicoſior inter Cæſares fuit? nam feros Imperii Romani hoſtes, Germanos, Dacos, & Parthos contudit; & tamen ſub eo ſumma Felicitas, qui teſte Juliano, illo Auguſtorum cenſore, ſubjectis manſuetus, & hoſtibus formidoloſus præ cæteris extitit.
Hic nummus ex auro rariſſimus, & elegantiſſimus eſt.

VOTA SVSCEPTA P. M. TR. P. COS. VI. P. P. S. P. Q. R. *Duo Genii ſacrificantes ara intermedia.*
Ad bellum Parthicum profectus eſt Trajanus in conſulatu VI. & ut illud felix, fauſtumque eſſet, duo hic Genii vota ſacrificio ſuſcipiunt; ille nempe Trajani, qui cornucopiæ gerit, alter Senatus cum ſcipione eburneo Conſulum inſigne: unde quis dubitet Trajanum ne Senatus, an Senatum magis ipſe ſalvum eſſe voluerit.
Hic nummus aureus rarus eſt, & inſignis.

 Sine

Sine epigraphe. Templum octo columnarum, in cujus medio figura stans, dextra caduceum, læva cornucopiæ.
Mulier in templo dextra caduceum, lævâ cornucopiæ gerens, illud deæ Felicitatis esse indicat, cujus hæc sunt symbola: Senatus id Trajano videtur dicasse, ob pacem, & abundantiam, quibus sub hoc principe fruebatur. Felicitatis ædes memorat P. Victor in v. regione Esquilina, juxta Honoris ædes.
Hic nummus aureus rarus, & singularis est.

* *Sine epigraphe. Caput Trajani laureatum; sub quo* ΔΥ. *anno* 404.
ΒΑϹΙΛΕΩϹ ϹΑΥΡΟΜΑΤΟΥ. *Caput juvenile Regis Sauromatis prolixa coma, & diademate ornatum.*
Sauromates hic, rex est Bospori. Si anno v. c. 453. quo incipit æra Bosporana, ut in sequentis nummi declaratione docet Vaillantius, conjungas annum 404. signatum in nummo, habebis annum v.c. 857. cui respondet annus sextus imperii Trajani.
(1) *Hic nummus ex electro præstantissimus, & rarissimus est.*

ΗΥ. *id est anno* 408. *Caput Trajani laureatum, sine aliis literis.*
ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΣΑΥΡΟΜΑΤΟΥ. *Caput juvenile Regis Sauromatis diademate redimitum.*
Sauromates ille, Rex est Bosphori, de quo loquitur Plinius lib. 10. ep. 15. *Legato Sauromatæ Regis* mox subdit, ut *legationem si qua venisset a Bosporo.* Is ex Regum numero fuit, quos Armenia capta in fidem recepit Trajanus, teste Eutropio lib. 8. Æræ signat an. 408. a recuperato regno post Antigoni Alexandri M. ducis mortem Olymp. 119. anno III. v. c. 453. qui simul juncti incidunt in annum 10. imperii Trajani & v. c. 861. & 862.
Hic nummus aureus singularis elegantiæ, & raritatis est.

* *Sine epigraphe. Caput Trajani laureatum, sub cujus collo* ΘΚΦ. *anno* 529.
ΒΑϹΙΛΕΩϹ ΚΟΤΥΟϹ. *Caput regis diademate cinctum, ante quod sceptrum.*
In hoc præclarissimo nummo, qui ex museo Petri Seguini in regium Parisiensem thesaurum transiit, prodit nova æra, nempe æra Regum Thraciæ, quæ a Seuthi Thraciæ Regis temporibus incipit, anno

(1) In museo D. Apostoli Zeno.

anno videlicet primo Olympiadis 89. respondente anno v. c. 330. Huic anno additis 529. in nummo signatis resultant anni 859. v. c. quando hic Cotys regnabat, Trajano, cujus est effigies nummo insculpta, numerante novum annum imperii.

(1) *Hic nummus argenteus didrachmalis præstantissimus, & singularis raritatis est.*

* *Sine epigraphe. Caput Trajani laureatum, sub quo* ΛΑΦ. *anno* 531.
ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΙΝΙΝΘΙΜΗΤΟΥ. *Caput regis diadematum, ante quod sceptrum.*

Ininthimævus ex Thraciæ regibus proxime consequitur Cotyn, intervallo videlicet duorum tantum annorum. Anni isti 531. juncti annis v. c. 330. complent annum v. c. 861. quo anno Trajanus annum imperii undecimum numerabat. Ininthimævus iste fuerit Rex successor Cotys, quod sceptrum adpositum indicare videtur, an ejusdem tutor, judicent alii.

(2) *Hic nummus didrachmalis ex argento ejusdem est præstantiæ, & raritatis, ac superior.*

ΔΙΚΤΥΝΝΑ ΚΡΗΤΩΝ. *Mulier, seu Venus insidens monticulis, hinc & inde Corybantes.*

Dictynna, Jovis, & Charmes Eubuli filia, Dianæ valde cara, quæ Minoem regem amantem fugiens, se in retia, quæ piscibus capiendis erant expansa, projecit, mox a Diana, dea facta, a Cretensibus culta est. Vide Tristanum, & Seguinum. Cretenses Trajano ob beneficia a Nerva accepta maxime devoti fuerunt.

Hic nummus argenteus inter rariores habendus est.

ΑΥΤΟΚΡ. ΚΑΙΣ. ΝΕΡ. ΤΡΑΙΑΝΟΣ ΣΕΒ. ΓΕΡΜ. *Caput Trajani laureatum.*

ΔΗΜΑΡΧ. ΕΞ. ΥΠΑΤ. Β. *Caput Herculis laureatum.*

Tyri cusum Trajano hunc nummum denotat caput Herculis, ob cultum, quo urbs illa eum prosequebatur: unde ipsi Herculis Tyrii cognomen: Vide, quæ de illo in nostro Coloniarum libro diximus. Tyrii Trajano, ut primùm suscepit imperium in II. Consulatu, nummum procudere.

Hic nummus argenteus maximi moduli inter rariores locandus est.

ΔΗΜ.

(1) In thesauro Regis Christianissimi. (2) In eodem thesauro.

ΔΗΜ. ΕΞ. ΥΠΑΤ. Β. *Mulier stolata stans, dextra pileum, sinistra hastam.*

Libertas in nummis Imperatorum adhibetur, quorum temperata, & moderata dominatio, & plurimum Senatui deferre videtur, quasi antiquæ illius, sub qua vivebant Romani, inanis esset umbra.

Hic nummus argenteus inter rariores censendus.

* *Eadem epigraphe. Mulier stolata sedens, dextra spicas, sinistra hastam transversam.*

Spicæ illæ, quas mulier sedens dextra extensa porrigit, indicant rei frumentariæ abundantiam, quam Trajanus provide procuravit; de qua plura Plinius in Panegyrico. Cusus est nummus Alexandriæ in secundo Trajani consulatu, quo tempore magna fuit caritas tritici in Ægypto deficiente consueta Nili inundatione. Unde Plinius, *refudimus Nilo copias suas.*

(1) *Hic nummus argenteus rarioribus adnumerandus est.*

Eadem epigraphe. Duæ dextræ tenent aquilam legionariam proræ navis impositam.

Dextræ illæ duæ cum aquila legionaria, & prora navis, concordiam terrestrium, & navalium copiarum sub Trajano indicant.

Hic nummus ex argento rarus est.

Eadem epigraphe. Noctua super duas lyras.

Similem typum Nervæ procuderunt Lyttii in Creta, ob beneficia a Nerva accepta, quem & Trajano filio ejus adoptivo iterum signant. Ad Apollinis, & Minervæ cultum apud eos tribuuntur noctua, & lyræ.

Hic nummus argenteus pro raro habendus.

ΔΗΜΑΡΧ. ΕΞ. ΥΠΑΤ. Γ. *Caput Jovis Ammonis cum cornu.*

Caput Jovis Ammonis nummum in Ægypto percussum denotat, ubi ille præcipue colebatur, ut & Tyrones norunt. Alexandrini gratulantes Trajano, quod consulatum II. accepisset, illum cuderunt.

Hic nummus ex argento rarus est. [*Quinarius longe rarior, penes Editorem.*]

AT-

(1) In museo Editoris.

ΑΥΤΟΚΡ. ΚΑΙΣ. ΝΕΡ. ΤΡΑΙΑΝΟΣ ΣΕΒ. ΓΕΡ. ΔΑΚ. *Caput laureatum Trajani.*

ΔΗΜΑΡΧ. ΕΞ. ΥΠΑΤ. Ε. *Arabia stans dextra ramum, læva elephantis dentem, seu cornu: pro pedibus camelus.*

Arabia a Trajano, sub finem secundi belli Dacici, imperio Romano addita est per Palmam Syriæ rectorem, cujus monumentum est hic nummus in aliqua Græciæ urbe cusus, ad eorum imitationem, qui Latina epigraphe gaudent, cum inscriptione ARAB. ADQ. quos prætermisimus ut obvios omnino, & frequentes.

Hic nummus maximi moduli argenteus ex rariorum numero est.

Eadem epigraphe. Figura turrita insidens rupibus, dextra spicas, pede super fluvium.

Genius est Antiochiæ in nummis frequens, montibus insidet ad indicandum urbis situm: fluvium Orontem proculcat, quia ille eam alluit: dextra spicas, ad frumenti copiam in agris suis arguendam. Antiochenses ob adventum Trajani in urbem suam nummum dedicarunt.

Hic nummus ex maxima forma inter rariores recensetur.

ΑΥΤΟΚΡ. *&c. ut supra. In aliis* ΤΡΑΙΑΝΩ ΑΡΙΣΤΩ.

ΔΗΜΑΡΧ. ΕΞ. ΥΠΑΤΟ. ς. *Fortuna stans, dextra temonem, læva cornucopiæ.*

Fortuna in nummis exhibetur cum diversis nominibus, quæ eam designant, ut Fortuna Augusti, Pop. Romani, Obsequens, Felix, Manens, & Redux: ea tamquam dea a Romanis culta est, cujus templa seu ædes in urbe triginta sex numerat Victor: nam per cornucopiæ, opes tribuere: per temonem, humanarum rerum regimen obtinere dicebatur.

Hic nummus argenteus elegantissimus est.

Eadem epigraphe. Figura militaris, & paludata stans supra montem Argæum, in quo antrum, dextra hastam.

Cappadociæ Metropolis Cæsarea, provinciæ nomine, suos Trajano nummos profert, ipsi gratulans quod bellum Parthicum suscepisset, & Armeniam sibi conterminam fecisset provinciam Romanam: hæc Argæum montem in iis tanquam peculiare numen exhibere solita, in cujus vertice stat Imperator, tanquam Deus loci.

Hic nummus ex argento rarus est.

Eadem

Eadem epigraphe. Arabia stans ut supra, dextra ramum, sinistra dentem seu cornu elephantis; pro pedibus camelus.

Mulier hæc cum ramo, & dente seu cornu elephantis, Arabia est provincia a Palma Syriæ rectore subacta, quæ ramum gerit, quem alii provinciæ peculiarem, alii pacis symbolum existimant: dens seu cornu elephantis, eorum in hac provincia copiam denotat, ex quibus fiunt opera eburnea.

Hic nummus pro raro notandus.

Eadem epigraphe. Camelus cum duobus in dorso tuberculis.

Camelus Arabiæ symbolum est, quod is in ea frequens sit, sed Arabicus ut plurimum duo habet in dorso tubercula, unde a quibusdam dromedarius appellatur: ille autem in Trajani nummis repræsentatur, ad indicandam Arabiam ab eo in provinciam Romanam esse redactam.

Hic nummus argenteus inter raros locatur.

Eadem epigraphe. Clava.

Clava, fustis teres ad clavi similitudinem capitatus, Herculis insigne est, quod ea pro armis ille uteretur: hæc autem in Trajani nummo exhibetur, exemplo Senatus, qui clavam in nummo etiam secundæ formæ expressit, ad indicandam Imperatoris virtutem Herculi similem, aut singularem hujus principis erga hunc cultum: de quo alias diximus.

Hic nummus ex argento rarus est.

Eadem epigraphe. Diana Pergæa ut supra, in templo duarum columnarum.

Jam prodiit ejusmodi Dianæ Pergææ typus a Pergensibus in Nerva signatus, sed cur illi modo latine modo græce nummos scribant? De græca epigraphe nulla quæstio, cum lingua sit eorum vernacula, sed ut nummos maximos latine inscribere possint, id iis a Senatu, aut a Principe concessum videtur.

Hic nummus maximi moduli rarissimus est.

Eadem epigraphe. Fasciculus sex spicarum.

Quod de nummis Pergensibus utraque lingua inscriptis mox protulimus, idem de Alexandrinis pronuntiare possumus: nam idem spicarum

carum fasciculus cum epigraphe latina COS. II. a nobis supra exhibitus est, quem Alexandriæ percussum, tanquam solitum hujus urbis symbolum diximus, ad frumenti copiam in agris ejus arguendam.

Hic nummus e maximo modulo inter elegantiores reponitur.

Eadem epigraphe. Aquila legionaria inter duo signa militaria.

Aquila legionaria inter duo signa militaria in nummis quorumdam principum S. C. cusis occurrit; at observavimus illa tantum reperiri in Imperatoribus, qui legiones quasdam constituere, in quorum memoriam in nummis renovandam expressa sunt: Trajanus autem addidit legionem II. Trajanam, & XXX. Ulpiam.

Hic nummus maximus inter rariores habendus.

ΔΗΜΑΡΧ. ΕΞ. ΙϚ. ΥΠΑΤ. Ϛ. *Aquila alis expansis insistit clavæ, rostro coronam.*

Aquilam pro imperii Romani insigni sæpius cælari diximus, cui se urbes præsertim Syriæ subjectas profitebantur: hæc autem a Tyriis expressa est, & quidem unguibus clavam solemne urbis symbolum stringens; nemo enim nescit Herculem inde Tyrium appellari. Tyrii nummum ob Trajani in Syriam adventum cudere.

Hic nummus maximi moduli ex elegantiorum numero est.



PLOTINÆ nummi ex auro inter rariores, ex argento rarissimi sunt.

PLOTINA AVG. IMP. TRAIANI. *Caput Plotinæ.*

ARA PVDIC. *Ara, in circulo* CAES. AVG. GERMA. DAC. COS. VI. P. P.

In Plotinæ nummis signata videtur hæc ara Pudicitiæ, a Virginia Romæ in vico longo erecta, cui nulla nisi spectatæ pudicitiæ matrona, & uni viro nupta, jus sacrificandi haberet, ad denotandam insignem illius Augustæ castitatem, quam Plinius in Panegyrico sanctissimam nominat.

Hic nummus ex auro, & argento rarissimus, & elegantissimus est.

CAES. AVG. GERMA. DAC. COS. VI. P. P. *Figura muliebris sedens, dextra palladium, læva hastam transversam.*

Vesta seu Vestalis exhibetur ad indicandam pariter Plotinæ castitatem; nam ex tenera adhuc ætate capiebantur, ut constaret eas integras omnino esse; ideo pura, & incorrupta ignis natura integris, & impollutis credebatur corporibus. Palladium tenet, quod illud in earum templo asservaretur. Velata est, ad sacra facienda.

Hic nummus aureus, & argenteus inter rariores habetur.

CONSECRATIO. *Aquila alis expansis.*

Consecrata est Plotina ab Hadriano, cujus artibus is ad imperii successionem pervenisse dicebatur. Ut plurimum Aquila ad indicandam Principis consecrationem, Pavo autem pro Augusta signabatur, cum

quum illa Jovi, hæc Junoni sacra esset, sed hic Aquila æternitatis symbolum est, quod hæc renovari diceretur.
Hic nummus aureus pro rarissimo haberi debet.

DIVO TRAIANO PARTH. AVG. PATRI. *Caput Trajani laureatum.*
Caput Imperatoris ab una parte, & Augustæ ex altera nummorum, ad indicandam eorum concordiam sæpe exhibetur; sed Trajanus in Plotinæ conjugis nummo, ad denotandam ejus consecrationem signatus est, quam Hadrianus ei procuraverat. *Trajano divinos honores datis ad Senatum, & quidem accuratissimis literis, postulavit.* Spartianus.
Hic nummus aureus rarissimus, & elegantissimus est.

MATIDIAE AVGVSTAE. *Caput Matidiæ ejus neptis.*
Ab Hadriano videtur cusus hic Plotinæ, & Matidiæ nummus, & quidem postquam Sabinam hujus filiam uxorem duxisset. Illa Augusta fuerat dicta jam in consulatu Hadriani sexto, ut Marcianæ nummus denotat, sed sedens in eo tantum signata, nunc cum effigie utpote principis mater.
Hic nummus aureus inter rariores collocandus.

VESTA. *Figura muliebris capite velato sedens, dextra palladium, sinistra hastam transversam gerit.*
De Plotina sub figura Vestalis sedentis, in secundo ejus Augustæ nummo dictum est, cui addere liceat velum, quod habet in capite suffibulum vocari, de quo Festus. *Suffibulum vestimentum album, prætextum, quadrangulum, oblongum, quod in capite Vestales, quum sacrificant, semper habent: idque fibula comprehenditur.*
Hic nummulus aureus rarissimus est.



MARCIANÆ nummi ex auro, & argento rarissimi sunt.

DIVA AVGVSTA MARCIANA. *Caput Marcianæ.*

CONSECRATIO. *Thensa a duobus equis vecta.*

A fratre Trajano Marcianam fuisse consecratam indicat inscriptio in arcu hodie adhuc Anconæ superstite: ubi illa jam vocatur diva sub Trajano, & Plotina. Thensa ejus consecrationis symbolum est, sed quum super eam cerea illius figura non visitur, & desuper cooperta sit, videtur ea esse, in qua corpus ejus reconditum transferebatur ad rogum.

Hic nummus argenteus rarissimus est.

[*Et ex auro quinarius multo majoris raritatis in thesauro Austriaco Vindobonensi, olim PP. CC.*]

CONSECRATIO. *Aquila alis expansis scipioni insistens.*

Aquilam in Plotina diximus consecrationis esse symbolum; in fœminis quidem principibus, ob æternitatem, quam repræsentare dicuntur aquilæ, quum illæ renovari dicantur: nam in iis aliquando pavones adsunt, quod Junoni, sub cujus tutela sunt, comparentur.

Hic nummus argenteus inter rariores habendus.

EX SENATVS CONSVLTO. *Thensa a duodus elephantis cum sessoribus vecta, supra quam figura velata.*


Tensa erat vehiculum sacrum, supra quod imago cerea illius, qui consecrandus erat, per circum solemni pompa in Campum Martium defe-

deferebatur: illud trahebant elephantes æternitatis symbola, quod illi vivere trecentos annos dicebantur.
Hic nummus argenteus rarissimus est.

MARCIANA AVG. SOROR IMP. TRAIANI.
MATIDIA AVG. *Figura muliebris sedens, dextra pateram. In ambitu* CAES. AVG. GERMA. DAC. COS. VI. P. P.
Marcianæ Trajani sorori, cusus est nummus, in memoriam, quod ejus filia Matidia principis benignitate, Augustæ titulo honorata sit, quem illam accepisse in sexto Trajani consulatu denotat ejus figura sedens in aversa matris parte repræsentata. *In prima editione nostra* COS. III. *pro* COS. VI. *typographi errore excidit.*
Hic nummus argenteus rarissimus est.



MATI-



MATIDIÆ nummi ex auro, & argento inter rariſſimos collocantur.

MATIDIA AVG. DIVAE MARCIANAE F. *Caput Matidiæ.*
PIETAS AVGVST. *Figura muliebris tunicata ſtans, utraque manu puellas fovet.*
Matidia Marcianæ Trajani ſororis filia, ab eo dicta eſt Auguſta in conſulatu ſexto, quando Trajanum ad Parthicum bellum cum Plotina comitata eſt. Sed Trajano Selinunte mortuo, ipſius cineres Romam cum Tatiano, & Plotina navi dimiſſos detulit. Puellæ adſtantes, ejus ſunt filiæ Sabina, & Matidia junior.
Hic nummus argenteus rarior eſt aureo.

PLOTINAE AVG. *Caput Plotinæ.*
Plotinæ comes fuit Matidia in profectione Trajani Parthica, unde in ejus rei memoriam percuſſus videtur nummus, præſertim quum Auguſtæ nomen nuper recepiſſet, & forſan tunc mater defuncta eſſet: quo autem anno illa e vivis exceſſerit, ignoratur.
Hic nummus aureus rarus eſt.

DIVA AVGVSTA MATIDIA. *Caput Matidiæ.*
CONSECRATIO. *Aquila alis extenſis inſiſtens ſcipioni.*
Socrus fuit Hadriani Matidia, quum ille Sabinam ejus filiam natu majorem duxerit uxorem. Hadrianus eam ſummopere veneratus eſt, ut meminit Spartianus. *Socrui ſuæ honores præcipuos impendit*

dit ludis gladiatoriis, *cæterisque officiis*: Ita ut post ejus mortem, illam a Senatu inter divas referri curaverit.
Hic nummus argenteus singularis elegantiæ, *& raritatis est*.

PIETAS AVG. *Figura muliebris coram ara dextram attollit*, *sinistra pateram*.
Pietatis in superiore nummo typus, Matidiæ pietatem erga filias Sabinam, & Matidiam juniorem denotat; hic vero pietatem ejus erga Marcianam matrem, cujus forsan erat Sacerdos, nam illa inter divas fuerat relata, pro ea sacra agere videtur; ara, & patera id procul dubio indicant.
Hic nummus argenteus rarissimus est. [*Et longe præstantissimus aureus in museo D. Apostoli Zeno*.]



HA-



HADRIANI nummi ex auro, & argento frequentes, & obvii sunt.

IMP. CAES. TRAIAN. HADRIANO OPT. AVG. GER. DAC. *Caput Hadriani laureatum*.

ADOPTIO. *Duæ figuræ togatæ dextras sibi jungentes*; *in ambitu* PARTHIC. DIVI TRAIAN. AVG. P. M. TR. P. COS. P. P.

Plurima Hadrianus adoptionis suæ a Trajano factæ monumenta sparsit, ut dubium de ea tolleret, nam inquit Spartianus. *Nec desunt, qui factione Plotinæ mortuo jam Trajano, Hadrianum in adoptionem adscitum esse prodierint*. Ideo diligens fuit initio imperii in assumendis patris adoptivi cognominibus.

Hic nummus argenteus rarus est.

ADVENTVS AVG. *Roma galeata sedens, in aliis stans, dextram porrigit Hadriano togato stanti*.

In memoriam ejus Romam adventus, post Trajani mortem, quæ Selinunte Ciliciæ contigerat. Is tunc erat Antiochiæ a Trajano Syriæ præfectus: ex qua inquit Spartianus; *Præpositoque Syriæ Catilio Severo per Illyricum Romam venit*.

Hic nummus ex argento tritus, ex auro inter rariores collocatur.

ADVENTVI AVG. AFRICAE. *Imperator togatus stans, sacrificat cum figura muliebri, dextra pateram, sinistra spicas gerente*.

Totius fere imperii provincias lustravit, cujus monimenta in nummis æreis Senatus reliquit, sed pauca ex auro nobis supersunt; hic vero nummus illius in Africam adventum an. 879. memorat: de quo

quo Spartianus, *Quando in Africam venit, ad adventum ejus post quinquennium pluit*. Plurima beneficia contulit.
Hic nummus ex argento frequens, ex auro rarus est.

ADVENTVI AVG. ITALIAE. *Hadrianus sacrificans cum figura muliebri, ara intermedia.*
Ut tot nummi Hadriano cusi occurrunt, quot ille provincias adiit; non mirum est, si in faustum, felicemque ejus in Italiam, mortuo Trajano, adventum, hic signatus sit.
Hic nummus aureus rarior est argenteo.

AEGYPTOS. *Figura muliebris humi decumbens, dextra sistrum, læva calatho spicis pleno innixa, pro pedibus Ibis.*
Non modo Hadriani in aliquam provinciam adventus memoria in nummis signata est, sed ipsius provinciæ figura, quam lustravit, cum suis attributis expressa est. En Ægyptos sistrum tenet, ob Isidis cultum: innixa est calatho, ob frumenti abundantiam: Ibis pro pedibus, ob serpentum in hac provincia abundantiam, quos illa enecat.
Hic nummus ex argento tritus, ex auro non obvius est.

AFRICA. *Figura muliebris cum proboscide in capite, humi desidens, dextra leonis caput tangit, sinistra innixa calatho spicis referto.*
Africæ symbolum est: caput illud elephantis proboscide ornatum, ob eorum in ea abundantiam: Leo etiam in illius regionibus frequens est, ut & scorpio, quorum diversas procreat species.
Hic nummus aureus rarus est, nec ex argento occurrit; eadem figura, dextra scorpionem, læva cornucopiæ ex argento obvius est, nec ex auro observatur.

ALEXANDRIA. *Figura muliebris tunicata stans, dextra sistrum, sinistra situlam.*
Alexandria gerit sistrum ob Isidis cultum; illo enim æreo crepitaculo utebantur ejus sacerdotes in sacris, sed ex Servio in 8. Æneid. Isis credita est Ægypti Genius, qui per sistri motum, Nili accessum significabat: per situlam, omnium lacunarum fluentiam ostendebat.
Hic nummus argenteus non obvius est.

ANN.· D. CCCLXXIIII. NAT. VRB. P. CIR. CONC. *Figura muliebris humi desidens, dextra rotam.*

In memoriam ludorum Circensium ab Hadriano concessorum P. Romano: illas enim notas interpretamur *anno* 874. *natalis urbis Populo Circenses concessit*, quum nulla sit Circi ab Hadriano conditi mentio apud Historiæ scriptores. Mulier per rotam, cursus bigarum, & quadrigarum certamen: per metas, illud in circo peractum denotat.

[Baro Bimartius in commentario super Scientiam nummorum veterum t. 2. affirmat non bene lectam a Vaillantio hanc epigraphen, veramque lectionem esse ANN. DCCCLXXIIII. NAT. VRB. P. CIR. CON. S. C. & interpretatur *anno* 874. *natali urbis primùm Circenses constituti Senatus consulto*: Hadrianum videlicet instituisse publica Senatus auctoritate diem Palilium, sive Parilium natalem Urbis ludis Circensibus celebrari.]

Hic nummus aureus rarissimus est.

ASIA. *Figura muliebris tunicata stans, pede dextro proræ navis imposito, dextra acrosterium, sinistra temonem inversum.*

Per Asiam, non una ex orbis partibus intelligitur, sed illa est provincia consularis imperii Romani, quam lustravit Hadrianus, & ideo in ejus nummis depicta cum symbolis proræ, & temonis, ad denotandum nullum esse ad eam, nisi per mare, aditum.

Hic nummus argenteus rarus est.

COM. BIT. *Templum octo columnarum, in cujus frontispicio* ROM. S. P. AVG.

Bithynia erat una ex decem Populi provinciis ab Augusto constituta, quam Hadrianus in gratiam Antinoi sui Bithyniensis inter Cæsaris provincias adscripsit, Pamphylia Populo in ejus locum concessa, ex Dione in Excerpt. Valesii, ut observavit jam Ill. Spanhemius. Nil mirum si memores Bithyni tot Hadriano nummos consecrarint cum epigraphe ΚΟΙΝΟΝ ΒΕΙΘΥΝΙΑΣ, & templo 8. col. Romæ, & Augusto dicato.

Hic nummus maximus raritatis est eximiæ.

CONSECRATIO. *Aquila globo insistens.*

Ita in Senatores sævierat Hadrianus, ut acta ejus irrita fieri voluerit

rit Senatus, ut narrat Spartianus in ejus vita, nec appellatus esset divus, nisi Antoninus rogasset, in cujus etiam memoriam nummos cudi curavit, unde Pii nomen tulit. Aquila globo imposita, consecrationis symbolum est, quod illa animam Imperatoris in cælum deferre crederetur.
Hic nummus argenteus inter elegantiores habendus.

COS. III. *Apex, & instrumenta pontificalia.*
Instrumenta hæc pontificalia in nummis Imperatorum exhibentur, ad denotandum, quod de ipso Hadriano refert Spartianus, *Pontificis maximi officium peregit.* Ipse autem vidi venalia omnia illa instrumenta, quæ ad pontificatum Hadriani pertinebant in crypta Romæ reperta, in quibus omnibus nomen erat Hadriani inscriptum.
Hic nummus argenteus inter rariores numerandus.

Eadem epigraphe. Genius Senatus dextram porrigit Hadriano, Roma intermedia.
Magnam Hadriani cum Senatu concordiam denotat; narrat enim Spartianus eum Senatus fastigium plurimum extulisse, & equites Romanos, nec sine se de Senatoribus, nec secum judicare permisisse, denique execratum principes, qui minus Senatoribus detulissent.
Hic nummus aureus pro elegantissimo habendus.

Eadem epigraphe. Duæ Nemeses stant, altera rhombum sinistra, altera scipionem, utraque dextram ori admovent.
Nummi tetradrachmales argentei Romæ haud signati fuisse videntur: frequens eorum in Græcia, & Asia usus, & si mihi conjicere liceat, hunc Smyrnæ cusum arbitror, ob duas illas Nemeses hujus urbis numina. Vide Pausaniam de fano Nemesium, de quo Abbas Nicasius de nummo Pantheo, Dissert. 2.
Hic nummus maximus singularitatis eximiæ est.

* *Eadem epigraphe. Jupiter togatus stans, dextra aquilam, sinistra hastile.*
Jupiter hic togatus manu dextra aquilam præferens, & læva hastam tenens, Philaletes est, qui Laodiceæ in Caria cultus, ut admonet Bonarrotius in præfatione ad Numismata maxima Carpi-

nea, indicat in ea urbe hunc nummum in honorem Hadriani percussum.

(1) *Hic nummus argenteus maximi moduli inter rariores collocandus.*

Eadem epigraphe. Figura Minervæ galeatæ stantis, dextra ramum gerentis, sinistra clypeo innixa.
Athenienses hunc tetradrachmum Hadriani nummum percusserunt, memores quod ipsis tam multa largitus esset beneficia, teste Spartiano, quum in eorum urbe hyemem anno 877. transegisset. Minerva, tutelaris Atheniensium dea, paciferæ habitu depicta est oleæ ramum gerens, demisso pro pedibus clypeo: quum Hadrianus literis potius quam bello vacaret.
Hic nummus maximi moduli argenteus rarissimus est.

Eadem epigraphe. Minerva in templo duarum columnarum, dextra pateram super aram, sinistra clypeo innixa.
Minerva in eodem templo duarum columnarum dextra gerit pateram, ut in nummo depicta apud Patrenses in libro nostro Coloniarum tom. 1. pag. 275. sub nomine Minervæ Panachæidis, suadet, ut illum a Patrensibus, communi Achæorum nomine, Hadriano percussum existimemus.
Hic nummus maximus pro rarissimo habendus.

Eadem epigraphe. Apollo muliebri habitu stans, dextra plectrum, sinistra lyram.
Omnes isti nummi maximi, ut Romani non sunt, sed in urbibus Græciæ signati, per numina, quæ exhibent, ubi cusi sint, indicare possunt: ut Nemeses illos Smyrnæ signatos nos docuerunt, ita Apollo Actiacus muliebri veste semper ornatus, hunc in urbe Epiri Nicopoli, ubi maxime colebatur, cusum fuisse denotat.
Hic nummus ex maximo modulo rarissimus est.

Eadem epigraphe. Æsculapius dextra baculum, cui involutus est serpens.
Nemo nescit Æsculapium Pergamenorum numen fuisse præcipuum, & quidem tutelare; non abs re igitur erit, si hunc nummum a Pergamenis percussum arbitremur.
Hic nummus maximi moduli ex rarissimorum numero est.

Eadem

(1) In musæo D. Apostoli Zeno.

Eadem epigraphe. Figura barbata stans, dextra tridentem, sinistra aquilam: pro pedibus cerberus.

Typus ille insolens, tres nempe fratres Jovem, Neptunum, & Plutonem sub uno exhibet, nam aquila ad Jovem spectat, tridens ad Neptunum, & cerberus ad Plutonem: qui quidem cerberus tria significare dicitur, quum in aqua, terra, & aere, in tribus his elementis versetur.

Hic nummus maximus eximiæ raritatis est.

Eadem epigraphe. Fasciculus sex spicarum.

Spicæ illæ in fasciculum conjunctæ, sæpe in nummis maximis occurrunt, quos ob frumenti copiam, similem in Ægyptiis æreis typum, Alexandriæ cusum diximus: Hadrianus autem multa beneficia Africanis provinciis contulit; testes eorum nummi memores.

Hic nummus argenteus maximi moduli pro raro habendus est.

DIANA EPHESIA. *Diana polymamma in templo quatuor columnarum.*

In Claudii, & aliorum Cæsarum nummis, jam vulgatum est hoc Dianæ Ephesiæ templum, ab Ephesiis nempe signatum, ipsi quidem sub Hadriano renovasse videntur illud præcipuum urbis suæ numen, quum ille in Asiam venit anno v. c. 880.

Hic nummus maximi moduli pro rarissimo habetur.

Eadem epigraphe. Aquila alis extensis.

Aquila tanquam imperii symbolum frequens in maximis Syriæ, & Phœniciæ urbium nummis occurrit; aquila autem fere semper aliquid unguibus gerit, aut ipsi insistit tanquam symbolo, unde, urbs in qua nummus cusus sit, denotat: sed quum ea nihil habeat, ubinam hic signatus fuerit, incertum manet.

Hic nummus maximi moduli ex argento pro rarissimo habendus est.

Eadem epigraphe. Aquila legionaria inter duo signa militaria.

Populi, qui nummum Hadriano cuderunt cum aquila legionaria, & signis militaribus, ad disciplinam respexisse videntur, quam ille in legionibus Romanis observabat, & ad exercitus, quos in omnibus provinciis maxime institutos habebat: testes sunt ipsi ærei nummi

S. C.

s. c. in hanc rem Hadriano ſignati. Ad colonias, quas ipſe deduxit, referri poſſe exiſtimamus.
Hic nummus maximi moduli rariſſimus eſt.

DISCIPLINA AVG. *Imperator gradiens paludatus, tribus militibus ſigniferis ſubſequentibus.*
Etiamſi Hadrianus nulla per ſe bella geſſerit, & ut inquit Spartianus, pacis magis, quam belli cupidus eſſet, militem, quaſi bellum immineret, exercuit: ſi quidem ille poſt Auguſtum, labantem *Diſciplinam*, incuria ſuperiorum principum, retinuit, ordinatis & officiis, & imperatis.
Hic nummus aureus elegantiſſimus eſt.

DIVIS PARENTIBVS. *Capita adverſa Trajani, & Plotinæ, aſtris inſignita.*
Hadrianus non modo Trajanum, ſed etiam Plotinam in deorum numerum retulit, pius in patrem, & matrem, a quibus adoptatus fuerat, cujus rei memoriam ut poſteris commendaret, eorum capita aſtris inſignita cum elogio *Divis Parentibus* in ſuis nummis cudi juſſit.
Hic nummus aureus inter præſtantiores adnumeratur.

Eadem epigraphe. Capita jugata Trajani, & Plotinæ, aſtrum ſuper Trajani caput, alterum ante Plotinam in area.
Non modo conſecrationem Trajano, & Plotinæ procuravit, ſed quum triumphum ei Senatus, qui Trajano debitus erat, detuliſſet, recuſavit ipſe, atque imaginem Trajani in curru triumphali vexit; in honorem vero Plotinæ, Baſilicam apud Nemauſum opere mirabili extruxit.
Hic nummus aureus eximiæ raritatis eſt.

DIVO TRAIANO PATRI AVG. *Caput Trajani patris.*
Mortuo Trajano Selinunte in Cilicia, quum rediret ex bello Parthico, Tatianus, Plotina, & Matidia ejus reliquias Romam tranſportarunt. Hadrianus conſtitutis in Oriente rebus, in urbem ſtatim venit, & Trajano divinos honores, datis ad Senatum acuratiſſimis literis, poſtulavit, & ſic inter deos Trajanus relatus eſt an. 872. Ex Euſebio.
Hic nummus argenteus rariſſimus eſt.

FOR-

FORTVNA SPES. *Duæ figuræ stantes, a dextris Fortuna cum temone, & cornucopiæ, a sinistris Spes cum flore.*
Fortuna, & Spes in nummo Hadriani cælatæ sunt post adoptionem L. Ælii, adinstar ejusdem typi, qui in ejus Cæsaris nummo, a Senatu signatus est ad designandam Fortunam, & Spem, quam Hadrianus conceperat de illius adoptione, nam frequens in nummis Augustorum *Fortuna*, ut *Spes* in Cæsaribus.
Hic nummus aureus inter raros locum habet.

GERMANIA. *Figura tunicata cum pallio stans, dextra hastam, sinistra clypeo exagono innixa.*
Germania stat, nec decumbens ut subacta omnino provincia, hic exhibetur, & in eam provinciam potius Hadriani peregrinationem anno 875. denotat, de qua Spartianus, *Inde in Germaniam transit pacis magis, quam belli cupidus.* Clypei exagoni Germanorum erant proprii.
Hic nummus argenteus pro raro, & conspicuo censendus.

HERC. GADIT. *Hercules innixus clavæ, sinistra tria mala, hinc fluvius decumbens, illinc dimidia navis.*
Hercules dictus est Gaditanus, quod ex Syria Gades usque victor pervenit, ab Hadriano cusus ad originem suam ex Italica urbe ad Bætim arguendam: nam ut præcipuum provinciæ numen hic exhibetur, cujus erat templum hoc tractu celeberrimum. Figura illa barbata, fluvius est Bætis; ad cujus litus Italica, & Gades versus ejus ostia sitæ erant.
Hic nummus aureus inter rariores collocandus.

HISPANIA. *Figura mulieris humi decumbentis, sinistra rupibus innixæ, dextra ramum, pro pedibus cuniculus.*
Decumbit Hispania ut pacata provincia: monticulis innititur, ad denotandam ipsius soli asperitatem: ramus olivæ, & cuniculus ejus symbola sunt, ob eorum in ea abundantiam: in Hadriani nummis depingitur in memoriam ejus in illam peregrinationis, cujus meminit Spartianus, *Post hæc Hispanias petit, & Tarracone hiemavit.*
Hic nummus ex argento frequens, ex auro non obvius est.

ITA-

ITALIA. *Figura muliebris stolata stans, dextra hastam puram, sinistra cornucopiæ.*

Italia in memoriam beneficiorum ab Hadriano acceptorum hic repræsentatur; hæc memorat Spartianus; *Aurum coronarium Italiæ remisit*, & paulo post, *infinitam pecuniam, quæ fisco debebatur, privatis debitoribus in urbe, atque Italia remisit .... Pueris, ac puellulis, quibus etiam Trajanus alimenta detulerat, incrementum liberalitatis adjecit.*

Hic nummus argenteus rarus est.

LIBERAL. AVG. III. *Imperator sedens in substructione pro congiario distribuendo, adsistentibus aliis figuris.*

Septem congiaria populo distribuisse Hadrianum nos docent ejus nummi, sed quum tertium fuerit duplex, ideo in iis frequens observatur, ut pote æternum tanti beneficii monumentum, ex Sarmatia dum rediret an. 874. de quo Spartianus, *Congiarium duplex præsens populo dedit, ternis jam per singulos aureis se absente divisis. Hic nummus argenteus in elegantiorum numero computatur. Diversi sunt hujus liberalitatis typi.*

LIBERAL. AVG. III. P. M. TR. P. COS. III. *Imperator sedet pro congiario, pone eum Præfectus prætorii, adstat liberalitas: prope, templum distylum; ascendit Romanus scalam.*

In Capitolio tribunal ad distribuendum Hadriani tertium hoc celeberrimum congiarium fuisse erectum denotat nummus, qui ædem Jovis Capitolini repræsentat, unde passim ex illo Romanæ Historiæ supplentur, quæ ejus largitionis locum prætermisere.

Hic nummus argenteus rarissimus est.

* MARTI. *Figura Martis galeata stans habitu militari, dextra hastæ ferratæ innititur, sinistra demissa clypeo humi imposito.*

Sub Martis effigie Hadrianum in hoc nummo sculpsere. Simile huic simulacrum ex marmore pario cernitur in ædibus Capitolinis inter tot alia præclarissima signa, quibus Capitolium locupletavit Clementis XII. munificentia: hoc tantum discrimine, quod Hadrianus ex marmore stat nudus; in nummo habitu militari.

(1) *Hic nummus ex argento raritatis eximiæ est, & elegantiæ.*

NILVS

(1) In museo D. Ab. de Rothelin.

NILVS. *Figura virilis seminuda humi desidens, dextra arundinem, sinistra cornucopiæ: pro pedibus crocodilus, & hippopotamus.*
Nilus Ægypti symbolum est; Hadrianus in illo fluvio navigans, amisit Antinoum, teste Spartiano, *Antinoum suum, dum per Nilum navigat, perdidit*. Arundo, cornucopiæ, crocodilus, & hippopotamus ejus symbola sunt, quorum abundantiam in eo denotant; & cornucopiæ per ejus tractum frumenti copiam designat.
Hic nummus argenteus obvius est, in auro inter rariores habendus.

OPTIMO PRINCIPI. *Mulier stolata stans, dextra pateram, sinistra hastam.*
Optimi cognomen, quod à Trajano adoptatus esset, in titulis nummorum initio adsumpsit; porro nummus ipsi concessum fuisse innuere videtur, adulatorie forsan, & primis imperii temporibus.
Hic nummus argenteus inter rariores collocandus.

PATIENTIA AVGVSTI COS. III. *Figura muliebris sedens, dextram extendit, sinistra hastam puram.*
Patientia in Ethnicis, non ut in Christianis accipienda videtur; in his ea consistit in perferendis contumeliis, & adversis, in illis rerum difficilium voluntaria, ac diuturna est perpessio, de qua Suetonius in Claudio c.15. *Adeo causidicos* Patientia *ejus solitos abuti*. Et Spartianus de ipso Hadriano, *Frigora, & tempestates ita* Patienter *tulit, ut nunquam caput tegeret.*
Hic nummus argenteus rarissimus est.
[*Hunc nummum transcripsit Vaillantius ex Petro Seguino, ex quo pariter in suum Occonem transtulit Mediobarbus. Ceterum in nova editione, quam idemmet Vaillantius adornavit, numismatum selectorum Seguini, suspicatus est alicujus falsarii fraude epigraphen nummi Hadriani* CLEMENTIA AVGVSTI, *paucis literis immutatis, conversam esse in hanc* PATIENTIA AVGVSTI.]

P. M. TR. P. COS. III. *Figura muliebris tunicata, & galeata dextram olivæ arbori admovet, sinistra hastam gerit: pro pedibus cuniculus.*
Hæc mulier Hispaniæ provinciam designare videtur, cujus olivam arborem, & cuniculum ob eorum in ea regione abundantiam, esse symbolum supra diximus, hic denotat Hadriani in Hispania pere-

grinationem, & beneficia Hispanis a liberalissimo principe collata; testis nummus *Restitutori Hispaniæ*.
Hic nummulus aureus elegantissimus est.

Eadem epigraphe. Hercules stans inter duas figuras muliebres in aditu templi, in imo figura fluvii. Diversi sunt typi.
Templum est Herculis Gaditani, ut indicat figura fluvii Bætis in imo nummi, de quo supra diximus, ad indicandam Hadriani patriam: vide hujus fani, & sacri descriptionem apud Silium Italicum Punicor. 3. in quo nullam effigiem, simulacraque nota deorum, forsan illius ævo.
Hic nummus aureus inter rariores recensetur.

* *Eadem epigraphe. Hercules nudus a fronte insidens clypeo, dextra clavam demissam proræ navis impositam, sinistra, a qua pendent exuviæ leonis, fulmen: prope a sinistris lorica*.
Herculem Gaditanum, ut superius dictum est, coluere Italica, & Gades. Insculptum illum voluit Hadrianus in auro, atque argento honoris causa erga urbem, in qua ortus fuerat.
(1) *Hic nummus aureus rarioribus adnumerandus*.

Eadem epigraphe. Fluvius decumbens dextra anchoram, & cubito cymbæ innixo, lævam capiti duo cornua gerenti admovet.
Fluvius ille Rhenus est duo cornua gerens, unde *bicornis* dictus a Virgilio Æn. 8. quod ex duobus fontibus ortus, in mare per duo ostia delabatur, Germaniam a Gallia disterminans, ideo monimentum peregrinationis Hadriani, quum ex Gallia in Germaniam illum cymba transiit; Spartianus, *Post hæc profectus in Gallias. Inde in Germaniam transiit*.
Hic nummus argenteus pro raro recensetur.

Eadem epigraphe. Hadrianus togatus stans globum recipit a Jove seminudo, pro cujus pedibus aquila.
Jupiter Hadriano globum tradit, quem ille recipit; qui typus a principe exhibetur, ut denotet quandoquidem deorum providentia imperii regimen a Jove acceperit, se illud sancte, religioseque gubernaturum.
Hic nummus aureus de præstantiorum numero est.

PONT.

(1) In museo D. Apostoli Zeno.

PONT. MAX. TR. POT. COS. *Jupiter sedet cum pallio divinitatis, dextra Victoriam, læva hastam.*
Ad victoriam de Judæis relatam spectat, quam præ manibus tenet Jupiter Capitolinus, de cujus nomine dicta est Capitolina urbs, super Hierosolyma penitus eversa, recens constructa, & de nomine suo colonia Ælia est vocata. In Syria, aut in hoc tractu cusus est nummus.
Hic nummus maximi moduli inter rarissimos recensetur.

RESTITVTORI ACHAIAE. *Imperator togatus figuram muliebrem procumbentem sublevans, vase intermedio.*
Spartianus Hadrianum visitasse Achajam narrat, *post hoc per Asiam, & insulas ad Achajam navigavit*, nullam autem provinciam adiit, quin eam sublevarit, in cujus memoriam nummus cusus est, & Hadriano posita est statua apud Pausaniam lib. 5. *Statuas e pario lapide urbes Achaici conventus.* In vase apium Tristanus, oleastri vero ramum Harduinus existimat.
Hic nummus ex argento rarior est aureo.

RESTITVTORI AFRICAE. *Imperator togatus sublevat figuram muliebrem, proboscidem in capite habentem, sinistra spicas.*
In Africam navigasse Hadrianum refert idem Spartianus. *Inde Romam venit, atque ex ea in Africam transit.* Ejusdem percussi nummi causam adjungit idem auctor; *Ac multum beneficiorum provinciis Africanis attribuit.* Africa proboscide elephantis tanquam insigni ornatur, ob eorum in hac regione frequentiam; spicas gerit ad fertilitatem designandam.
Hic nummus aureus rarior est argenteo.

RESTITVTORI GALLIAE. *Imperator figuram procumbentem sublevans, sinistra vestem sublevat.*
Spartianus hunc Hadriani Restitutoris Galliæ nummum omnino illustrat, dum ait, *Post hæc profectus in Galliam, omnes causariis liberalitatibus sublevavit.* Dicitur autem *causaria liberalitas*, ex Casaubono, cui aliquis casus, aut calamitas fuit causa, quale incendium, terræmotus, inundatio, aut bellica vastatio.
Hic nummus argenteus nec rarus, nec obvius est.

RESTITVTORI HISPANIAE. *Imperator figuram procumbentem læva ramum gerentem ſublevat, pro pedibus cuniculus.*
De beneficiis Hiſpanis ab Hadriano collatis ſæpe diximus. Ex Bætica autem ille oriundus erat. Hiſpania in ejus nummis pro inſigni olivæ ramum gerere videtur, quum in ea præſertim illis plurimum abundet: unde apud Gruterum pag. 1116. *Mercator olei Hiſpani ex provincia Bætica* Hiſpaniæ.
Hic nummus argenteus ejuſdem pretii eſt, ac ſuperior.

RESTITVTORI ITALIAE. *Typus idem.*
Hadrianum multa Italiæ beneficia contuliſſe diximus in hujus provinciæ nomine, ideo recte *Italiæ Reſtitutor* a Senatu in nummis appellatur, de quo Spartianus; *Pueris ac puellulis, quibus etiam Trajanus alimenta detulerat, incrementum liberalitatis adjecit.* Unde conſtituti Curatores alimentorum Italiæ.
Hic nummus aureus rariſſimus eſt.

ROMA AETERNA. *Roma inſidens ſpoliis pede calcat globum, dextra caput ſolis, & lunæ.*
Roma ſub Hadriano dicitur æterna, ob plurima ab eo reſtaurata, & conſtructa ædificia, ita ut in perpetuum inde duratura; in cujus rei memoriam tenet una manu caput ſolis, altera caput lunæ, tanquam æternitatis ſymbola, quum hæc ſidera, ex Ægyptiorum religione, æterna exiſtimarent Romani.
Hic nummus aureus inter rariores locandus.

ROMVLO CONDITORI. *Figura paludata gradiens, humeris trophæum geſtat.*
Tot ædificia Romæ conſtruxit, & reparavit Hadrianus, ut alter urbis Romulus conditor videretur. De iis Spartianus; *Romæ inſtauravit pantheum, ſepta, baſilicam Neptuni, ſacras ædes plurimas, forum Auguſti, lavacrum Agrippæ. Fecit & ſui nominis pontem, & ſepulcrum, & ædem Bonæ deæ tranſtulit.*
Hic nummus argenteus pro raro habetur.

SAEC. AVR. P. M. TR. P. COS. III. *Genius ſeminudus ſtans in medio circuli, cui dextram adponit, ſiniſtra globum tenens, cui inſiſtit phœnix.*

Ge-

Genius Senatus videtur esse in hoc circulo, ad denotandum sub Hadriano, quod Dio sub Commodo a Senatu decretum esse narrat, ut id ævum, quo principatum teneret, nominaretur *sæculum aureum*; Ideo circulus æternitatis symbolum, ut & phœnix globo superpositus. Vide Tristanum tom. 1. pag. 475.

Hic nummus argenteus eximiæ raritatis est, & elegantiæ, aureus vero rarissimus est.

TELLVS STABIL. *Figura virilis tunicata stans pedibus super antliam, cujus summitatem tenet, sinistra rastellum inversum: pro pedibus a sinistris exurgunt duæ spicæ.*

Ad Fucinum lacum ab Hadriano emissum spectat hic nummus. Claudius quidem hujus aquam, ex Spartiano *Fucinum lacum emisit* per subterraneum specum, in Lirim amnem deduxerat, sed Hadrianus per antlias exsiccavit, unde Agricola pede unam calcat, cujus manu summitatem tenet, quarum usu exhausta est aqua; rastrum habet, & exurgunt spicæ, unde terræ cultura, & frumenti perceptio indicantur.

Hic nummus ex argento obvius, ex auro inter rariores reponendus.

Eadem epigraphe. Mulier decumbens dextra globum genu superimpositum tangit.

Mulier illa decumbens pro tellure, seu terræ Dea accipitur, ut cum ea rerum omnium mater, & alumna hìc posita sit cum epigraphe superiori simili *Tellus stabilis*, ex qua nummum etiam ad Fucinum lacum antliis ab Hadriano emissum spectare putamus, unde exsiccato lacu tellus stabilita. Vide Raph. Fabrettum de Emissario Fucini.

Hic nummus argenteus pro conspicuo habendus.

TRIBUNIC. POTESTAS. *Duo Impp. dextras jungunt.*

Quum plurimi Hadrianum a Trajano adoptatum fuisse non existimarent, sed id Plotinæ factione post ejus mortem actum, Hadrianus, ut omnibus adoptionem suam persuaderet, nummos cum adoptionis symbolo percussit, & hunc quidem, ut ab eo principe tribuniciam potestatem summi fastigii indicem sibi etiam fuisse communicatam denotaret.

Hic nummus argenteus rarissimus est.

VENE-

VENERI GENETRICI. *Venus stans, dextra Victoriolam trophaeo onustam, sinistra clypeo innixa hastam gerit.*
Venus Genetrix eadem videtur a Romanis existimata, quae Victrix, quum haec Genetricis nomen habeat, & victoriam, hastam, & clypeum gerat. Julius Caesar Genetrici Veneri templum dedicavit, quam Victricem appellat in tessera a se in pugna Pharsalica data. Ad fecunditatem ab ea Sabinae uxori impetrandam.
Hic nummus aureus rarus est.

VOTA PVB. *Genius stans, sacrificat super aram ignitam, coram Jove togato.*
Genius Senatus sacra facit Jovi pro Hadriano de Senatu bene merito, de quo Spartianus; *Optimos quoque de Senatu in contubernium imperatoriae majestatis adscivit.* Senatui enim legitimo, quum in urbe vel juxta urbem esset, intererat, & sententiam semper ex omnium deliberatione proferebat.
Hic nummus aureus inter rariores adnumerandus.

VOTA PVBLICA. *Imperator velatus dextra pateram super aram ignitam: adstant quatuor figurae, quarum una tibicinem exhibet, altera popam, cum Victima.*
Augustus, quum totius imperii possessionem adeptus esset, pontificatum maximum suscepit, ut supremam etiam divinarum rerum auctoritatem, quae hoc sacerdotio comprehendebatur, haberet: quod post eum, omnes principes retinuerunt. Itaque Hadrianus, ut inquit Spartianus, *Pontificis maximi officium peregit.*
Hic nummus aureus singularis elegantiae, & raritatis est.

VOTA SVSCEPTA. *In corona quercea.*
Vota quidem decennalia pro novi Imperatoris incolumitate suscipiebantur, quae, quum soluta essent pro decennio, alia pro altero decennio suscipiebantur, cujus memoria in hoc nummo adposita est in corona nempe quercea, uti moris erat, quod publica salus in Imperatore contineretur.
Hic nummus aureus rarus, & elegans est.

ΕΤΟΥΣ ΗΙΥ. *Anno 418. Caput Hadriani laureatum.*
ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΣΑΥΡΟΜΑΤΟΥ. *Caput Regis.*

Ille

Ille est Sauromates Bospori Asiatici rex, qui nummos suos Trajano cudit, Hadriano gratulans, quod imperium post Trajanum susceperit, annumque æræ antecessorum numerat HIY. Id est 418. ipsa computata post Antigonum in prælio occisum, olymp. CXIX. anno IIII. respondente V. C. 453. & 454. quo ipsi regnum recepere. Hi anni simul juncti efficient V. C. 870. quo Hadrianus A. D. III. *Id. Aug.* imperium suscepit.
Hic nummus aureus eximiæ raritatis est, & elegantiæ.

* *Sine epigraphe. Caput Hadriani laureatum cum sceptro ante faciem; infra collum* AMΦ. *anno* 541.
ΒΑCΙΛΕΩC ΡΗCΚΟΠΟΡΙΔ. *Caput Regis juvenile comatum, & diademate revinctum.*
Ex hoc nummo perfectæ integritatis, barbaræ quamvis scalpturæ, prodit verum nomen hujus Thraciæ regis RESCOPORIDIS, quod varie inflexerunt veteres Scriptores. Annus 541. pertinet ad æram, de qua superius in nummis Trajani, incipientem ab anno V. C. 330. simul junctis duobus his numeris emergit annus 871. qui erat Imperii Hadriani I. & 2. Sceptrum ante faciem Hadriani insculptum, testimonium est subjectionis, qua ditionem suam Hadriano offert Rescoporides. Facies barbata, Hadriani vultum discernit a vultu Trajani, qui imberbis semper processit.
(1) *Hic nummus didrachmalis ex argento, sed impuro, inter rariores, & præstantiores locum habet.*

ΑΥΤ. ΚΑΙ. ΤΡΑ. ΑΔΡΙΑΝΟΣ ΣΕΒ. Π. Π. ΥΠ. Γ. *Caput Hadriani.*
ΑΜΙΣΟΥ ΕΛΕΥΘΕΡΑΣ ΕΤΟΥΣ Ρ. Ξ. Γ. *Anno* 163. *Pallas galeato capite stans, dextra extensa Victoriolam, sinistra demissa clypeum.*
Amisus urbs Ponti in nummis, ut apud Plinium, libera dicitur, sed unde æram computet, magna inter Antiquarios contentio. Alii tres, alii duas, alii unam tantum ei adstruunt: omnes quidem ex Strabone pag. 547. ab iis eruuntur, prior a Julio Cæsare, altera ab excussa Stratonis tyrannide, tertia ab Augusto post Actiacam victoriam. Vide in sequentibus. Pallas sui cultum Amisi indicat.
Hic nummus argenteus inter rarissimos locandus est.

Eadem

(1) Apud Franciscum Palatium.

Eadem epigraphe. ET. P. Ξ. Δ. *anno* 164. *Capricornus cum globo, desuper cornucopiæ*.

Una tantum Amisi æra ab anno 721. inter Majum, & Septembrem cœpta est, ideo Juliana, & Augustana expungendæ, & tertia, ab excussa nempe Stratonis tyrannide, retinenda, quam ex Sabinæ, Ælii Cæsaris, & Diadumeniani nummis probabimus. Capricornus, an ad natales Augusti, aut Hadriani spectet, videant eruditi.

Hic nummus argenteus inter rariores habendus.

Eadem epigraphe. ET. P. Ξ. ς. *anno* 166. *Mercurius nudus stans, dextra caduceum, sinistra pallium complicans* [*dextra crumenam, sinistra caduceum, penes Editorem*.]

Stabilita a nobis Amisi æra anno v. c. 721. ut illa Sabinæ, Ælii Cæsaris, & Diadumeniani nummis correspondeat, prior Hadriani nummus annum 163. exhibens, incidit in annum v. c. 883. alter cum Capricorno anno 164. sequenti correspondet, hic vero cusus anno 166. cum v. c. 886. copulatur. Mercurius sui cultum Amisi denotat.

Hic nummus argenteus inter rariores recensetur.

Eadem epigraphe. ET. P. Ξ. Z. *anno* 167. *Mulier stolata stans, dextra extensa, sinistra hastam*.

Mulier illa stolata, videtur esse Sabina Romanæ matronæ habitu, vel Genius urbis. Amiseni a Trajano eranum obtinuerunt ex Plinio juniore lib. 10. ab Hadriano autem plurima beneficia accepisse videntur, cum tot illi, Sabinæ, & filio adoptivo nummos dedicarint. Notæ P. Ξ. Z. ad annum 167. v. c. 887. correspondentem spectant.

Hic nummus ex argento inter elegantiores numerandus est.


ΑΥΤ. ΚΑΙΣ. ΤΡΑΙΑΝ. ΑΔΡΙΑΝΟΣ ΣΕΒ. *Caput Hadriani laureatum*.

ΥΠΑΤΟΣ Γ. ΠΑΤΗΡ ΠΑΤΡΙΔΟΣ. *Fortuna stans cum temone, & cornucopiæ*.

Hadrianus consul tertium dicitur in nummo, sed quum post hunc, nullum alium gesserit, annus, quo cusus est, nosci nequit, ut & in qua urbe, quum illa nomen suum non adposuerit. Fortuna in num-

nummis Imperatorum cælabatur, quum ea cuncta gloriosa deferret, & prospera, ut refert Ammianus Marcellinus lib. 22.
Hic nummus argenteus pro raro, & elegante habendus.

ΔΗΜ. ΕΞ. ΥΠΑΤ. Γ. *Mons Argeus, in cujus vertice Imperator paludatus stans, dextra hastam.*
Mons Argæus nummum denotat Cæsareæ in Cappadocia cusum, in cujus summitate Imperatorem, ut plurimum ponebant, tanquam ille esset deus loci topicus, quem summo cultu prosequebantur.
Hic nummus argenteus pro raro, & conspicuo recensetur.





SABINÆ nummi ex auro, & argento frequentes, & obvii ſunt.

DIVA AVGVSTA SABINA. *Caput Sabinæ velatum.*
CONSECRATIO. *Aquila.*
Quantum Hiſtoriæ Auguſtæ ſubſidium afferant nummi, procul dubio ignorant, qui eos non tractant: unde enim Sabinæ conſecrationem, de qua ſilent Hiſtorici doceremur, niſi per illos? Aquilam jam diximus in Auguſtarum conſecratarum nummis adhiberi, tanquam æternitatis ſymbolum, quod hæ renovari dicantur.
Hic nummus argenteus rarus eſt.

Eadem epigraphe. Aquila efferens in cælum figuram Sabinæ velo circumdatam.
Artemidorus lib. 2. Oneirocrit. cap. 20. narrat vehi ſuper aquila, regibus quidem, & magnatibus, ac opulentis viris interitum prædicere. *Vetus enim mos eſt hos mortuos tum fingere, tum pingere Aquilæ inſidentes.*
Hic nummus aureus anteriore rarior eſt.

SABINA AVGVSTA. *Caput Sabinæ.*
INDVLGENTIA AVG. P. P. COS. III. *Figura muliebris ſedens, dextra pateram, ſiniſtra haſtam tranſverſam.*
Indulgentiæ typus ad Auguſtas non ſpectat, ſi quidem illa in nummis ut plurimum pro conceſſione, aut permiſſione accipiatur.
Hic nummus argenteus rarus eſt, etiamſi pars averſa ad Hadrianum pertinere videatur.
[P. Froelich dubitat, an hic nummus ſubæratus ſit, atque adeo vitioſus culpa veteris monetarii, qui typum, & epigraphen Hadriani aver-

aversæ parti nummi Sabinæ ex ignorantia aptaverit. Apud Editorem reperitur hic nummus ex argento solido, & minime subæratus. Hadrianus nempe titulo Augustæ Sabinam uxorem quamvis *morosam, & asperam*, ut illam nuncupat Spartianus, honestari indulsit.]

IVNONI REGINAE. *Figura muliebris stolata stans, sinistra hastam, pro pedibus pavo.*
Juno Regina sæpe in nummis Augustarum signatur, illa sic a Latinis dicta, quod soror, & conjux Jovis, deorum, atque hominum regis esset: ita Sabina, ut conjux Imperatoris, adulatorie Juno Regina appellatur. Pavo ipsius deæ symbolum est.
Hic nummus aureus pro raro notandus est.

PIETATI AVG. *Ara.*
Pietati Sabinæ erecta videtur post mortem ara, ob pueros, & puellas Alimentarios ab ea institutos, si mihi conjicere licet, quos quum per testamentum decrevisset, illos Antoninus Pius deinde curavit. Puellas hic etiam Faustinianas in Faustinæ uxoris gratiam instituit.
Hic nummus argenteus inter rariores habetur, præsertim si caput est velatum.

TELLVS STABIL. *Figura muliebris humi decumbens, dextram globo adponit, sinistro brachio columnæ cippo innixo spicas gerit.*
Hæc epigraphe, & idem fere typus in nummis Hadriani occurrit, quem ad lacum Fucinum per eum principem emissum pertinere diximus: sic tellus stabilita frumenti copiam producens Hadriano, & Sabinæ gratulatur, tanquam sub eorum imperio longa pace totus orbis annona perpetua gauderet.
Hic nummus argenteus inter præstantissimos adnumerandus est.

* VESTA. *Vesta sedens, velata, & stolata, dextra palladium, sinistra hastam.*
Nulla ferme est mulier de Augustorum domo, quæ quamvis pudicæ prærogativa non gauderet, pudicitiam tamen non ostentaret. Ea de causa Vestam suis in nummis insculpi iis maxime placuit, sub cujus effigie veluti sub pudicitiæ typo se populis repræsentari arbitrabantur.
(1) *Hic nummus aureus perrarus, & elegans est.*

(1) In museo D. Apostoli Zeno.

★ CABEINA CEBACTH. *Caput Sabinæ*.

ΑΜΙCΟΥ ΕΛΕΥΘΕΡΑC ΕΤΟΥC ΡΞΗ. *anno 168. Mulier stolata stans, dextra pateram, sinistra hastile, cui aquila, vel quidpiam simile superimpositam*.

Figura muliebris vel ipsa Sabina est, vel Genius urbis Amisenorum. Annus hujus æræ 168. cadit in annum v. c. 888. juxta firmata a Vaillantio in nummis Hadriani Amisi signatis.

(1) *Hic nummus ex argento rarissimus est*.

ΣΑΒΕΙΝΑ ΣΕΒΑΣΤΗ. *Caput Sabinæ*.

ΑΜΙΣΟΥ ΕΛΕΥΘΕΡΑΣ ΕΤΟΥΣ. Ρ. Ξ. Θ. *Figura Veneris nuda genuflexa pone aspiciens, dextra velut speculum tenet*.

Amisi æræ annus 169. in Sabina, initio anni v. c. 723. convenire nequit, ut ajunt; incideret enim in annum 891. quum jam mortua esset anno 889. ante adoptionem Ælii Cæsaris, ex Spartiano; *Sabina uxor non sine fabula veneni dati ab Adriano defuncta est. Tunc Cejonium Commodum .... adoptare constituit*. Ergo illum præcedit, ut in Hadriano diximus, & æra anno 721. adsignanda. Venus aut sui cultum Amisi indicat, aut urbs sub Veneris effigie Sabinam venerabatur.



ÆLII

(1) In museo Editoris.



ÆLII nummi ex argento triti, ex auro rariſſimi ſunt.

L. AELIVS CAESAR. *Caput Ælii ſine corona.*

CONCORD. TRIB. POT. COS. II. *Figura muliebris ſedens, dextra pateram.*

Mortua Sabina Hadrianus, ex Spartiano, L. Cejonium Commodum adoptare conſtituit; hic tunc erat conſul anno 789. cum Civica Pompejano; eum itaque deſignavit conſulem II. ut moris erat, menſe Septembri. *Decreto conſulatu cum ſumptibus, eumdem Commodum ſecundum conſulem deſignavit.* Itaque illum geſſit 790. in quo nummus ad ejus concordiam cum Hadriano arguendam cuſus eſt.

Hic nummus ex argento tritus, ex auro inter rariores habendus.

FELICITAS AVG. *Figura muliebris ſtans, cum caduceo, & cornucopiæ.*

Felicitas populi Romani per adoptionem Ælii Cæſaris ab Hadriano factam indicatur hoc nummo, ut Hilaritas ejus in æreo primi moduli denotatur.

Hic nummus argenteus rarus, ex auro rariſſimus.

PIETAS TR. POT. COS. II. *Figura velata ſacrificans coram ara, dextra protenſa, ſiniſtra pateram.*

Pietas velata vota ſuſcipit III. Decennalia Hadriani, quum ille anno, quo adoptavit Ælium Cæſarem, TR. P. XXI. iniiſſet, L. Ælius vero Tribunitiam poteſtatem ab Hadriano ſibi conceſſam inſcribit, quam

quam, an iterum computaverit, per nummos non probatur, quum Hadrianus annos Tribunitiæ potestatis in eis non signaverit, nec etiam Antoninus Pius imperii initio.
Hic nummus argenteus obvius, ex auro rarissimus.

ΑΙΛΙΟΣ ΚΑΙΣΑΡ. *Caput Ælii Cæsaris.*
ΔΗΜ. ΕΞΟΥΣ. ΥΠΑΤ. Β. *Mulier stans ad aram, sinistra cornucopiæ.*
Quum nulli Ælii Cæsaris nummi cum epigraphe COS. DES. II. occurrant, quidam augurantur eum tantum anno 890. adoptatum fuisse, quo consulatum II. gessit. Mulier illa, Genius est pro Ælii salute sacra faciens.
Hic nummus argenteus maximi moduli rarissimus est.

ΑΜΙΣΟΥ ΕΛΕΥΘΕΡΑΣ ΕΤΟΥΣ Ρ. Ξ. Θ. *Figura muliebris stans, dextra bilancem, læva cornucopiæ.*
Ælius Cæsar non ante annum 889. ab Hadriano adoptatus est, quum ille eo anno consul cum Civica Pompejano in Fastis L. Cejonius Commodus adhuc appellaretur, unde æra Amisi initio anni 723. convenire nequit, quod Ælius Cæsar Kal. Januarii 891. mortuus sit, & Antoninus Pius v. Kal. Martii postea adoptatus, sed hæc in annum 721. rejicienda, inter Majum, & Augustum mensem cœpta; sic annus æræ Amisi 169. in nummo Sabinæ, & Ælii Cæsaris signatus utrique conveniet, prior cusus paulo ante mortem Sabinæ in fine anni 889. alter quum Ælius Consulatum II. gerebat initio anni 890. qui annus 721. æræ Amisenæ respondet Diadumeniani nummo anni 249. in V. C. 970. incidentis.
Hic nummus argenteus præstantissimus est.

AN-



ANTONINI PII nummi ex auro, & argento triti, & frequentes ſunt.

IMP. T. AEL. CAES. ANTONINVS AVG. *Caput Antonini.*

APOLLINI AVGVSTO. *Apollo muliebri ornatu ſtans, dextra pateram, ſiniſtra lyram.*

Apollo ille lyram gerens, Palatinus eſt, ſeu Actiacus muliebri veſte ornatus, ut Auguſti nummi exhibent, & ut Propertius cecinit:

Pythius in longa carmina veſte ſonat.

Huic templum in monte Palatino erexit Auguſtus, quod reſtituiſſe videtur Antoninus Pius.

Hic nummus aureus rarior eſt argenteo.

AVRELIVS CAESAR AVG. PII F. COS. *Caput M. Aurelii ſine corona.*

M. Aurelius in eodem nummo cum Antonino Pio copulatur, quum uterque conſulatum gereret anno 893. hic tertium, ille primum.

Hic nummus ex argento tritus, & obvius, ex auro inter raros habetur.

BRITAN. *Victoria ſtans globo impoſita, dextra coronam gerens.*

Victoria illa Britannica vocatur, quod de Britannis relata ſit. De ipſa Capitolinus, *Nam & Britannos per Lollium Urbicum legatum vicit, alto muro ceſpititio ſubmotis barbaris ducto.* In cujus memoriam in nummis Antonini ſignata eſt.

Hic nummus aureus inter præſtantiores numerandus.

CON-

CONSECRATIO. *Rogus.*

Antonini Pii consecrationem denotat, de qua Capitolinus, *Cum jucunditate a Senatu divus est appellatus, cunctis certatim adnitentibus.* Rogus erat suggestus quidam specie quadrangula, lateribus æquis assurgens, nulla præterquam lignorum ingentiam materia compactus, in quo corpus cremabatur.

Hic nummus ex argento frequens, & obvius, ex auro rarus, & conspicuus est.

COS. III. *Currus triumphalis, in quo Antoninus cum duabus icunculis prætextatis.*

Hic triumphus de Britannia est, in quo Antoninus secum ducit in quadrigis M. Aurelium, & L. Verum filios, illum a se, & hunc a Marco adoptatos; ille autem triumphus in tertio ejus consulatu actus est, ut nummi epigraphe COS. III. declarat.

Hic nummus aureus elegantissimus est.

DIVO PIO. *Columna Antoniniana, cui Imperator insistit, dextra hastam gerens.*

Hæc columna erecta est in Antonini foro ad viam Flaminiam, M. Aurelii rebus gestis insignis, Germanis simul, & Sarmatis, gemino bello devictis; ab eo in patris Antonini Pii memoriam dedicata est ex s. c. Alta 186. pedibus, nunc adhuc extat.

[Vaillantio fucum fecit popularis error columnam coclidem rebus gestis a M. Aurelio insignem, quam Senatus in M. Aurelii honorem erexit, columnam esse Antonianam in Antonini pii memoriam erectam. Columna Divo Antonino Pio erecta, quam exhibet nummus hic argenteus, atque alii ærei, solida est ex marmore Syenite efformata, stylobati insistens elegantissimis anaglyphis insculpto, & clathro reticulato marmoreo pro sui custodia circumsepto. Columnæ hujus altitudo est pedum 50. imi scopi diameter pedum 6. Immanem hanc columnam aggestis ruderibus, & convecta terra consepultam ad diam lucem eduxit Clementis XI. P.M. providentia; eamdemque ab annis quadraginta jacentem, jam pulcherrimo stylobate e conspectu Cytoriæ Curiæ erecto, excitare, eidemque restituere vigilanti animo versat BENEDICTI XIV. P. M. singularis amor, & vere pontificius alendi bonas literas, artesque ingenuas promovendi, & protegendi.]

Hic nummus argenteus inter rariores potest collocari.

Eadem

* *Eadem epigraphe. Vir togatus sedens in sella curuli, pedibus scabello superimpositis, dextra ramum gestat, sinistra hastæ innititur.*

Antonino defuncto *decreti sunt omnes honores*, inquit Capitolinus, *qui optimis principibus ante delati sunt*. Inter hos honores nemo dubitabit præcipuum esse honorem statuæ. Nummus hic nos docet, statuam fuisse illi erectam, eamque sedentem, ramum oleæ in pacis signum dextra gerentem, & fortasse colosseam, qualem Tiberio erectam fuisse ex nummis probe ostendit Laurentius Theodorus Gronovius in explicatione marmoreæ basis Puteolis repertæ.

(1) *Hic nummus argenteus rarus est.*

FORTVNA OBSEQVENS [OPSEQVENS penes Editorem.] *Figura muliebris stolata stans, dextra temonem, sinistra cornucopiæ.*

Fortunæ Obsequentis duæ ædiculæ memorantur a Victore, una in prima regione, Porta Capena dicta; altera in VIII. cujus alteram Antoninus Pius restaurasse videtur: quum sub eo Romæ, ex Spartiano, plurimæ ædes arserint. *Et Romæ incendium, quod trecentas quadraginta insulas, vel domos absumpsit.*

Hic nummus ex auro, & argento rarus est.

GENIO SENATVS. *Figura togata stans, dextra ramum, sinistra scipionem eburneum.*

Nihil mirum si a Senatu Antoninus, ipsius Genius fuerit dictus, & sic in nummis depictus: siquidem de eo Capitolinus, *Senatui tantum detulit Imperator, quantum quum privatus esset, deferri sibi ab alio principe optavit.* Genius ramum gerit, ut pacis potius, quam belli cupidus, scipio eburneus consulis symbolum est.

Hic nummus argenteus rarus est.

* IMPERATOR II. *Caduceus inter duo cornuacopiæ.*

Si umquam pace longo tempore Imperium Romanum gavisum est, id accidit Antonino Pio imperante. *Solusque omnium*, inquit Capitolinus, *prope principum prorsus sine civili sanguine, & hostili, quantum ad se ipsum pertinet, vixit.* Hanc pacem comitata est bonorum omnium abundantia, quam duo cornuacopiæ aperte significant.

(2) *Hic nummus argenteus inter rariores locum habet.*

(1) In museo Editoris. (2) In eodem museo.

IOVI STATORI. *Jupiter seminudus stans, dextra fulmen, sinistra hastam gerit.*

Jovem Statorem a sistendo volunt dictum, quod exercitum Romanum præ Sabinis fugientem, stiterit Romuli precibus; alii sic appellatum volunt, quod beneficio ejus omnia; quo sensu Antoninum Jovi comparasse videntur, illum Romani imperii Statorem nominantes, ut Cicero in oratione priusquam in exilium iret, Jovem appellavit.

Hic nummus aureus inter elegantiores adscribendus.

ITALIA. *Italia capite turrito insidens globo stellato, dextra cornucopiæ, sinistra sceptrum.*

Italia globo stellato insidet, ad denotandam post Faustinam inter sidera receptam, multa sibi largitam esse per Antoninum Pium ad educationem liberorum, de quo Capitolinus, *Puellas alimentarias in honorem Faustinæ, Faustinianas constituit.* Trajanus etiam alimenta Italiæ concesserat.

Hic nummus argenteus non obvius est, præsertim quum adjuncta est TR. POT. *ex auro rarus.*

LIBERALITAS AVG. *Imperator sedens in substructione pro congiario distribuendo, adsistentibus aliis figuris.*

Nummi diligentius, quam Historici, Imperatorum liberalitates, seu congiaria nobis indicant; illi Antoninum Pium octies ea populo distribuisse nos edocent, Capitolinus illa non numerat, *congiarium populo dedit, militibus donativum addidit.* Horum memoria in plurimis typis nobis superest.

Plures sunt ex auro liberalitatis typi, inter raros, & elegantes collocati; ex argento rariores sunt. Tertia hujus metalli rarissima est. Secunda, tertia, & quarta in auro reperiuntur cum figuris, cum figura sola ad octavam aliæ protrabuntur.

LIB. VI. COS. IIII. *Liberalitas stolata stans, dextra tesseram, sinistra cornucopiæ.*

In omni monetarum suarum forma, liberalitatum suarum notas adponebant Romani principes, ut in hoc quinario videtur: hic denarii pars erat dimidia, duos valens sestertios, & pro quinque assibus in solutionem cedens. Horum seriem solus possidet Serenissimus

mus Princeps meus, Cenomanensium Dux inclytus. [Sed etiam nobilissimus vir D. Abbas de Rothelin, cujus seriei editio propediem prodibit in lucem.]
Hic nummus quinarius inter raros adscribendus.

PRIMI DECEN. COS. IIII. *In corona quercea.*
Votorum decennalium pro Imperatoris salute suscipiendorum mos ab Augusto originem duxit ex Dione lib. 53. *Singulis decenniis festum pro ejus renovatione agunt, quod hodie etiam fit.* Eorum memoria in nummis consignabatur: quæ pro Antonino soluta, & suscepta sunt, in annum V.C. 901. incidunt.
Hic nummus ex argento tritus, ex auro rarissimus est.

* ROMA COS. IIII. *Roma sedens, dextra Victoriolam, sinistra hastam.*
Antonino pio erga suos, pio erga patriam Roma in nummo sculpta se dicat, suosque. *Tanta diligentia*, inquit Julius Capitolinus, *subjectos sibi populos rexit, ut omnia, & omnes, quasi sua essent, curaret.*
(1) *Hic nummus ex argento rarus est, & elegans.*

TEMPL. DIVI AVG. REST. COS. IIII. *Templum octo columnarum, in cujus medio duæ figuræ sedentes.*
Quantam Historiæ lucem afferant nummi, dijudicent illi, qui apud Capitolinum tot ædificia Romæ ab Antonino Pio extructa, aut restaurata legunt: de templo enim D. Augusti ab eo restituto nullam haberent, nisi per nummos, notitiam. Duo erant Augusti templa, unum in IV. regione ipsi, & Romæ dicatum, alterum in VIII. a Tiberio cœptum: forsan illud ad prius spectat, ob duas illas figuras in nummo signatas. In nummo autem æreo, illa restitutio occurit in Tr. pot. XXII. anno 913. respondenti.
Hic nummus ex argento rarus, ex auro rarissimus est.

ANTONINVS AVG. PIVS P. P. TR. P. XII. *Caput Antonini Pii laureatum.*
TEMPORVM FELICITAS. *Duplex cornucopiæ decussatim, cum spicis, quibus impositum hinc, & inde caput, unum virile, & alterum muliebre.*

X 2 Capi-

(1) In museo Editoris.

Capita puerilia masculi, & fœminæ in nummo integerrimo probe distinguuntur, & sunt M. Aurelii, & Faustinæ filii, quos illi habebant in Trib. p. XII. Antonini Pii, anno 902. nam ait Capitolinus, *Post hæc suscepta filia, Tribunitia potestate donatus est*. Illam autem accepit v. Kal. Martii an. 900. inde Temporum Felicitas, quum Augustana domus duplici prole beetur.
Hic nummus aureus inter præstantiores collocandus.

* TRIB. POT. COS. III. *Mars per aerem descendens versus Rheam jacentem, &, ut videtur, dormientem.*
Insolens hic typus alludit ad originem Romæ per gnatos Rheæ Silviæ ex concubitu Martis, ut Livius recitat l. I. historiarum. Ut Diis Romani imperii principium, ita ejusdem Imperii amplificatio, & conservatio in hoc nummo attribuitur Antonino.
(1) *Hic nummus aureus insignis elegantiæ, & raritatis est.*

* TR. POT. COS. III. *Specus, sub qua Lupa lactans puerulos.*
Quemadmodum in superiori nummo per Martem, & Rheam significata est Romæ origo, ita eadem significatur in hoc nummo per Lupam Romulum, & Remum in antro montis Aventini lactantem. Urbs Roma novam sui originem acceptam refert Antonino, a quo sancte regebatur, & optimis legibus muniebatur.
(2) *Hic nummus argenteus rarus est: non reperitur apud Mediobarbum.*

TR. POT. XV. COS. IIII. *Imperator eques pacificatoris habitu dextram attollit, sinistra hastam.*
Statua equestris Antonino Pio erecta in ejus Trib. potestate XV. a v. Kal. Martii anni 905. incœpta, ob annonæ abundantiam populo procuratam, si mihi conjicere liceat ex plurimis cum annonæ typo nummis hoc anno percussis. Qua de re Capitolinus, *Vini, olei, & tritici penuriam per ærari sui damna emendo, & gratis populo dando, sedavit.*
Hic nummulus aureus rarus est.

ΑΥ. ΚΑ. Τ. ΑΙΛ. ΑΔΡΙΑΝΟΣ ΑΝΤΩΝΙΝΟΣ. *Caput Antonini Pii laureatum.*

ΚΑΑΤ.

(1) In thesauro Austriaco Vindobonensi, olim PP. CC. (2) In museo Editoris.

ΚΛΑΥ. ΑΡΙΣΤΕΑΣ ΣΤΡΑΤΟ. *Id est* Κλαύδιος Αριςίας Στρατονικέων. *Imperator eques dextram attollens.*

Statua hæc equestris videtur esse Hadriani Imperatoris a Stratonicensibus Cariæ ipsi erecta, quod ille eorum urbem instauraverit teste Stephano, Εκτίσθησε ὑπο Αδριανῦ, *ab Hadriano instaurata.* Illa in nummo Antonini Pii sub magistratu Claudii Aristeæ signata est, quod hic ab eo adoptatus fuerit.

Hic nummus argenteus raritatis eximiæ est.

ΑΥΤ. ΚΑΙΣ. ΑΝΤΩΝΕΙΝΟΣ ΣΕΒ. ΕΥΣΕΒ. *Caput Antonini laureatum.*

ΠΡΟΝΟΙΑ. *Figura muliebris stans, dextra radium, sinistra cornucopiæ; pro pedibus globus.*

In aliqua Græciæ civitate, quæ nomen haud signavit, nummus est cusus, denotatque typus, imperium Romanum per Antoninum Pium, tanquam providentia deorum esse gubernatum, quod globus pro illius mulieris pedibus arguit; unde sub illo rerum omnium abundantia per cornucopiæ designatur.

Hic nummus argenteus inter elegantiores habendus.

ΥΠΑΤΟΣ Β. *Mons Argæus, in cujus vertice figura paludata stans, dextra pateram, læva hastam.*

Consulis II. epigraphe in hoc nummo, eum initio imperii Antonini Pii a Cæsariensibus Cappadociæ cusum fuisse indicat: siquidem eo anno, quo ille ab Hadriano adoptatus est, Consul II. designatus sit. Cappadociæ Cæsariensium mons Argæus, solemne est symbolum, de quo nos sæpius.

Hic nummus argenteus inter raros numerandus.

ΥΠΑΤΟΣ Δ. ΠΑΤΗΡ ΠΑΤΡΙΔΟΣ. *Clava.*

Simplex consulis IV. inscriptio, in quanam Græciæ urbe percussus fuerit nummus, non indicat, quum in eo nomen ejus non adpositum sit: porro clava, in illa Herculis cultum denotat. De nomine patris patriæ Antonino a Senatu oblato, ait Capitolinus, *Patris patriæ nomen delatum a Senatu, quod primo distulerat, cum ingenti gratiarum actione suscepit.*

Hic nummus argenteus rarus est.

FAU-



FAUSTINÆ fenioris nummi ex auro, & argento frequentes, & obvii funt.

DIVA AVG. FAVSTINA. *Caput Fauftinæ velatum.*

AED. DIV. FAVSTINAE. *Templum pulcherrimum fex columnis adornatum, in quo Fauftina fedens.*

Fauftina Antonini Pii uxor mortua eft tertio poft adfumptum ab eo imperium anno; inter divas relata eft, & templum ipfi in via facra regionis quartæ erectum: de quibus Capitolinus, *Tertio anno imperii fui, Fauftinam uxorem perdidit: quæ a Senatu confecrata eft, delatis circenfibus, atque* Templo.

Hic nummus argenteus rarus eft.

AETERNITAS. *Bigæ elephantorum thenfam ducunt, in qua fedet Fauftina.*

Thenfa eft, in qua Fauftinæ cerea imago in circenfi pompa vecta fuit, quum illa inter divas a Senatu relata eft, de qua Capitolinus in nummo fuperiore laudatus, imo, & addit, *quum etiam ipfe hoc conceſſerit, ut imago ejus cunctis circenfibus poneretur.* Æternitatis fymbolum funt elephanti, qui trecentos vivere annos exiftimantur.

Hic nummus aureus rariſſimus eft.

* *Eadem epigraphe. Sydus in medio nummi octo radiis circumdatum.*

Æternos cæli ignes fymbolum effe æternitatis conftat. Animam Fauftinæ repetiiffe fuam ftellam, ex qua defcenderat, juxta platonicam philofophiam nummus indicat. In Deorum numerum relato Julio

Julio Cæſare, ex Suetonio c. 88. ſtella fulſit: & ſtella ſignata eſt in nummo, ut teſtetur Fauſtinam inter divas ſyderibus receptam eſſe.
(1) *Hic nummus ex argento inter rariores numerandus eſt.*

CONCORDIAE. *Duæ figuræ dextras ſibi jungentes.*
Antoninus Pius, & Fauſtina uxor dextras jungunt, ad concordiam conjugalem denotandam: qui mos apud Perſas Philippi Macedonis ævo, pro firmiſſima fide habitus eſt, ex Diod. Siculo in ejus vita.
Hic nummus argenteus pro raro habetur.

CONSECRATIO. *Quatuor equi currentes currum trahunt, in quo Fauſtinæ cerea imago, & altera figura muliebris equorum habenas moderatur.*
Ad conſecrationem Fauſtinæ ſpectat cerea ejus imago in curru a quatuor equis tracta: ipſa ad cælum veloci curru rapitur, illiuſque genius, ſeu mulier ad id poſita, equorum habenas moderatur.
Hic nummus aureus inter rariores recenſetur.

DEDICATIO AEDIS. *Templum exaſtylum, in quo Fauſtina ſedens, ut ſupra.*
Illæ ſunt divæ Fauſtinæ ædes, quas primus ejus Auguſtæ nummus exhibet, eadem enim eſt templi forma: hic ejus dedicationem vides, quarum cæremoniarum pompam, ritus, & ſolemnia lege apud Dionem in Caligula, quum divi Auguſti templum dedicavit, in quibus Imperator, ut Pontifex M. munia obibat.
Hic nummus argenteus rarus, & elegans eſt.

EX SENATVS CONSVLTO. *Duo elephanti ducentes thenſam, in qua ſedet Fauſtina habitu Cereris, dextra ſpicas gerentis.*
Fauſtina in thenſis vehitur, quas bigæ elephantorum cum ſeſſoribus trahunt: hæ erant vehicula ſacra, in quibus Auguſtæ recens inter deas relatæ imago cerea in circenſibus pompis cum aliorum deorum ſimulacris vehebatur: thenſæ illæ a Senatu tantum erant conceſſæ: unde in nummo *Ex Senatuſconſulto.*
Hic nummus aureus præſtantiſſimus eſt.

E X

(1) In muſeo Editoris.

EX SC. *Carpentum a duabus mulis vectum.*

Carpentum a thensa differre videbatur, quod illud coopertum esset, hæc aperta: ambo pro circensium pompa a Senatu decreta, sed carpentum matronis, unde a mulis vehebatur, concessum: de quo Suetonius in Claudio c. 11. *Honos carpenti, quo per circum ducebantur matronæ.* Thensa vero divis data, ab elephantis trahebatur.

Hic nummus argenteus inter rariores habendus.

PIETAS AVG. *Templum exastylum.*

Faustinæ templum rursus prodit, sed cum epigraphe *Pietas*, ad denotandam mariti erga uxorem pietatem, quum eam inter divas referre procurasset; idemque in æreis nummis sub inscriptione *Æternitas* occurrit, ad arguendum, quod eam per consecrationem illa sit consequuta.

Hic nummus argenteus rarus est.

PVELLAE FAVSTINIANAE. *Imperator stans in suggestu, ex adverso sedet mulier ad mensam nummulariam, adstante altera: in imo plurimæ figuræ, quarum duæ puellas habent in manibus.*

Diversus occurrit puellarum Faustinianarum typus, amplior quidem ex auro habetur; Antoninus in eo, qui teste Capitolino, *Puellas alimentarias in honorem Faustinæ, Faustinianas constituit*, stat præsens in suggestu, nomina earum, quæ ad frumentationem admittit, matronæ Romanæ eas scribenti dictans.

Hic nummus ex auro, & argento omni elegantia, & raritate insignis est: ex argento alius est typus, sed minus elegans.

VOTA PVBLICA. *Duæ figuræ dextras sibi porrigunt, tertia intermedia.*

Antoninus Pius concordiam cum uxore Faustina, ita coluisse gloriabatur, ut ejus rei memoriam post ipsius mortem in ejus nummis restituere voluerit, occurrit argenteus cum epigraphe *Concordia*, & ambobus dextras jungentibus, in inscriptione *Vota Publica*, quod ea pro felici successu matrimonii susciperentur.

Hic nummus aureus inter rariores recensendus.

Sine

Sine epigraphe. Lectisternium cum sceptro, & pavone.

Ad Faustinæ consecrationem spectat nummi typus: lectisternium erat in templo sacrorum gratia stratum; id Junonis esse videtur, quod sceptrum tanquam reginæ symbolum, & pavo ipsius insigne indicant, unde Faustina pro nova Junone existimabatur, imo vivens, in nummis pro ipsa jam habita est.

Hic nummus argenteus quinarius inter raros adscribendus.





M. AURELII nummi ex argento, & auro vulgares, & triti ſunt.

AVRELIVS CAESAR AVG. PII F. *Caput Aurelii ſine laurea.*
ANTONINVS AVG. PIVS TR. P. COS. II. *Caput Antonini laureatum.*
Antoninus Pius conſulatum II. anno 892. ſuſcepit cum Bruttio Præſente collega, in eoque M. Aurelium Hadriani juſſu a ſe adoptatum pronuntiavit Cæſarem: ideo in averſa ipſius nummi parte exhibetur, ſed ſine laurea.
Hic nummus ex argento vulgaris, ex auro rarus eſt.

CONSECRATIO. *Rogus.*
Ad M. Aurelii conſecrationem ſpectat rogus. De illo principe Eutropius ait, *Inter Deos relatus eſt, & merito conſecratus.* Ipſi templa, columnas, & ſacerdotes decreviſſe Senatum teſtatur Aur. Victor. Rogus erat ſtrues lignorum ad cremanda principum cadavera: ita dictus, quod in eo dii manes rogentur.
Hic nummus ex argento tritus, ex auro rarus eſt.

AVRELIVS CAESAR AVG. PII F. *Caput Aurelii nudum.*
COS. II. *Figura in quadrigis dextra extenſa, ſiniſtra ſcipionem.*
Hæ quadrigæ triumphum M. Aurelii non deſignant, nullum enim egit, quum Cæſar eſſet: ſed ſunt quadrigæ conſulares in memoriam pompæ proceſſus, ob conſulatum II. cum Antonio Pio IIII. anno v. c. 898. ſuſceptum. Auguſti autem, qua die magiſtratum inibant,

bant, in curru triumphali vehebantur, cujus memoria in eorum nummis consignata est.
Hic nummus aureus inter rariores reponendus.

DE GERM. TR. P. XXX. IMP. VIII. COS. III. P. P. *Congeries armorum.*
DE SARM. TR. P. XXXI. IMP. VIII. COS. III. P. P. *Congeries armorum, ut supra.*
Quum M. Aurelius in Trib. potestate XXX. die 22. Decembris anni 929. de Germanis, & Sarmatis triumphasset, illi anno sequente nummi cum earum gentium armorum congerie tanquam trophæo, in victoriæ memoriam percussi sunt.
Hic nummus aureus rarior est argenteo.

HONOS. *Figura virilis stans, dextra ramum, sinistra cornucopiæ.*
Honos in nummis aliquando pro Deo Virtutis socio exhibetur, tunc hastam gerit cum cornucopiæ; aliquando pro Genio Senatus, qui modo juvenis, modo barbatus pro ætate principis depingitur, & tunc ramum olivæ gestat, & cornucopiæ tenet; quasi Genii sit Senatus, pacem alere ad abundantiam populis conciliandam.
Hic nummus ex argento non obvius, ex auro rarus est.

IMPERII FELICITAS. *Mulier stolata stans, dextra submissa caduceum, læva puerulum gerit.*
Nummus ille percussus videtur ob filium M. Aurelio natum ex Faustina Imperatoris filia, per quem *Felicitas imperii* designatur, quum hæres in eo tandem natus sit, post tam multas adoptiones: hæc Dea ideo illum manu gerit; is fuit Annius Verus, quem Aurelius postquam vocasset Cæsarem, septennem amisit.
Hic nummus argenteus inter conspicuos collocatur.

IMP. VI. COS. III. *Imperator eques dextram elevans.*
Figura illa equestris pacificatoris habitu videtur designare M. Aurelii adventum Romam, post L. Veri mortem, quum ille *Imperator* VI. esset, & Consulatum III. ageret: nisi existimemus statuam esse illius equestrem, quæ hodie adhuc in Capitolii area extat, ipsi a Senatu decreta.
Hic nummus aureus inter rariores recensendus.

Eadem epigraphe. Victoria stans, lauream imponit Imperatori stanti, dextra fulmen, sinistra hastam gerenti.

Altera hæc est M. Aurelii statua, sed pedestris ab eodem Senatu ipsi decreta, ob victoriam Germanicam, qua de causa Imperator VI. vocatus est. Imperator fulmen gerit, imperii Romani symbolum, ut videre est in plurimis aliis Imperatoribus: ipsi enim tanquam Joves Latii in statuis repræsentabantur.

Hic nummus argenteus inter rariores habendus.

PRIMI DECENNALES COS. III. *In corona laurea.*

M. Aurelius mortuo Antonino Pio Non. Martii anni 914. solus imperavit, nova imperii inde auspicia petita: anno 924. finitum est primum ejus decennium, propter quod ludi agebantur, & sacra fiebant: unde eorum in nummis memoria; postea, vicennalia a Senatu, & a populo suscipiebantur.

Hic nummus argenteus obvius est, ex auro inter elegantiores admittendus.

TR. POT. XII. COS. II. *Apollo muliebri habitu stans, dextra pateram, sinistra lyram.*

Antonini Pii nummus occurrit cum epigraphe *Apollini Augusto*, & eodem Apollinis typo, ut hic in M. Aurelio exhibetur cum nota Trib. pot. XII. quos suspicor in iis signatos ob Apollinares ludos ab illis editos, ut solebant quotannis ad prid. Nonas Quinctiles. Apollo pateram gerit, ob sacra ipsi facta.

Hic nummus aureus est rarus.

TRIB. POT. XV. COS. III. *Quadrigæ consulares currum vehunt, in quibus Imperator dextra scipionem gerit.*

Quadrigæ similes jam prodierunt in M. Aurelii Cæsaris nummis, quæ ad pompam consulatus II. spectant: hæ vero ad consulatum III. quem iniit cum L. Vero II. anno V. C. 914. paulo ante obitum Antonini Pii, post quem suscepit Trib. pot. XV. & hic primus est M. Aurelii post patrem mortuum annus, in quo nullum egit triumphum: sed memoria est processus consularis pompæ, de qua crebro in plurimis Augustis sumus dicturi.

Hic nummus aureus inter rariores collocandus.

TR. P.

TR. P. XX. IMP. IIII. COS. III. *Victoria ſtans, dextra palmam, ſiniſtram adponit clypeo palmæ arbori appenſo, ſupra quem* VIC. PAR.

Monumentum eſt victoriæ contra Parthos a L. Vero in Syria morante per legatos relatæ, quum M. Aurelius Trib. pot. XX. gereret anno V. C. 919. inde Imperatoris IIII. titulus ipſi tributus, quum Romæ manſiſſet, ut inde conſtitueret omnia, ſive, ut ait Capitol. *Quod res urbanæ Imperatoris præſentiam poſtularent.*

Hic nummus aureus pro raro numeratur, ex argento tritus, & obvius eſt.

VOTA PVBLICA. *M. Aurelius, & Fauſtina uxor dextras ſibi jungentes, figura intermedia.*

In gratiam matrimonii M. Aurelii, & Fauſtinæ Antonini Pii filiæ, qui illum adoptaverat: dextras ideo jungunt dea Concordia intermedia, nam pro felici matrimoniorum ſucceſſu vota ſuſcipiebantur, quæ hic publica fuiſſe denotat nummus.


Hic nummus aureus eſt rarus.

ΥΠΕΡ ΝΙΚΗΣ ΡΩΜΑΙΩΝ. *id eſt*, Pro victoria Romanorum, *Venus ſtolata ſtans, dextra pomum, ſiniſtra haſtam.*

Hæc Græciæ urbs, quæ nomen non adpoſuit, Fauſtinam ſub Veneris effigie, nummorum Romanorum exemplo repræſentat, quaſi ſub illius auſpiciis M. Aurelius victoriam retulerit; eam autem caſtrorum matrem a Senatu vocari poſtulavit, ut infra ex Capitolino dicturi ſumus. Venus pomum, pulchritudinis arrham a Mercurio acceptam gerit.

Hic nummus argenteus inter elegantiores reponendus.

FAU-



FAUSTINÆ junioris nummi ex auro, & argento frequentes, & obvii ſunt.

* DIVA AVG. FAVSTINA. *Caput Fauſtinæ velatum.*
CONSECRATIO. *Rogus, cujus primum tabulatum eſt encarpis ornatum, & ſecundum quatuor columnis ſuffultum: In vertice biga cum auriga.*
Rogi, quibus comburenda cadavera Auguſtorum, & Auguſtarum, erant alii aliis ſpecioſiores, & ditiores. Sumptuoſiorem paraſse M. Aurelium Fauſtinæ uxori, cui petiit a Senatu juxta Capitolinum, ut honores, ædiſque decernerent, nummus præſens oſtendit.
(1) *Hic nummus ex argento inter rariores locum habet.*

DIVAE FAVSTINAE MATRI CASTRORVM. *Caput Fauſtinæ velatum.*
CONSECRATIO. *Rogus.*
De titulo Matris caſtrorum a M. Aurelio Fauſtinæ uxori dato, narrat Capitolinus in illius vita, ut de hujus conſecratione poſt ipſius mortem. Rogus, lignorum ſtrues erat ad cremanda eorum corpora, qui conſecrabantur: ita dictus, quod in eo dii manes rogentur. *Hic nummus argenteus inter rariores collocandus.*

FAVSTINA AVGVSTA. *Caput Fauſtinæ.*
FORTVNAE MVLIEBRI. *Mulier ſedens, dextra temonem, ſiniſtra cornucopiæ.*

Ut

(1) In muſeo Editoris.

Ut Virilis Fortuna a Romanis colebatur, sic a Matronis dicata est Fortuna Muliebris, cujus templum erat in via Latina, quarto ab urbe lapide, sed ejus signum nefas erat attingere nisi univiræ: at ipsi plurimum debebat Faustina, quum filia esset Imperatoris, & quidem prima, Imperatori nupta.
Hic nummus aureus est rarus.

MATRI CASTRORVM. *Faustina sedens dextra Phœnicem globo impositum, sinistra hastam gerit; ante, tria signa militaria.*
Faustinæ nummum penitus illustrat Capitolinus in vita Marci, quæ ibi *Diva, & mater castrorum* nominatur, siquidem ait ille: *Divam etiam Faustinam a Senatu appellatam gratulatus est: quam secum in æstivis habuerat, ut matrem castrorum appellaret.* Phœnix globo impositus æternitatem denotat per consecrationem consecutam.
Hic nummus argenteus inter rariores adscribendus.

MATRI MAGNAE. *Figura muliebris capite turrito sedens inter duos leones, sinistra innixa crotalo, dextra spicas.*
Faustina sub Cybeles habitu depingitur, quam Strabo appellat lib. 10. θέαν μεγάλην, *deam magnam*, hæc sub nomine Opis culta, tympanum, seu crotalum gerebat, per quod orbis terræ significatur: per turres in capite, oppida: per spicas, hominum alimentum: per leones, maternam pietatem omnia posse superare.
Hic nummus aureus rarior est argento.

VENERI FELICI. *Columba, aut cornix: in alio*, CONCORDIA.
Nulla Veneris Felicis nisi in nummis, & antiquis inscriptionibus mentio: in his vero sacerdotes ipsi dicatas fuisse docemur; hanc nempe deam plurimum coluisse Faustinam, ob concordiam cum M. Aurelio servatam, ideo columba, insigne ipsius symbolum, in nummis cum Concordiæ epigraphe expressa.
Prior nummus aureus rarior est posteriori.

ΦΑΥΣΤΙΝΑ ΣΕΒΑΣΤΗ. *Caput Faustinæ.*
ΥΠΕΡ ΝΙΚΗΣ ΡΩΜΑΙΝΩΝ. *Id est*, Pro victoria Romanorum, *Mulier stans cum quatuor puerulis, duos manibus gerit, in imo duo stant.*
Urbs quædam Græciæ, quæ nomen non adposuit, Faustinæ fæcunditа-

ditatem cum victoriis Romanorum æquiparat, nam quot pueros genuerat, tot victorias iis futuras auguratur, unde modo sæculi Felicitas, modo Temporum Felicitas appellatur.
Hic nummus argenteus rarus, ex auro rarissimus.

ΥΠΕΡ ΝΙΚΗΣ ΤΩΝ ΣΕΒΑΣ. *Id est*, Pro victoria Augustorum. *Venus stans stolata dextra pomum, sinistra hastam gerit.*
Ipsamet Græciæ urbs, quæ M. Aurelii nummum cudit, & hunc signasse videtur; Faustinæ rursus adulata, ipsam sub Veneris Victricis effigie, ut in nummis Romanis exhibens, quasi sub ejus auspiciis M. Aurelius, & L. Verus Imperatores victoriam retulerint.
Hic nummus argenteus est elegantissimus.



L. VE-



L. VERI nummi ex auro, & argento frequentes, & triti sunt.

IMP. CAES. L. AVREL. VERVS AVG. *Caput Veri laureatum.*
CONG. AVG. IIII. *Figura muliebris stolata stans, dextra tesseram frumentariam, læva cornucopiæ.*
Quantum nummis debemus, qui, quot liberalitates, seu congiaria sub L. Vero data fuere, nos edocent; ille nonum imperii vix annum tetigit, & tamen intra hoc tempus quatuor congiaria distribuit: ultimum hoc in triumpho Parthico ab utroque Imperatore M. Aurelio, & L. Vero concessum est populo.
Hic nummus aureus est rarus.

HERC. PAC. *Hercules nudus stans dextra ramum gerit.*
De Hercule Pacifero nulla alia, nisi in nummis antiquis mentio: quum autem homines fortes, antiqui, Hercules appellarent, plurimi principes Romani sub Herculis nomine, & effigie prodierunt. Verus autem, tanquam post summos labores in Parthico bello exantlatos, Parthis pacem concesserit, Hercules Pacifer appellatur.
His nummus aureus inter præstantiores habendus.

LIB. AVGVSTOR. TR. P. COS. II. *Duo Imperatores sedentes in substructione pro congiario distribuendo, adsistentibus aliis figuris.*
Primum congiarium a L. Vero datum est ob Trib. potestatem ipsi a M. Aurelio communicatam Non. Aprilis 914. quum mortuus esset Antoninus Pius v. Kal. Martii ejusdem anni, & ille solus imperaret,

unde ait Capitolinus; *Tumque primum Romanum imperium duos Augustos habere cœpit*. Duo idcirco in subsellio sunt.
Hic nummus aureus præstantissimus est.

PROFECTIO AVG. *Figura Imperatoris in equo dextra hastam gerentis*.
Singularia Imperatorum gesta nobis repræsentant eorum superstites nummi; hic Lucii Verii ad bellum Parthicum expeditionem anno 915. exhibet: de qua Capitolinus, *Ad Parthicum vero bellum, Senatu consentiente, Verus frater ejus missus est*. Ideo ille in equo dextra hastam, hostes profligaturus, incedit.
Hic nummus aureus inter rariores computandus, ex argento est rarissimus.

REX ARMEN. DAT. *Imperator sedens in suggestu duabus figuris militaribus adsistentibus, Soæmo Armeniæ Rege inferius stante. Diversæ sunt epigraphæ*.
Armenia per Statium Priscum L. Veri legatum recuperata, quam Vologæses II. Parthorum rex occupaverat, expulso ex ea Soæmo etiamsi ex Arsacidarum genere orto, quod ille regnum a Romanis principibus accepisset, L. Verus eum restituit ex Photio, unde nummus in hujus rei memoriam percussus. Vide Tristanum pag. 687.
Hic nummus aureus inter rarissimos reponendus.

TR. P. VI. IMP. III. COS. II. *Figura equestris jaculo impetens captivum*.
Quum L. Verus tantum per legatos bellum Parthicum gereret, unde titulum Imperatoris III. obtinuerat autumno præcedentis anni, quod Cassius Seleucia capta Mesopotamiam penetrasset, at quum Verus ipse iterum ad Euphratem pervenisset, ideo in nummis eques barbarum telo confecturus depingitur.
Hic nummus aureus ex rariorum numero est.

VIC. PAR. *In clypeo, quem Victoria palmæ imponit*.
L. Verus annis quinque bellum Parthicum, etsi per legatos, confecit; devicto ubique Vologæse, unde *Victoria Parthica*. Et ille *Parthicus maximus* appellatus est: de Parthis triumphum cum M. Aurelio egit.
Hic nummus ex auro rarus est, ex argento frequens, & tritus.

Sine

Sine epigraphe. Imperator eques, telum dextra in hostem concitans.
Imperator eques spiculum in hostem vibraturus depingitur, quod ad Euphratem usque contra Parthos iverit, sed modo cum epigraphe TR. P. IIII. IMP. II. modo TR. P. VI. IMP. III. quum bis teste Capitolino id fecisset; *Ad Euphratem tamen impulsu comitum suorum secundo profectus est*: modo sine epigraphe.
Hic nummus aureus ejusdem est raritatis, & elegantiæ, ac superior.

ΑΥΤ. Κ. Λ. ΑΥΡ. ΟΥΗΡΟϹ ϹΕΒ. *Caput Veri laureatum.*
ΥΠΕΡ ΝΙΚΗϹ ΚΥΡΙΩΝ ϹΕ. *Pallas galeata stans, dextra extensa telum, sinistra clypeum.*
A Græca illa urbe, quæ suos M. Aurelio, & Faustinæ cudit nummos, prodit alter L. Vero dicatus cum eadem epigraphe ΥΠΕΡ ΝΙΚΗϹ; sed cum Pallade victoriæ quidem præside: urbs autem nimium adulatrix, Imperatores inscribit Dominos, qui titulus a necessariis, aut salutantibus voce tantum illis dabatur.
Hic nummus argenteus elegantissimus est.

★ *Eadem epigraphe. Mulier stolata dextra globum, sinistra cornucopiæ.*
Gratulatur L. Vero Græca urbs, quod simul cum M. Aurelio pugnaturus adversus Parthos progressus victoriam de illis reportaverit, quam imperii felicitas per typum indicata consequeretur. Victoria hæc Parthica, ob quam ambo Imperatores triumpharunt, contigit anno V. C. 919.
(1) *Hic nummus argenteus elegantissimus est, & rarissimus.*

★ ΑΥΤΟΚΡ. ΟΥΗΡΟϹ ϹΕΒΑϹΤΟϹ. *Caput L. Veri nudum.*
ΥΠΑΤΟϹ Β. *Mons Argæus, in cujus vertice simulacrum.*
Cæsaræ Cappadociæ cusum fuisse hunc nummum satis edocet insculptus mons Argæus. Puto Cæsaræ cives gratulatos Lucio Vero ob ejus adoptionem a M. Aurelio factam, & ad consortium imperii elevationem, quæ contigit anno V. C. 914. M. Aurelio tertium Consule, & L. Vero secundum.
(2) *Hic nummus argenteus maximi moduli rarissimus est.*

(1) In thesauro Fridericiano Saxengoth. ex Liebe. (2) In museo D. Apostoli Zeno.



LUCILLÆ nummi ex auro, & argento triti, & frequentes ſunt.

LVCILLA AVGVSTA. *Caput Lucillæ.*

FECVNDITAS. *Figura muliebris ſedens, ulnis puerulum, alter ſtat pro pedibus.*

Lucilla filia fuit M. Aurelii, & Fauſtinæ primogenita, quam pater L. Vero imperii conſorti uxorem dedit, eamque ad illum in Syria pro bello Parthico morantem, Epheſum uſque duxit. Nummus duos ejus filios exhibet; ſed alius tres, unde merito fecunditas Lucillæ denotatur; ſi fuerit ex iis mas aliquis, paulum vixit.
Hic nummus argenteus, & aureus inter raros locum habet.

VOTA PVBLICA. *Corona cum literis in ambitu.*

Monumentum eſt votorum propter Lucillæ cum Vero matrimonium factorum; ſimilis quidem epigraphe viſitur cum M. Aurelio, & Fauſtina dextras jungentibus, Concordia dea intermedia, ſed nummus lauream exhibet, quam meritus eſt Verus ob bellum Parthicum; Lucilla autem ad eum ducta eſt, dum illud gereret.
Hic nummus argenteus rarus eſt: obvius, quando literæ ſunt in medio coronæ.


ΛΟΥΚΙΛΛΑ CEBACTH. *Caput Lucillæ.*

ΒΑCΙΛΕΥC ΜΑΝΝΟC ΦΙΛΟΡΩΜΑΙΟC. *Figura muliebris ſedens, dextra ſpicas, ſiniſtra tædam ardentem.*

Lucilla ſub Cereris effigie ſpicas, & tædam ardentem gerente exhibetur,

betur, quales ut plurimum Principes Romanæ repræsentari solebant: huic nummum cudit Mannus Arabiæ regulus, Imperatori sic gratulans ob titulum Φιλορωμαίου sibi ab illo concessum, dum ille Parthicum bellum gereret. Vide Seguinum.
Hic nummus eximiæ raritatis, & elegantiæ habetur.
Diversum paulo typum possidet Princeps meus Dux Cenomanensium.

* *Eadem epigraphe. Mulier stolata sedens, dextra pateram præbet serpenti ex ara emergenti, sinistra cornucopiæ tenet.*
Typum Deæ Salutis signavit Rex Mannus in hoc nummo, quo tempore Lucilla substitit cum Commodo Antiochiæ, belli cura ab Imperatore L. Vero demandata Avidio Castio adversus Vologæsem. Fortassis Lucillæ haud bene se habenti salutem adprecabatur Regulus ille, ut se vere Romanorum studiosum probaret.
(1) *Hic nummus argenteus ejusdem est pretii, ac superior.*



COM-

(1) In museo D. Abb. de Rothelin.



COMMODI nummi ex argento vulgares, & triti, ex auro inter rariores habentur.

IMP. CAES. M. ANT. COMMODVS AVG. *Caput Commodi laureatum.*

ADVENTVS AVG. *Imperator eques.*

Commodus tribunitia poteſtate a patre accepta menſe Auguſto labentis anni 928. illo in Germania XVI. Kal. Aprilis 933. mortuo, bello pene confecto Romam venit, fauſtis, ut ait Herodianus, omnibus adclamationibus, & coronarum, florumque ſparſionibus exceptus.

Hic nummus ex auro, & argento rarus eſt.

APOL. MONET. *in aliis* MONETAE P. M. TR. P. XV. *vel* XVI. COS. VI. *Apollo nudus ſtans, dextram capiti admovet, ſiniſtro cubito columnæ innixo.*

Ad Apollinares ludos ſpectat ob peſtilentiam Romæ ſævientem anno 943. in quo Commodus inivit Trib. pot. XV. & XVI. De hac Dio, *tanta peſtilentia fuit, quantam nunquam fuiſſe cognovi.* Juno autem, ut Moneta dicta eſt ob vocem editam a templo, ſic ille Apollo videtur *Moneta* dictus, ob editam vocem non interruptæ religionis, in ipſis ludis ex Verrio Flacco. ap. Pomp. Feſtum.

Hic nummus argenteus rarus eſt.

APOLLINI PALATINO. *in aliis* APOL. PAL. P. M. TR. P. XVI. COS. VI. *Apollo ſtans muliebri habitu, dextra pateram, ſiniſtra lyram columnæ impoſitam.*

Apol-

Apollo ille Actiacus, muliebri veste erat indutus, Palatinus dictus, quod ab Augusto in Palatio dicatus sit post Actiacam pugnam, cujus statuam a Scopa ita factam narrat Plinius; de qua Propertius

Actius in longa carmina veste canit.

Hic nummus argenteus rarus est.

AVCT. PIET. P. M. TR. P. XII. IMP. VIII. COS. V. P. P. *Figura muliebris sacrificans supra aram ignitam.*

Commodus quum sacra Isidis colendo, religionem restituere videretur, *Auctor Pietatis* dici voluit: inde in nummis hac epigraphe gaudet.

Hic nummus argenteus rarus est.

CONC. MIL. P. M. TR. P. XI. IMP. VII. COS. V. P. P. *Imperator paludatus stans inter quatuor milites.*

Non adlocutionem pro bello suscipiendo, sed concordiam militum, & fidem exercitus erga Commodum renovatam indicat nummus: nam in Bello Britannico objurgati sunt milites, quod seditionem fecissent, apud Dionem. Ex simili alterius nummi epigraphe Trib. pot. XI. Imp. VII. Cos. V. Commodum de Britannia triumphum egisse novimus.

Hic nummus aureus singularis elegantiæ, & raritatis est.

COMMODO CAES. AVG. FIL. GERM. SARM. *Caput Commodi nudum.*

DE GERM. *Congeries armorum.*

Similes nummorum typi ob Germanos devictos Commodo, ac M. Aurelio signati sunt, quandoquidem ille, ut narrat Lampridius, *Profectus est cum patre, & ad Germanicum bellum.* Idem supra in M. Aurelio.

Hic nummus argenteus rarus, ex auro præstantior est.

Eadem epigraphe. Caput Commodi sine laurea.

DE GERMANIS. *Trophæum cum duobus captivis in imo.*

Commodus patre vivente *Germanicus* dictus est, ut M. Aurelius, quem in bello Germanico comitatus erat, ideo trophæum de Germanis in ejus nummis, ut in patre.

Hic nummus aureus inter elegantiores constituendus.

Eadem

Eadem epigraphe. Caput Commodi nudum.

DE SARMATIS. *Duo captivi in imo trophæi.*

M. Aurelius geminum contra Germanos, & Sarmatas bellum gessit; at quia Commodus eum sequutus est, eosdem Germanici, & Sarmatici titulos ut pater, accepit, & trophæa de illis populis in ejus nummis signata sunt.

Hic nummus aureus superiori rarior est.

FID. EXERC. P. M. TR. P. XI. IMP. VII. COS. V. P. P. *Imperator stans in suggestu adloquitur cohortes.*

Hic typus ad fidem militum erga Commodum indicandam, ut supra diximus, est signatus, & non propter adlocutionem Imperatoris ad cohortes; nam in Trib. potestate nullum suscepit bellum, iis autem donativum distribuit, & populo congiarium.

Hic nummus argenteus inter elegantiores numeratur.

FEL. AVG. P. M. TR. P. XI. IMP. VII. COS. V. P. P. *Felicitas stolata stans, dextra globum, cui imposita est Victoria, sinistra caduceum magnum.*

Per fidem exercituum, & concordiam militum in Commodi nummis cum Trib. pot. XI. denotatas, Felicitas Augusti, & ut in alio nummo, Felicitas sæculi, indicantur. Felicitas Augusti per victoriam orbi Romano insistentem, stabilitur.

Hic nummus aureus ex rariorum numero est.

FELICITAS PERPETVA AVG. *Imperator togatus stans, sinistra cornucopiæ, dextram porrigit figuræ muliebri stanti, læva caduceum oblongum gerenti.*

Hoc lemmate indicatur annona ab Imperatore procurata, & populi fames sublevata, de qua Herodianus, *Sed & fames eodem tempore civitatem oppresserat.* Nam classem Africanam instituit, quæ subsidio esset, si forte Alexandrina frumenta cessassent: unde Felicitas populo perpetua.

Hic nummus argenteus rarus, & conspicuus est.

FORTVNAE MANENTI. *in aliis* FORT. MANENT. TR. P. XIII. IMP. *Fortuna sedens, dextra equum capistro retinens, sinistra cornucopiæ.*

For-

Fortunæ Reduci votum ſuſcipere ſolebat Senatus, quum Imperator aliquam profectionem obibat, Lampridius autem ob non ſuſceptam a Commodo, votum Fortunæ manenti eum feciſſe indicat; *Tertio meditans de profectione a Senatu, & populo ſuo retentus. Vota pro eo facta ſunt Nonis Piis Fuſciano iterum Cos.* Fuſcianus autem conſulatum inivit, dum Commodus gereret Trib. pot. XIII. Fortuna Manens, equi ferocis fræno coerciti ſchemate, denotatur.

Hic nummus argenteus inter rariores numerandus.

HERCVLI COMMODO AVGV. *Clava in laurea.*

Commodus, teſte Herodiano, eo vecordiæ, petulantiæque proceſſit, ut paternum primo cognomen repudiaret, ac pro Commodo Marci filio *Herculem ſe Jovis filium juſſerit appellari, depoſitoque Principum Romanorum cultu leonis pellem ſubſterneret.* Ideo in laurea Herculis nomen adſcriptum eſt, & caput leonina pelle amictum.

Hic nummus argenteus inter rariores collocandus.

HERC. COM. P. M. TR. P. XVI. COS. VI. *Hercules ſacrificans ſupra arulam ignitam, ex adverſo arbor leonis ſpoliis onuſta.*

Statua videtur eſſe Commodo dicata ſub habitu Herculis, de quo narrat Lampridius, *Accepit ſtatuas in Herculis habitu: eique immolatum eſt ut deo*, nam prius dixerat, *Commodum Herculem, & deum appellans:* Illi decernebantur omnia, quæ vellet, nam Senatus eum pertimeſcebat.

Hic nummus aureus raritate, & elegantia inſignis eſt.

HERCVLI ROMANO AVG. *Hercules dextram trophæo imponens.*

Commodus non modo Hercules dici voluit, ſed ut hic varia a diverſis locis cognomina tulit, ipſe tanquam Imperator Romanus, Hercules Romanus appellari ambivit, de quo Lampridius, *Appellatus eſt etiam* Romanus Hercules, *quod feras Lanuvii in amphitheatro occidiſſet*, & tanquam victorias longe extendiſſet, trophæum coronat.

Hic nummus aureus inter rariores habendus.

HERC. ROM. COND. COS. VII. P. P. *Hercules ſiniſtra clavam, & ſpolia leonis, boves agit.*

Hæc est statua Commodo a Senatu decreta, uti narrat Dio, ob Romam ab illo factam coloniam, *Volebat enim omnino urbem, suam esse coloniam videri. Ad hæc ei statua aurea mille librarum cum tauro, & vacca facta est*, sic enim coloniæ conditor repræsentabatur, porro Herculis habitu.
Hic nummus aureus rarissimus est.

I. O. M. SPONSOR. SEC. AVG. *Jupiter cum pallio nudus stans, læva fulmen, dextram humero Commodi togati imponens; hic dextra globum, læva sceptrum.*
Quum paratæ Commodo fuissent sæpius insidiæ, ut loquitur Dio, Senatus ei adulans Jovem in nummis securitatem ipsi orbem terrarum administranti spondentem exhibuit, cum titulo Optimi Maximi: Jupiter enim ita cognominatus est, quod velit, & possit omnibus prodesse.
Hic nummus argenteus inter rariores recensendus.

IOVI DEFENSORI SALVTIS AVG. *Jupiter seminudus inter septem triones, dextra erecta fulmen, læva sceptrum.*
Quod multorum insidias evitasset Commodus, ejus salutis defensor, Jupiter ex cælis ipsis perhibetur, quod triones illi testantur sidus illud conficientes, quod Arcton appellant; quasi Jupiter ipse jam illos nimis audaces, & temerarios fulmine suo percusserit.
Hic nummus argenteus superiori elegantior est.

IOVI EXSVP. P. M. TR. P. XII. IMP. VIII. COS. V. P. P. *Jupiter sedens, dextra fulmen, sinistra hastam.*
Inter illa superba nomina, quæ vesanus Imperator sibi imposuit, *Exsuperantem* se nominasse narrat Dio, *Quasi omnes homines longe in rebus omnibus superaret.* At eo vecordiæ processit, ut deorum nomina usurpaverit, & se Jovem Exsuperantem, quasi alios deos etiam superaret, appellaverit.
Car. Patin ex inscriptione legit IOVI EXSVPERANTISSIMO.
Hic nummus argenteus rarus est.

LIBERALITAS AVG. *Commodus sedet in substructione, adstante liberalitate; Romanus scalam adscendit pro congiario accipiendo.*
Plurimas liberalitates ex nummis Commodum distribuisse novimus, sed

ſed quando primam dederit, Lampridius nos docet: *adhuc in prætexta puerili congiarium dedit, atque in baſilica Trajani præſedit.* Unde nomen Cæſaris tantum in nummo præfert.
Hic nummus aureus rariſſimus eſt.

LIBERAL. V. TR. P. VII. IMP. IIII. COS. III. P. P. *Quatuor figuræ pro congiario diſtribuendo.*
Nummus liberalitatem v. Commodi exhibet in Tr. poteſtate VI. quam populo conceſſit, quum ex Germania mortuo patre rediiſſet, & de illa triumphum egiſſet anno 934.
Hic nummus ex auro, & argento elegantiſſimus eſt.

LIB. AVG. VI. P. M. TR. P. XI. IMP. VII. COS. V. *Quatuor figuræ pro congiario.*
Liberalitas VI. populo R. data eſt a Commodo propter victoriam Britannicam, ob quam ille Imperator VII. appellatus eſt, & eam diſtribuit, dum conſulatum v. iniit anno 939. Congiario VIII. largitus eſt: de eo autem Lampridius, *Congiarium dedit populo, ſingulis denarios ſeptingentos vicenos quinos.*
Hic nummus argenteus eximiæ raritatis eſt.

NOBILIT. AVG. P. M. TR. P. XII. IMP. VIII. COS. V. P. P. *Mulier ſtans dextra haſtam.*
Nil mirum, ſi primus Nobilitatem, de qua tantopere gloriabantur Romani, in nummis ſignare voluerit Commodus, ſiquidem teſte Herodiano; *Unus omnium ante ſe Imperatorum nobiliſſimus fuit*, quam ex victoriis ſuis magis inclaruiſse gloriabatur, ideo Nobilitas haſtam, & victoriam præfert.
Hic nummus argenteus obvius, ſed aureus rariſſimus eſt.

OPTIME MAXIME COS. V. P. P. *Jupiter ſeminudus ſtans, dextra fulmen.*
Jupiter ex Cicerone dictus eſt Optimus ob beneficia, & Maximus ob vim; hæc autem epigraphe OPTIME MAXIME videtur in nummo adpoſita ob ejuſdem adclamationem a Senatu Commodo factam, nam inquit Dio, *Tum nos magna voce dicebamus multa, ut juſſi eramus. Dominus es, vincis omnia feliciſſime*, &c.
Hic nummus argenteus inter rariores adnumeratur.

PACI AETER. P. M. TR. P. XIIII. IMP. VIII. COS. V. P. P. *Figura muliebris sedens, dextra ramum oleæ, sinistra hastam gerit.*
Victis Mauris, & Dacis, Pannoniisque compositis; in Britannia, in Germania, & in Dacia imperium Commodi recusantibus provincialibus sedatis, quasi pax æterna esset futura, percussus est hic nummus.
Hic nummus aureus maximi moduli eximiæ raritatis, & elegantiæ est.

PATER SENAT. P. M. TR. P. XII. IMP. VIII. COS. V. P. P. *Figura togata stans, dextra ramum, sinistra hastam transversam.*
Quum memor Pompejani facinoris in Senatum sæviret Commodus, ille metu, ipsi adeo adulatus est, ut Senatus patrem appellaret, qui Senatus carnifex dici merebatur, sed vetere consuetudine Imperator, Senatus Princeps cognominabatur, teste Dione in Pertinace.
Hic nummus argenteus rarus est.

PIETATI SENATVS C. V. P. P. *Duæ figuræ togatæ dextras sibi jungentes.*
Alterum est Senatus erga Commodum adulationis monumentum hic nummus, dum suam versus ejusmodi ferocem Imperatorem declarat pietatem, ut innuit Dio hujus temporis Senator, *Is timor nobis erat cum cæteris communis*; Plurimos enim interficere quotidie solebat.
Hic nummus argenteus rarus est, aureus rarissimus est.

P. M. TR. P. VIIII. IMP. VI. COS. IIII. P. R. *Modius, in quo spicæ, & papaver.*
Tempus, quo fames Romæ ingens fuit, indicat Trib. pot. VIIII. in nummo consignatam, nempe annum V. C. 936. & 937. quando a Commodo sublata est, annona ei procurata, per modium spicis plenum designata.
Hic nummus argenteus rarus, & elegans est.

★ P. M. TR. P. XIII. IMP. VIII. COS. VI. P. P. *Victoria dextrorsum gradiens, dextra lauream, sinistra palmam.*
Plures victoriæ relatæ sunt imperante Commodo, non ipso quidem pugnante, sed ejus Ducibus. *Victi sunt*, inquit Lampridius, *sub*

eo

eo tamen, quum ille sic viveret per legatos Mauri, victi Daci, Pannoniæ quoque composita, in Britannia, in Germania, & in Dacia imperium ejus recusantibus provincialibus: quæ omnia ista per duces sedata sunt. Quinarii argentei Victoriati dicti sunt, quia Victoriam, ut plurimum, præferebant. Rari fere omnes sunt. Si qui alio typo signantur, hi sunt inter Quinarios elegantiores.

(1) *Hic quinarius argenteus rarus est.*

PRINC. IVVENT. *Figura paludata stans, dextra ramum, læva hastam, a tergo trophæum.*

Ad primum bellum Germanicum spectat nummus, postquam finitum est, quum adhuc Commodus diceretur Princeps juventutis: nam ille olivam pacis symbolum gerit, & pone eum de Germanis trophæum.

Hic nummus ex argento tritus, ex auro rarus est.

PROVIDENTIAE AVG. *Hercules pede dextro navis proræ imposito, læva erecta clavam; stat ex adverso figura muliebris cum proboscide in capite, dextra spicas, læva sistrum gerens.*

Quum fames aliquando Romam vexasset, Annonæ plurimum providit Commodus, teste Lampridio, *ut classem Africanam instituerit: quæ subsidio esset, si forte Alexandrina frumenta cessarent*, ideo ipse Herculis effigie pede proræ insistit, & ei Alexandria spicas subministrat.

Hic nummus aureus, & argenteus præstantissimus est.

SAL. GEN. HVM. *Salus stans, dextra Commodum genuflexum sublevat, sinistra hastam gerit.*

Quum ex aliquo morbo Commodus fuisset liberatus, vel quum pestis Romæ admodum sæviisset, & magna hominum strages inde consequeretur, quasi Salus generis humani a salute Commodi dependeret, quod ille salvus Laurenti servatus esset.

Hic nummus argenteus præclarus, & elegans est.

SERAPIDI CONSERV. AVG. *Serapis stans, dextram elevat cum modio in capite.*

Commodus sacra Isidis coluit, cujus maritus erat Osiris, seu Serapis

(1) In museo Editoris.

pis, ideo ab illo summo honore habitus est, at quum apud Tacitum deum ipsum a multis Æsculapium existimatum legimus, quod ægris corporibus mederetur, in aliquo Commodi morbo, Conservator Augusti dicitur.
Hic nummus argenteus rarus est.

TR. P. II. IMP. II. COS. II. P. P. *Figura virilis stans, dextra equum capistro retinet.*
Ad Circenses ludos spectare videtur, quibus præerat Castor ex Isidoro, nam ipsi equos a Mercurio distributos historiæ docent; Commodus autem Trib. pot. III. agens, illos celebravit, & tanquam Princeps juventutis decursionem equestrem egisse verisimile est, ut observatur in Getæ nummis. Quidam de Mauretania interpretantur.
Hic nummus argenteus inter rariores computandus; aureus rarissimus est.

* TR. P. VIII. IMP. VI. COS. IIII. P. P. *Mars galeatus stans, dextra scutum demittit, sinistra hastæ innititur.*
Commodus Amazonico cultu, capite videlicet galeato, scuto, & hasta ornatus in arenam procedere non erubuit. De eo Lampridius: *December Amazonius vocatus est ex amore concubinæ suæ Martiæ, quam pictam in Amazone diligebat: propter quam & ipse Amazonico habitu in arenam Romanam procedere voluit.*
(1) *Hic nummus aureus inter rariores collocandus.*

VICTORIA AVGVST. *Victoria stans dextra coronam, sinistra palmam.*
Ad aliquam Commodi victoriam pertinet, at quum nullum ipse gesserit bellum, sed tantum per legatos, porro Imperatoris titulum sæpius ob eas de hostibus relatas tulit, at quum bellum Britannicum inter alia maximum fuit, in ipsius victoriæ monimentum hunc fuisse percussum nummum recte quis conjicere posset.
Hic nummus aureus inter rariores locandus.

VIRT. AVG. TR. P. VII. IMP. IIII. COS. III. P. P. *Imperator eques telo leonem impetens.*
Ut in Hadriani nummis ipse eques aprum telo confodiens exhibetur,

(1) In museo D. Apostoli Zeno.

tur, ita Commodi virtus emicuit in occidendis propria manu feris, de quo Dio, *magnum numerum hominum, & belluarum publice sæpe interfecit*. Ideo ob leonem conto transfixum in Trib. potestate VII. nummus illi signatus est.
Hic nummus aureus inter rariores habendus.

* *Sine epigraphe. Caput Commodi laureatum, ante quod globus, sub quo* ΖΠΤ. *anno* 487.
ΒΑCΙΛΕΩC CΑΥΡΟΜΑΤΟΥ. *Caput Regis Sauromatis diademate revinctum, cum modica barba ad mentum.*
Sauromates hic, Rex Bospori, fortasse nepos est illius Regis Sauromatis, qui 79. annis antea nummum cuderat sub Trajano. Additis annis in nummo signatis 487. ad annos 453. Æræ Bosporanæ completur annus V. C. 940. & imperii Commodi 7. & 8.
(1) *Hic nummus ex auro, vel potius electro didracmalis, præstantia, & singularitate conspicuus est.*



CRI-

(1) In museo Senatoris Veneti Antonii Nani.



CRISPINÆ nummi ex argento triti, ex auro inter præſtantiores reputantur.

CRISPINA AVGVSTA. *Caput Criſpinæ.*

DIS GENITALIBVS. *Ara.*

Dii genitales dicti erant parentes, & procreatores rerum omnium, & animantium, de quibus meminit Auſonius in Periocha lib.4.

Juppiter in terra cum Dis genitalibus, una
Concilium cogit ſuperum de rebus Achivis.

Iis aram, ut fecunditatem obtineret, Criſpina dedicavit.

Hic nummus argenteus rarus eſt.

VENVS. *Figura muliebris ſtans, dextra pomum, lævam capiti admovet.*

Auguſtæ in nummis ſub Dearum imaginibus ſæpe repræſentabantur, at quum corporis venuſtas iis maxime conveniret, Criſpina ſub Veneris effigie exhibetur, pomum pulchritudinis pretium præ manibus gerens.

Hic nummulus aureus rariſſimus eſt.

VENVS FELIX. *Figura muliebris ſedens, dextra Victoriam, læva haſtam gerit.*

Venus varie cognominata eſt, at in inſcriptionibus antiquis, & nummis ſæpe *Felix* perhibetur, quaſi matrimonia reddat felicia, ſed id eventus ut plurimum manifeſtat contrarium, ut ipſi Criſpinæ evenit, quæ a marito primum Capreas relegata eſt, poſtea occiſa.

Hic nummus ex argento obvius, ex auro rarus eſt.

VE-

VENUS VICTRIX. *Venus nuda, dextra caduceum, ſiniſtro cubito columnæ innixo haſtam gerit: pro pedibus clypeus.*

Venus Victrix eadem videtur fuiſſe ac Genitrix, ut ſupra diximus, quum illa eodem fere modo repræſentetur nempe ſeminuda, at dum Criſpina per fecunditatem, & puerulum in nummis ejus depictum, Commodum feciſſe patrem indicatur, merito Venus Victrix nuncupatur.

Hic nummus aureus inter rariores adſcribendus.





PERTINACIS nummi ex auro, & argento inter elegantiores adſcribuntur.

IMP. CAES. P. HELV. PERTIN. AVG. *Caput Pertinacis laureatum, in aliis radiatum.*

AEQVITAS AVG. TR. P. COS. II. *Figura muliebris dextra bilancem, ſiniſtra cornucopiæ.*

Nil mirum, ſi Æquitas inter virtutes, quæ Imperatoribus tribuuntur, ſæpe in eorum nummis frequens occurrat, quum iis jus publice ſæpe reddere ambiebant; ille bilancem æquatam manu gerit, tanquam omnia ponderans; ſiniſtra cornucopiæ, unde per rectam ipſius adminiſtrationem, rerum omnium abundantia.

Hic nummus aureus rarior eſt argenteo.

★ DIVVS PERT. PIVS PATER. *Caput Pertinacis nudum.*

CONSECRATIO. *Aquila globo inſiſtens alis expanſis, corpore ſiniſtrorſum, & roſtro dextrorſum converſo.*

In inſigni hoc nummo ſignata eſt Pertinacis in Deos relatio, quam Conſecrationem dicebant. Pertinax ſtatim ab ejus funere a Senatu & populo conſecratus eſt, ajente Capitolino, *per Senatum, & populum Pertinax in Deos relatus eſt.* Subinde Severus, interfecto Juliano, imperium adeptus, iterum Pertinacem inter Deos retulit. *Funus deinde cenſorium*, inquit Spartianus, *Pertinacis imagini duxit, tumque inter Divos ſacravit.*

(1) *Hic nummus argenteus ſingularis raritatis, & elegantiæ eſt.*

DIS

(1) In muſeo D. Abb. de Rothelin.

DIS CVSTODIBVS. *Mulier stans, dextra temonem, sinistra cornucopiæ.*

Inter Deos Custodes, Fortuna præcipue ab antiquis culta est, ideo Aurea in principum cubiculo adservabatur successori tradenda, teste Capitolino in Antonino Pio. Hanc vero, & Regiam Spartianus in Severo nuncupavit. Illi Pertinax ut novus Imperator se commendat.

Hic nummus argenteus rarissimus est.

IANO CONSERVAT. *Figura Jani bifrontis stantis.*

Novi Imperatores Jano ante fores curiæ posito sacra facere solebant, ut Xiphilinus de Juliano Pertinacis successore narrat; *Tandem quum ille venisset in curiam, essetque Jano, qui erat ante ejus fores, sacrificaturus.* Ideo in nummo tanquam deus conservator signatur.

Hic nummus argenteus inter elegantiores recensetur.

LAETITIA TEMPORVM COS. II. *Figura muliebris stolata stans, dextra coronam, sinistra cornucopiæ.*

Commodo patriæ hoste interfecto, magna de Pertinacis, ut viri boni, electione percepta est lætitia; inde apud Herodianum *læti omnes agitare; sperantes se parentem adeo magis quam Imperatorem habituros.* Lætitia coronam gerit, ut refert Hyginus in Astron. *Homines in maxima lætitia, victoriisque coronas habere consueverunt.*

Hic nummus aureus rarior est argenteo.

LIBERATIS CIVIBVS. *Figura muliebris stolata stans, dextra tesseram, sinistra cornucopiæ gerit.*

Pro solita congiarii distributionis epigraphe *Liberalitas*, hæc exhibetur *Liberatis civibus*, quasi populus cariorem habuerit libertatem post Commodum recuperatam, quam congiarium ipsi a Pertinace donatum. *Nam*, ut ait Capitolinus, *donativa & congiaria, quæ Commodus promiserat, solvit.* Vide Seguinum edit. 2. apud Jombertum.

Hic nummus argenteus eximiæ raritatis est, & elegantiæ.

* MENTI LAVDANDAE. *Figura muliebris tunicata, & stolata stans, dextra sertum, sinistra bacillum.*

Mentem coluere Romani adinſtar Deæ. Huic aram, & templum erexerant. Hinc Ovidius l. 6. Faſtorum.

Mens quoque Numen habet: Menti delubra videmus
Vota metu belli, perfide Pœne tui.

Elegantes ſunt typi omnes, & inſcriptiones, quibus ſignari voluit Pertinax nummos ſuos: ſed inſcriptio præſens, præ ceteris, elegantiſſima eſt.

(1) *Hic nummus argenteus ſingularitate, & elegantia conſpicuus, & inſignis eſt.*

OPI. DIVIN. TR. P. COS. II. *Figura muliebris ſedens, dextra ſpicas.*

Pertinax, ut ait Capitolinus, *Annonæ conſultiſſime providit*, de quo Dio, *quum ipſe eſſet in mari, ut rei frumentariæ provideret*. Porro ut abundantiam rerum omnium a ſe partam divino auxilio tribueret, nummum *Opi* ſeu *Terræ*, quæ frumenta profert, dedicavit. Vide Gruter. pag. 26.

Hic nummus argenteus inter rariores habendus, aureus rariſsimus eſt.

PROVID. DEOR. COS. II. *Mulier ſtolata ſtans, dextram verſus globum elevat, ſiniſtra ad latus admota.*

Vere imperium providentia Deorum Pertinaci delatum eſt, quum is illud fortiter recuſarit, ut narrat Herodianus, at ille *recuſare inſtitit, tanquam rem invidioſam, omen imperii, excuſare ſenectutem, veniamque orare*. Ideo globum e cœlo delapſum indicat mulier.

Hic nummus argenteus pro rariſſimo habendus.

PROVIDENTIA DEORVM COS. II. *Figura muliebris utramque manum verſus globum elevans.*

Ut orbis Romani imperium a Diis ſibi commiſſum demonſtraret Pertinax, mulierem ſub Providentiæ nomine illum e cælo recipientem ſignavit; hæc mundi partes adminiſtrare tradebatur, ut optima, & frugi materfamilias.

Hic nummus ex auro, & argento inter rariores.

SAECVLO FRVGIFERO. *Caduceus inter ſpicas.*


Quum ſub Commodo caritas annonæ vel ſterilitate, vel miniſtrorum

(1) In theſauro Auſtriaco Vindobonenſi.

rum artibus fuiffet, Pertinax vix imperium fufcepit quin ipfe in mare confcenderit, ut ipfi provideret: unde ad denotandum fub eo omnium rerum abundantiam, hæc *Sæculi Frugiferi* epigraphe cum fpicis, & caduceo pacis fymbolo.
Hic nummus argenteus infignis elegantiæ, & raritatis eft.

VOT. DECEN. TR. P. COS. II. *Figura velata facrificans fupra tripodem.*
Ad vota decennalia pro falute Principis, primis ejus imperii temporibus, fufcepta fpectat; hic autem mos ab Augufto manavit, qui imperium in decennium acceperat, & deinde fub aliis Imperatoribus obfervatus eft.
Hic nummus aureus, & argenteus inter præftantiores collocandus.

L. A. *Juftitia ftans ftolata, dextra bilancem, finiftra cornucopiæ.*
Juftitia in Pertinace adeo eminebat, ut in extremis provinciis, & apud Barbaros nofceretur: qua de re Alexandrini illam in ejus nummis adpofuerunt, & Herodianus prædicat; *Quin barbari metu virtutis.... juftitiæque fide, quum neminem ab illo fcirent offendi, fed gratiam cuique pro meritis referri, fponte illi fe dederunt.*
Hic nummus maximi moduli argenteus eximiæ raritatis eft, & elegantiæ.



DID.



DID. JULIANI nummi ex auro, & argento rariſſimi ſunt.

IMP. CAES. M. DID. IVLIAN. AVG. *Caput Juliani.*
CONCORDIA MILITVM. *Figura muliebris utraque manu ſignum militare.*
Illa fuit concordia militum ad imperium Did. Juliano conferendum, quod ille ab iis nundinatus erat; nummo ideo convenit, quod refert Herodianus, *Tum ſignis ſublatis, impoſitiſque illius imaginibus deducere hominem tendunt.* Hæc illa ſigna mulier utraque manu gerit.
Hic nummus aureus, & ergenteus rariſſimus eſt.

P. M. TR. P. COS. *Figura muliebris ſtolata ſtans, dextra temonem, ſiniſtra cornucopiæ.*
Quum Fortuna ex Lactantio, opes tribuere putaretur, & humanarum rerum regimen habere; eam ob rem Imperatores eam præcipue colebant tanquam deam Conſervatricem, ideo inter deos Cuſtodes numerabatur, ut in Pertinace obſervavimus.
Hic nummus aureus rarior eſt argenteo.

RECTOR ORBIS. *Imperator togatus ſtans, dextra globum.*
Julianus homo vanus, ubi Senatus auctoritate ſe confirmatum vidit, ſe *Orbis Rectorem* auſus eſt appellare, quaſi imperio regendo dignus; quod minime præſtitit, nam Severo in Pannoniis Imperatore a militibus appellato, imperii ſocietatem obtulit, quum ſe ipſi imparem agnoſceret.
Hic nummus aureus, & argenteus rariſſimus eſt.

MAN-



MANLIÆ SCANTILLÆ nummi ex argento inter præstantiores collocantur, ex auro rarissimi sunt.

MANLIA SCANTILLA AVG. *Caput M. Scantillæ.*

IVNO REGINA. *Figura muliebris stans, dextra pateram, sinistra hastam, pro pedibus pavo.*

Scantilla sub Junonis Reginæ effigie in aversa nummi sui parte cælatur, quum Julianus Imp. ejus maritus sub Rectoris Orbis titulo, qui Jovi adscribitur, prodiisset; nam Regina Juno cognominata est, quod soror, & conjux Jovis, deorum, atque hominum Regis, esset.

Hic nummus ex argento rarus est; ex auro rarissimus.





DID. CLARÆ nummi ex auro rarissimi, ex argento eximiæ raritatis, & præstantiæ sunt.

DIDIA CLARA AVG. *Caput Didiæ Claræ.*

HILARITAS TEMPORVM. *Figura muliebris stolata stans, dextra palmam oblongam, sinistra cornucopiæ.*

Designatur hoc schemate populi Romani Hilaritas in liberorum procreatione a Didia Clara Imperatoris unica filia; nam Artemidorus Principum liberos per ramos palmarum designari auctor est; ipsa autem Repentino patrueli nuper nupserat. Vide, quæ de palmarum ramis dixerit Tristanus in Hadriano tom. 1. pag. 480.

Hic nummus ex auro elegantissimus est, ex argento rarissimus.





PESCENNII nummi ex argento inter imperiales rarissimi sunt, ex auro non observantur.

IMP. CAES. C. PESC. NIGER IVST. AVG. COS. II. *Caput Pescennii laureatum.*

AETERNITAS AVG. *Septem triones, inter quos crescens Luna.* Vox illa Æternitas non ad consecrationem Pescennii spectat; sed ad populorum adulationem, ut colligitur ex verbis Plinii jun. ep.67. *per æternitatem tuam, salutemque.* Pescennius enim occisus a Severo, qui per octodecim annos imperavit, nec consecratus est, nec Divi nomen in nummo gerit: Luna igitur crescens, & Septem triones pro Æternitatis symbolis adponuntur.

Hic nummus argenteus a me descriptus sub epigraphe CONSECRATIO, *cujus non memineram, eximiæ raritatis est, & elegantiæ.*

APOLLINI SANCTO. *Figura nuda stans, dextra cippo columnæ imposita ramum tenet.*

Cognomen *Sancti* inter illa, quæ Apollini tribuuntur in nummis occurrit, cujus etiam mentio est in antiquis inscriptionibus Romæ erutis apud Gruterum pag. 38. ex quibus illius templum colligitur fuisse ad Tiberim, ubi nunc ædes sancti Stephani in Silice: ejus peculiaris cultor Pescennius fuisse videtur.

Hic nummus argenteus insignis elegantiæ, & raritatis est.

BONAE SPEI. *Figura muliebris stans, dextra florem, sinistra vestem sublevat.*

Dea Spes initio imperii Principum Romanorum ſæpe in eorum nummis cælabatur, ob bonam ſpem, quam de iis conciperent populi, aut quam de ſe concitarant Principes; qua de cauſa Spes dextra florem gerit, quia ſpes eſt fructum ibi venturum, ubi flos apparuerit.

Hic nummus argenteus obvius eſt, ſi partem averſam attendas; ſi caput, rariſſimus.

BONI EVENTVS. *Figura muliebris ſtans, dextra caniſtrum, ſiniſtra ſpicas.*

Boni eventus inter Conſentes Deos agricolarum recenſetur, & ejus figura virilis eſt nuda, dextra pateram, læva ſpicam, & papaver: ſed in nummo matrona caniſtrum, & ſpicas gerit ob amplam meſſem Boni eventus Dei auſpiciis collectam, cui ſacra Peſcennii juſſu facta fuerant.

Hic nummus argenteus inter rariores numerandus.

CERERI FRVGIFERAE. *Figura muliebris ſtolata ſtans, dextra ſpicas, ſiniſtra haſtam puram.*

Quum Peſcennius contra Severum pro imperio dimicandum eſse animadvertit, Cererem frugum Deam præcipue coluit, ut abundantia exercitui parta, bellum facilius gereret; ideo in ejus nummis Ceres ſub cognomine frugiferæ ſignata eſt, a Græcis Ανησίδωρα δημήτηρ dicitur.

Hic nummus argenteus inter elegantiores recenſetur.

FELICITAS TEMPORVM. *Caniſtrum floribus, & fructibus refertum.*

Temporum Felicitas non magis obſervatur, quam in rei frumentariæ abundantia, cui, quum maxime provideret Peſcennius, ideo caniſtrum ſpicis refertum cum ſerpente Felicitatis ſymbolo in ejus nummis ſignatum eſt. Felix ſane imperium ſub ejuſmodi providentiſſimo Principe.

Hic nummus argenteus raritatis, & elegantiæ inſignis eſt.

FORTVNAE REDVCI. *Figura muliebris ſtolata ſtans, dextra temonem, ſiniſtra cornucopiæ [dextra elata caduceum, apud D. Abb. de Rothelin.]*

Quum

Quum Pescennius auxilium suum Romæ contra Julianum implorari accepisset, ut narrat Dio lib. 73. *Qui se propterea efferebat, quod ejus fidem, atque auxilium populus imploraverat*; votum *Fortunæ Reduci* fecit, ut solebant Principes ab Urbe absentes, in cujus memoriam signatus est nummus.
Hic nummus argenteus inter elegantiores adnumerandus.

* FR FR. FRVG. *Figura muliebris stolata stans, dextra spicas demissas, sinistra faci innititur.*
Imperitiæ scalptoris adscribenda est informis hæc epigraphe. Loco scalpendi CERERI scalpsit FR FR., si enim præponatur C, & duæ literæ F mutentur in E habetur CERER. Typus Cererem repræsentat cum spicis, & face, qua raptam Proserpinam quæritabat.
(1) *Hic nummus ex argento inter rarissimos computandus.*

INVICTO IMP. TROPAE. *Trophæum, ad cujus imum duo clypei.*
In augurium victoriæ, quam de Severo referre sperabat Pescennius, cusum fuisse hunc nummum cum trophæeo credere est; ideo *invictus* appellatur *Imperator*: ille enim in prælio ad Cilicias pylas legiones suas præsens instruxit.
Hic nummus argenteus a D. Morellio repertus eximiæ raritatis est.

IOVI PRAE. ORBIS. *Jupiter sedens, dextra fulmen, sinistra hastam.*
Epigraphen *Jovi Præfecto orbi* interpretamur, licet Vir eruditus *Jovi Præsidi orbi* alicubi dixerit; quum enim Jovi cæli, & terræ imperium obtigerit, Præfectus orbi dici quidem potuit; Fulmen gerit divinitatis symbolum, cui ab aquila porrectum fingunt, quod ictu fulminis illa non lædatur.
Hic nummus argenteus eximiæ raritatis est.

IVSTITIA AVGVSTI. *Mulier stolata stans, dextra bilancem, sinistra cornucopiæ.*
Justitia inter præcipuas Pescennii virtutes emicuisse videtur, siquidem *Justi* cognomen ipsi inditum nos docent ejus nummi: nam

 apud

(1) In museo D. Abb. de Rothelin.

apud Herodianum dictum est, *ut Pertinacis vitam putaretur æmulari*, præsertim forsan ejus justitiam, unde nomen ei impositum.
Hic nummus argenteus rarissimus est.

MARTI VICTORI. *Mars galea ornatus graditur, dextra parazonium, sinistra trophæum gerit.*
Mars quum bello præesset, *Victor* deinde cognominatus videtur, cui sacra fecisse Pescennium ad victoriam de Severo obtinendam verisimile est, ut nummi denotant, in quibus gradiens trophæum in victoriæ augurium gestat.
Hic nummus argenteus rarissimus est.

Eadem epigraphe. Mars galeatus stans, dextra hastam, sinistra Victoriam: pro pedibus clypeus.
Mars in superiore nummo gradivus est, tamquam ad victoriam properans; in hoc tranquillus, ut jam *Victor*; ideo simulacrum victoriæ gerit, & clypeus pro pedibus positus est, certam de Severo victoriam Pescennio promittens.
Hic nummus ex argento inter rarissimos locatur.

MINERVAE VICTRICI. *Figura muliebris tunicata galeato capite stans, dextra Victoriolam, sinistra clypeo innixa hastam gerit.*
Minerva, sicut Mars bello præesse dicebatur, ideo, ut Marti *Victoris* cognomen inditum, sic & Minervæ Victricis appellatio data est, cui etiam sacra a Pescennio pro victoria contra Severum obtinenda, facta fuisse indicant nummi, in quibus tanquam certam pollicita victoriam, ejus signum dextra gerit.
Hic nummus argenteus elegantissimus est.

MONETA AVG. *Figura muliebris stolata stans, dextra bilancem, sinistra cornucopiæ.*
Moneta in Pescennii nummis exhibetur ad denotandum jus summum per eam ad ipsum spectans: mulier autem bilancem tenet ad materiam metalli ponderandam, ut eam cuique justam rependat.
Hic nummus argenteus pro rarissimo habendus.

PIETATI AVG. *Figura muliebris stolata stans, dextra pateram supra aram ignitam sustinet.*

Pie-

Pietas, quum nihil aliud sit quam justitia erga Deos, & peculiaris versus eos cultus, hæc in Pescennio præsertim fuisse videtur: nam ubi Augustus appellatus est Antiochiæ, primum templa Diis gratiam relaturus adiit, teste Herodiano, unde ipsa Pietas sacra faciens in nummis exhibetur.
Hic nummus argenteus rarissimus est.

ROMAE AETERNAE. *Figura muliebris galeata sedens, dextra Victoriolam, sinistra hastam: pro pedibus clypeus.*
Roma pro Dea culta fuit, & templa non modo apud Græcos habuit, sed in monte Palatino ipsi ab Hadriano Imp. extructum est. Illa victoriam gerit tanquam in toto terrarum orbe Victrix; & Æterna dicitur, in perpetuæ dominationis augurium; in nummis Pescennii cælata, quod ita a Romanis vocaretur.
Hic nummus argenteus Massiliæ a me repertus, elegantissimus est.

★ SALVTI AVG. *Figura muliebris stans, dextra demissa bilancem, sinistra cornucopiæ.*
Typus hic minime convenit cum epigraphe. Cusus est nummus Antiochiæ, ubi alii omnes Pescennii, in qua urbe minor fortasse monetariorum cura, quam Romæ, saltem meliori ævo; sphalmata enim etiam Romæ patrata sunt a monetariis posteriorum Imperatorum, quæ eorum incuriæ adscribi debent, non falsariis, ut accidit in subæratis.
(1) *Hic nummus argenteus rarissimus est.*

SALVTI AVGVST. *Mulier sacrificat coram ara, cui involutus est serpens.*
Salus in Pescennii nummis exaratur, ut hæc Dea conservaret Imperatorem, quem Syrii summo amore prosequebantur, ut refert Herodianus, *Amabant autem vehementer Nigrum, quod & imperium apud illos humanissime gesserat.* Antiochiæ ejus nummi cælabantur, ut in imperii sede.
Hic nummus argenteus pro rarissimo habendus.

VICTORIA. *Victoria scribens in clypeo* AVG. *trophæo appenso.*
Plurimi reperiuntur cum victoriæ symbolis typi, quos ad Pescennii victo-

(1) In museo D. Abb. de Rothelin.

victoriarum potius augurium cusos, quis dixerit, quam ad certam de hostibus victoriam spectantes; porro de prælio in angustiis Nicææ, & Cii secundum edito Dio inquit, *Sed postea quam Nigriniani conspecto Nigro Severianos insequuti sunt, victoria apud ipsos fuit.*

Hic nummus a me Smyrnæ inventus in Thesaurum Regium depositus rarissimus est.

VICTORIA AVG. *Victoria stans, dextra coronam, sinistra palmam gestat.*

Quum nec apud Cyzicum, nec in angustiis Nicææ, & Cii prælia inter Pescennium, & Severum inita bellum absolvissent, victoria ab utraque parte incerta adhuc videbatur, & quisque nummos cum victoriæ symbolis, ut suis animum adjiceret, cudere potuit, imo debuit.

Hic nummus argenteus inter rariores scribendus est.

VICTORIAE AVG. *Victoria gradiens, dextra coronam, sinistra palmam.*

Victoria gradiens ab Amico depingi putatur tanquam ad alias properans, quum per eam belli controversia non absoluta sit: stans effingitur, quum illa bello finem imposuit, sed hæc graditur, tanquam hostem devictum per totum orbem disseminans.

Hic nummus argenteus inter rariores adjungendus.

VICTOR. IVSTAE. *Victoria gradiens ad dextras coronam gerit, sinistra palmam.*

Alludit ad cognomen *Justi* Pescennio impositi,ut percussus est nummus Galbæ cum epigraphe *Victoria Galbæ*: adde quod causa Pescennii justa fuerit, quum ille a Romanis contra Julianum appellatus fuerit: de quo Dio, *tum vero auxilium cæterorum militum, & præsertim Pescennii Nigri implorant.*

Hic nummus argenteus eximiæ raritatis est.

ΑΥΤΟΚ. ΚΑΙΣΑΡ Γ. ΠΕΣΚΕ. ΝΙΓΡΩ. Δικαιω. *Caput Pescennii laureatum.*

ΠΡΟΝΟΙΑ ΘΕΩΝ. *Aquila alis expansis insistit clavæ.*

Nummos tetradrachmales argenteos in Syriæ urbibus, Imperato-


rum

rum permiſſu ſignatos jam vulgavimus, eoſque ut plurimum aquilam Romani imperii inſigne exhibere diximus, & illam, cui rei inſiſtit, urbes, in quibus cuſi ſint, denotare: hæc autem clavæ Herculis Tyriorum innixa eſt, ſed poſtea Tyrus, nunciata Nigri fuga, Severo acclamavit, quam ideo incendi juſſit Peſcennius. Vide Herodianum.

Hic nummus argenteus maximi moduli Aleppi repertus incidit in manus Wihelmi Falkner Angli, qui mihi eum venundedit 30. Ludovicis aureis, ſtupendæ raritatis, elegantiæ, & ſingularitatis eſt.

MONITIO AD LECTOREM.

In fine Tomi primi Num. coloniarum æreum Peſcennii nummum in Gaza Parmenſi aſſervatum, forſan ſuſpectum eſſe diximus ob bilinguem ejus inſcriptionem, ſed periti, qui eum tractarunt, indubitatæ fidei eſſe nobis aſſeverant.



CL.



CL. ALBINI nummi ex argento rari cum Cæſaris nomine, inter rariores cum Imperatoris titulo; ex auro omnes eximiæ raritatis ſunt.

IMP. D. CLOD. SEPT. ALBIN. AVG. *Caput Albini ſine corona.* AEQVITAS AVGVSTI. *Figura muliebris ſtans, dextra bilancem, ſiniſtra cornucopiæ.*
Æquitas in nummis Auguſtorum ſæpe occurrit, quum ea virtus in iis præſertim effulgere debeat, qui jus dicere ſolent, nec illa Cæſari facto convenit, ſed hæc adhibita eſt in nummis Albini, quum is ſe Auguſtum, Imperatoremque appellavit, poſtquam Severus eum inſidiis aggreſſus eſt. Alii de cudendæ monetæ poteſtate exponunt.
Hic nummus argenteus rarus eſt.

APOLLINI AVG. COS. II. *Apollo ſtans muliebri habitu, dextra pateram, ſiniſtra haſtam.*
Id Albinum imprimis coluiſſe Apollinem nos docet, quod narrat Capitolinus, illum cornua bovis in ejus ortu nati, ipſi imperii augurium portendentia, in templo Apollinis Bajani præſertim repoſuiſſe: Apollo autem, ob templum ipſi in palatio imperiali ab Auguſto extructum, dictus eſt *Auguſtus.*
Hic nummus aureus eximiæ raritatis eſt, argenteus pro rariſſimo habendus.

CLEMENTIA AVG. COS. II. *Figura muliebris ſtolata ſtans, dextra pateram, ſiniſtra haſtam puram.*

Seve-

Severus crudelis admodum fuit; in Albino *clementia* prædicatur; ideo ille a Romanis odio habitus eſt, hic ſummopere expetitus; illum vocat Herodianus *immitem ſuapte natura, & ſanguinarium*; hunc vero *ortum illuſtri genere, ac bonæ indolis juvenem*. Clementia autem ſacrificantis habitu depingitur.
Hic nummus argenteus rariſſimus eſt.

FIDES LEGION. COS. II. *Aquila legionaria inter duo ſigna militaria*.
Albinus, ubi Severum deſpecto fœdere, ac jurejurando contra ſe copias movere accepit, in Galliam tranſiens legiones Germanicas accerſivit, quæ ipſi fidem obſtrinxerunt, unde Concordia ſigna gerit militaria cum epigraphe *Fides legionum*.
Hic nummus argenteus inter rariores habendus.

Eadem epigraphe. Duæ dextræ junctæ aquila legionaria intermedia.
Dexteræ junctæ pro notiſſimo fidei ſymbolo ponuntur, ſed illæ aquilam legionariam tenent ad indicandum fœdus eſſe inter legiones, quarum hæc inſigne eſt; legiones autem Germaniæ ſuperioris, & inferioris pro Albino cum Britannicis contra Severum conjunctæ ſunt.
Hic nummus argenteus ejuſdem raritatis, & elegantiæ, ac ſuperior.

FORTVNA AVG. COS. II. *Fortuna ſtans, dextra temonem, ſiniſtra cornucopiæ*.
Fortuna, ut credebatur divitiarum eſſe mater, atque nutrix, ſicque in rebus omnibus dominans, in nummis Imperatorum frequens occurrit, ſed ſæpe cum lemmate Fortuna Auguſti, quaſi ut quiſque Genium ſuum haberet, ita quiſque ſuam Fortunam bonam, vel malam.
Hic nummus argenteus inter rariores locandus.

FORTITVDO AVG. INVICTA. *Hercules ſtans pelle leonina in pallii forma ornatus, dextra clavæ innixa, ſiniſtra globum*.
Albinus ob egregia facinora Herculi comparatur, ſub cujus effigie exhibetur cum elogio *invicti*: quod habent inſcriptiones antiquæ apud Gruterum pag. 315. & 382. Herculem vero ita cognominatum

existimat Varro, quod animalium omne genus vicerit; Lucretius autem, omnia monstra animi.
Hic nummus argenteus eximiæ raritatis est, & elegantiæ.

FORTVNAE REDVCI. *Figura muliebris sedens, dextra temonem, sinistra cornucopiæ.*
Augustis Romæ absentibus, sæpe nummi cum *Fortunæ reduci* epigraphe cudebantur, ob desiderium, quo Romani eos videndi tenebantur; votum itaque huic deæ fiebat, quod post eorum reditum solvebatur in ejus templo in VI. regione a Domitiano, ut putant, extructo: nam in ea pro Augusto, ara tantum fuerat erecta.
Hic nummus ex argento frequens, ex auro raritate, & elegantia præstantissimus est.

GEN. LVG. COS. II. *Figura seminuda capite turrito, dextra hastam, sinistra cornucopiæ; pro pedibus aquila.*
Lugduni cusum hunc nummum arguit Genius ejus urbis in eo repræsentatus, quum enim Albinus ex Britannia in Galliam contra Severum profectus transiisset, Lugdunum pervenit, ubi prælium inter eos commissum est, teste Herodiano, *Donec postremo apud Lugdunum, magnam urbem, atque opulentam, prælium in manibus fuit.*
Hic nummus argenteus rarissimus est.

IOVI VICTORI. *Jupiter sedens, dextra Victoriam, sinistra fulmen.*
IOVIS VICTORIAE COS. II. *Jupiter stans dextra Victoriolam, sinistra hastam puram, pro pedibus aquila.*
Albinus primam suam de Severianis in Gallia victoriam etiamsi levem, Jovi tamen tribuit, tanquam ejus ope, & auxilio eam reportasset, de iis Herodianus, *Sed ubi jam in Galliam Severi copiæ pervenerunt, leves quædam primo pugnæ, quasique velitares fuerint.* Ideo Jupiter dextra Victoriolam gerit: Jovi vero Victori diem festum Romani celebrabant Id. Aprilis.
Hic nummus argenteus inter rariores reponendus.

* IMP. CAES. D. CLO. SEP. AVG. *Caput Albini laureatum.*
MONET. AVG. COS. II. *Figura muliebris stans, talari veste induta, dextra bilancem, sinistra cornucopiæ.*

Jus

Jus cudendæ monetæ aureæ, atque argenteæ sibi unis reservarunt Imperatores Augusti, relicta Senatui facultate cudendi monetam æream. Albinus consors Imperii a Severo factus eodem jure usus est cudendæ monetæ, quo Severus. Mulier cum bilance, exactum, justumque metalli pondus debere esse indicat, & cum cornucopiæ, ex justa monetæ administratione populorum felicitatem, rerumque omnium abundantiam pendere.

(1) *Hic nummus argenteus inter rariores, & præstantiores recensendus est.*

SALVTI AVG. COS. II. *Figura muliebris stolata stans, serpentem pascit.*

Quum Albinum pro Imperatore multi exoptarent, sacra pro ejus salute sæpe fiebant, quorum memoria in ejus nummis nobis remansit. In iis exhibetur modo Æsculapius Medicinæ Deus cum epigraphe COS. II. modo Dea Salus ejus filia serpentem patri, & ipsi sacrum pascens.

Hic nummus argenteus rarus est.

SAECVLI FEL. COS. II. *Figura muliebris stolata stans, dextra caduceum, sinistra ramum.*

Sæculi felicitatem sub Albino, principe exoptato, populi prædicant; sub Commodo enim exhaustæ ut plurimum fuerant provinciæ, de quo Lampridius, *vendidit etiam provincias, & administrationes*: ita ut earum rectores illas expoliarent.

Hic nummus ex argento rarus est.

SAEC. FRVCIF. COS. II. *Genius seminudus cum strophio stans, dextra caduceum alatum, sinistra instrumentum insulcum.*

Nummi Pertinaci cusi sunt, ob annonæ procurationem, cum epigraphe *Sæculo Frugifero*, & spicis cum caduceo, ad denotandam ejus abundantiam, ex qua populi felicitas. Pertinace autem mortuo, Severus idem fecit, unde ipsi, & Albino ab eo Cæsari facto nummi cum eadem inscriptione; sed in iis Genius caduceum ad felicitatem indicandam gerit, & instrumentum insulcum, quo terra colitur, ut docet Jul. Pollux, ad ejus culturam arguendam.

Hic nummus argenteus inter rariores reponendus.

(1) In museo D. Apostoli Zeno.

SPES AVG. COS. II. *Spes dextra florem, finistra vestem colligit.*
In Cæsarum nummis Dea Spes, ut plurimum exhibetur, ad illam indicandam, quæ de iis, qui imperio designati sunt, concipitur: at dum eorum messis adhuc in herba est, Spes depingitur cum flore, quæ fructum arbori portendit.
Hic nummus argenteus pro raro habendus.

S. P. Q. R. P. P. OB. C. S. *In laurea.*
Corona civica concedebatur ei, qui in bello cives servaverat, at quum Senatus Albino plus faveret, quam Severo, si Capitolino fides, *A Senatu tantum amatus est quantum nemo principum, in odium speciatim Severi, quem vehementer ob crudelitatem oderant Senatores*, ipsi, in victoriæ augurium, cusus videtur nummus.
Hic nummus argenteus inter præstantiores referendus.

VICT. AVG. COS. II. *Victoria gradiens, dextra coronam, finistra palmam.*
Cum victoriæ simulacro cusi sunt Albino nummi, ob leves illas pugnas, quas cum Severianis ejus copiæ inierunt, teste Herodiano, ut supra diximus, quum ex Britannia in Galliam contra eos transiissent.
Hic nummus argenteus rarus est.

VIRTVTI AVG. COS. II. *Figura militaris stans, dextra parazonium, finistra hastam.*
De virtute Albini testes sunt illius in Britannia, & Gallia Victoriæ, ob quas Commodus Cæsaris nomen, quod recusavit, ei detulit: de ipso Capitolinus uno verbo, in ejus vita ait, *Armis strenuus prorsus.* Virtus enim hic de bello intelligitur.
Hic nummus argenteus rarus est.

SE-



SEVERI nummi ex argento frequentes, ex auro non obvii sunt.

L. SEPT. SEV. PERT. AVG. IMP. VIII. *Caput Severi laureatum.*
ADVENTVI AVG. FELICISSIMO. *Imperator eques præeunte, & subsequente milite.*
Ob primum Severi in Urbem adventum, postquam Imperium arripuisset, percussi non sunt ei nummi: sed devicto Pescennio, quum jam Imperator octavum fuisset ob victorias appellatus: ejus adventus nominatur felicissimus, sed ut ait Capitolinus, *Redeunti sane Romam post bellum civile Nigri, aliud bellum civile Clodii Albini nuntiatum est.*
Hic nummus ex auro rarus est, ex argento frequens.

SEVERVS PIVS AVG. *Caput Severi laureatum.*
ADVENTVS AVG. *Imperator eques.*
Severus initio imperii nomen Pertinacis assumpsit, quod tantum in Trib. potestate VIII. reliquit, qua de re Capitolinus, *Se quoque Pertinacem vocari jussit: quamvis postea id nomen aboleri voluerit, querimonia amicorum.* Ille igitur nummus ob Severi adventum sine Pertinacis nomine, spectat ad ejus reditum post Parthos devictos.
Hic nummus argenteus rarus est.

Eadem epigraphe. Imperator eques dextram elevans, præeunte milite, seu virtute galeata.
Ad adventum Severi in Urbem post victoriam Parthicam, etiam spe-

ſpectat. Ante eum graditur Virtus, quod Severus armorum virtute Parthos devicerit. Signatur *Adventus Augg.* quod Caracalla in conſortium imperii cum patre a militibus, appellatus fuerit.
Hic nummus argenteus inter rariores computandus.

Eadem epigraphe. Severus, Caracalla, & Geta equites.
Pater, & filii Caracalla, & Geta ſimul equites Romam advenientes in eodem nummo exhibentur, quod ille in imperii conſortium a militibus appellatus ſit, & hic etiam Cæſar factus, ex Capitolino, *Ob hoc etiam filium ejus Baſſianum Antoninum, qui Cæſar appellatus jam fuerat, annum 13. agentem, participem imperii dixerunt milites. Getam quoque juniorem filium Cæſarem dixerunt.*
Hic nummus ex auro rarus eſt, ex argento frequens [imo admodum rarus.]

SEVERVS AVG. PART. MAX. *Caput Severi laureatum.*
AEQVITAS AVG. *Imperator laureatus, & togatus ſedens, ſiniſtra haſtam gerit, ex adverſo mulier ſtans cum bilance, & cornucopia.*
Imperatores Æquitatem in nummis ſuis apponere curabant, ut jus ſuum unicuique ſe reddere demonſtrarent: de ipſo narrat Herodianus, *Romæ deinde haud paucos moratus annos, jus dicebat frequenter, civilibus negotiis intentus*, unde ipſe togatus ſedens, ad latera juſtitia ſtans exhibetur. Alii de jure monetæ cudendæ explicant.
Hic nummus argenteus rariſſimus eſt.

AETERNIT. IMPERI. *Caput Caracallæ, & Getæ adverſa.*
Severus per epigraphen *Æternitatis imperii* circa capita filiorum Caracallæ, & Getæ, ſe per eos in familia ſua imperium Romanum in perpetuum locaſſe teſtatur, de quo Capitolinus, *Sep. Severum immoderatiſſime lætatum, quod duos Antoninos pari imperio reipubl. relinqueret.* Sed ſpem fefellit eventus: uterque ſine prole deceſſit.
Hic nummus ex argento, & auro inter rariores adſcribendus.

AFRICA. *Figura muliebris ſtans cum proboſcide, in tunica ſpicas gerit, pro pedibus leo.*
In memoria patriæ, Afer enim erat, teſte Capitolino, *Severus Africa oriundus*, Mulier proboſcide elephantis tanquam ejus ſymbolo

bolo ornatur, in gremio ſpicas gerit ad denotandam ejus fertilitatem: Leo pro pedibus, ob eorum in hac provincia abundantiam.

Hic nummus argenteus rarus eſt, & elegans.

ANTONINVS PIVS AVG. *Caput Caracallæ nudum.*

In averſa Severi patris parte Caracalla ſignatus eſt, poſtquam Auguſti nomen, & Imperatorios honores accepit, ut narrat Herodianus; *Tum Baſſiano, qui tunc honores imperatorios adeptus, Antoninus accepto Marci prænomine, vocabatur, uxorem dedit.*

Hic nummus argenteus inter præſtantiores locum habet.

L. SEPT. SEV. PERT. AVG. IMP. IIII. *Caput Severi laureatum.*

APOLLINI AVGVSTO. *Apollo muliebri ornatu ſtans, dextra pateram, læva citharam.*

Severus Peſcennio devicto, & occiſo, unde Imperator IIII. appellatus eſt, ſacra diis feciſſe videtur, præſertim Apollini Palatino, & in memoriam Auguſti, *Auguſto* dicto, tanquam deo domeſtico, quum ejus templum in Palatio imperiali eſſet extructum; ejuſque memoria in ipſius Albini tunc Cæſaris nummis, Romæ etiam conſignata eſt.

Hic nummus argenteus rarus eſt.

CONCORDIA AVGVSTORVM. *Caracalla, & Geta togati jungentes dextras, quibus inſiſtit Victoria.*

Ad victoriam Britannicam ſpectat nummus, quandoquidem Caracalla, & Geta dicti ſunt ambo Auguſti, quum priuſquam ad hoc bellum proficiſceretur Severus, Getam tunc Cæſarem, appellavit Auguſtum, inter fratres concordiam conciliare volens, ut narrat Herodianus, *Ipſe ad pacem, concordiamque revocari liberos, & reconciliare utrumque alteri conabatur.*

Hic nummus aureus inter rariores computandus.

* FELICITAS PVBLICA. *Capita adverſa Severi laureatum, & Juliæ.*

CONCORDIA PERPETVA. *Capita adverſa Caracallæ, & Getæ ambo laureata.*

In præclariſſimo nummo Domus Auguſtæ capita omnia exhibentur.

In

In anteriori quidem parte Imperator ipſe Septimius Severus, & Julia uxor, in poſteriori vero Antoninus Caracalla, & Septimius Geta ejus frater comparent. Crederem nummum cuſum extremis imperii Severi diebus, quum filios ſuos Auguſtos dici, & haberi paſſus eſt; referente Spartiano, *juſſit* Severus *quum videret ſe perurgeri ſub hora mortis, ut alternis diebus apud filios imperatores in cubiculis Fortuna poneretur*.

(1) *Hic nummus aureus præſtantia, & elegantia inſignis eſt*.

DIVO SEVERO PIO. *Caput Severi nudum*.

CONSECRATIO. *Aquila*.

Severo in Britannia mortuo, ejus cadaver Romam perlatum eſt a filiis, & ab iis pater conſecratus eſt, de quo Spartianus, *Ipſi a Senatu, a gentilibus, liberiſque ejus funus ampliſſimum exhibitum fuit, atque inter divos eſt relatus*. Aquila conſecrationis ſymbolum, teſte Herodiano, eſt: *Aſcenſura in ætherem aquila dimittitur*.

Hic nummus ex auro rarior eſt argenteo. Aquila inſiſtens cippo in altero argenteo pro raro habendo.

Eadem epigraphe. Sella ſupra, quam corona. In aliis rogus.

Rogus ex Herodiano, ſuggeſtus eſt ſpecie quadrangula lateribus æquis aſſurgens, nulla præterquam lignorum ingentium materia compactus, in tabernaculi formam: in eo autem lectus, ſupra quem recumbit Imperatoris ſtatua, reponitur; cui imperii ſucceſſor facem admovet: ac tum ex illo cum cæteris numinibus Imperator colitur.

Uterque nummus argenteus rarus eſt.

COS. III. *Arcus cum tribus fornicibus*.

Arcus ille eſt triumphalis, Severo ad radices montes Capitolini in foro Romano erectus, in ejus Tribun. poteſtate XI. quum Imperator eſſet XI. & conſulatum III. gereret, ob Parthos, Arabas, & Adiabenos devictos anno V. C. 956. Nunc adhuc extat, quem duodecies Romam profectus, ſæpe proſpexi.

Hic nummus argenteus eximiæ raritatis, & elegantiæ eſt.

L. SEP. SEV. PERT. AVG. IMP. II. *Caput Severi laureatum*.

DIS AVSPICIBVS. *Hercules, & Bacchus ſtantes cum attributis*.

Initio Severi imperii cuſus eſt, ſi quidem Imperatoris II. titulum exhi-

(1) Apud D. De Cleves.

exhibet, quum facra feciffet fuis aufpicibus Diis Herculi, & Baccho, quibus tandem templum fuperbiffimum erexit, ut narrat Dio; *Ædificia nova extruxit, vetera reftituit: quippe tam Baccho, quam Herculi templum maximum ædificavit.*
Hic nummus aureus rarior eft argenteo.

SEVERVS PIVS AVG. P. M. TR. P. *Caput Severi laureatum.*
FELICITAS SAECVLI. *Caput Juliæ directa fronte inter capita Caracallæ, & Getæ adverfa.*
Felicitatem fæculi denotare folebant Principes per filios imperii fucceffores, nam deficiente in iis prole, pro fucceſſoris electione graviffima oriebantur bella, ut nuper poft Commodum evenerat: ideo Caracalla, & Geta dicuntur Felicitas feculi, ipfa matre intermedia, quæ inter eos concordiam conciliet.
Hic nummus ex argento inter rariores ponendus.

* FELIC. SAECVLI. *Luna crefcens cum feptem ftellis.*
Felicitatem fæculi ab Augufta fua domo proficifci per hunc nummum indicari voluit Severus. Septem nempe ftellæ familiam omnem Severi repræfentant, Severum ipfum, & Getam ejus fratrem, uxorem Juliam, binos filios Caracallam, & Getam, & duas filias, quarum mentionem facit Spartianus, inquiens, *filias fuas dotatas maritis Probo, & Aetio dedit.*
(1) *Hic nummus argenteus rarus eft.*

FELICIT. TEMPOR. *Duo cornuacopiæ, fpica intermedia.*
Temporum felicitas eft rerum omnium abundantia, quæ per duplex illud cornucopiæ defignatur: & præfertim annona, quæ fpica indicatur, de qua Spartianus, *Rei frumentariæ, quam minimam repererat, ita confuluit, ut excedens ipfe vita, feptem annorum canonem populo Romano reliquerit.*
Hic nummus argenteus rarus eft.

L. SEPT. SEV. PERT. AVG. COS. II. *Caput Severi laureatum.*
FORTVNA REDVX. *Imperator velatus facrificat ante Fortunam fedentem, dextra temonem, finiftra cornucopiæ.*
Severum Apollini Augufto, poft Pefcennium devictum, & occi-

 fum,

(1) Apud Francifcum Ficoronum.

sum, sacra fecisse supra diximus, quod idem Fortunæ Reduci eundem fecisse nos docet nummus, ut felicem Romam reditum obtineret: de illius templo in VI. regione a Domitiano extructo, in Albino meminimus.
Hic nummus aureus rarissimus est.

L. SEPT. SEV. PERT. AVG. IMP. VIIII. *Caput Severi laureatum.*
IMPERI FELICITAS. *Capita adversa Severi, & Caracallæ.*
Devicto, & occiso Albino Severus dictus est Imperator IX. eoque Cæsare, qui se Imperatorem dixerat, sublato, Imperii felicitas per patrem, & filium, cui Augusti titulum dederat, designatur.
Hic nummus aureus rarissimus est.

INDVLGENTIA AVGG. IN CARTH. *Cybele vecta leone currente, dextra tympanum, in aliis fulmen, sinistra sceptrum.*
Indulgentia hic pro tributi, aut alterius rei remissione usurpatur; at multa Severus beneficia Carthaginensibus contulit, quorum meminit Spartianus: *itidem Carthaginensibus plurima indulsit*. Dea hæc est Carthaginis Astarte, quæ Plutarcho in Crasso Juno, aut Venus dicitur, a Didone in eam translata, ab aliis Venus cælestis appellatur. Vide nostrum de Coloniis librum.
Hic nummus ex auro rarus, ex argento tritus, & obvius.

INDVLGENTIA AVGG. IN ITALIAM. *Figura muliebris capite turrito insidens globo, dextra trophæum, sinistra cornucopiæ gerit.*
Memoria pariter est indulgentiæ Severi in Italiam: quam designat, si mihi conjicere liceat, Spartianus his verbis, *Post hæc quum se vellet commendare hominibus, vehicularium munus a privatis ad fiscum traduxit*. Italiæ ergo vehiculatio ab eo remissa videtur, ut indicat alter Nervæ nummus. Italia globo insidet, orbis imperium gerens.
Hic nummus argenteus eximiæ raritatis est, & elegantiæ.

INVICTA VIRTVS. *Figura equestris proterens captivum.*
Virtus bellica in Severo merito *invicta* dici potest, siquidem de eo asserit Spartianus, *Prope a nullo congressu nisi victor*: Ille enim belli scientiam probe noverat, nam de illo cum Albino comparato, Xiphilinus ait ex Dione, *Scientia rei militaris, & peritia ducendi exercitus potior erat.*
Hic nummus argenteus inter elegantiores adscribendus.

IMP.

IMP. CAES. L. SEPT. SEV. PERT. AVG. COS. II. *Caput Severi laureatum.*

INVICTO IMP. TROPAEA. *Trophæum.*

Quum Invicti Imperatoris titulum in nummis accepisset Pescennius trophæo in iis apposito, typus idem Severo potiori jure datus est cum eodem trophæo, siquidem eum vicit, & de ipsius victoria trophæum erexit: de Severo narrat Herodianus, *Clarissimus omnium Imperatorum bellicis operibus.*

Hic nummus argenteus rarus est.

IOVI CONSERVATORI. *Jupiter sedens, dextra Victoriolam, sinistra hastam.*

Nil mirum, si Severus post tot bella egregie armorum virtute confecta, *Jovi conservatori* sacra perpetravit, cujus ope, & auxilio conservatus tot victorias retulerit, in quarum memoriam Jupiter ipse Victoriæ simulacrum gerit.

Hic nummus argenteus rarus est.

IMP. CAE. L. SEP. SEV. PERT. AVG. COS. II. *Caput Severi laureatum.*

IOVI PRAE. ORBIS. *Jupiter innixus hastæ, dextra Victoriolam, pro pedibus aquila.*

Hæc inscriptio insolens *Jovi præfecto orbis* in Pescennii nummis occurrit, quam Severus etiam in suis adhibuit; porro in Pescennianis Jupiter sedet fulmen gerens, quo Gigantes profligavit, indicans hoc lemmate Severum deleturus, sed ille in Severianis stat dextra Victoriam gerens, tanquam de Pescennio victor.

Hic nummus aureus inter rariores collocandus.

IOVI VICTORI. *Caput Jovis Ammonis directa fronte.*

Jovi victori sub effigie Jovis Ammonis sacra fecit in ejus templo ob victoriam Parthicam, quum ex Syria Ægyptum adiit, ut narrat Dio; *Inde profectus in Ægyptum, totam regionem vidit, occultasque res in ea, & penitus abditas curiose perquisivit.* Unde caput Ammonis in rei memoriam signatum.

Hic nummus aureus præstantissimus est.

IVLIA AVGVSTI. *Caput Juliæ.*

Julia uxor Severi Syra erat, ex Emisa urbe orianda: De qua ait

 Spar-

Spartianus, *Quum amissa uxore*, Marcia nempe, *aliam vellet ducere, genituras sponsarum requirebat, & cum audiisset esse in Syria quandam, quæ id genituræ haberet, ut regi jungeretur, eandem uxorem petiit, & accepit interventu amicorum.*
Hic nummus argenteus inter elegantiores adnumerandus.

LAETITIA TEMPORVM. *Navis, & currus, plurimaque circum circa animalia.*
Ob Severi ex bello Parthico reditum, & principatus ejus decennium, varia spectacula edita sunt ex Dione, quem nummus valde illustrat: cæsæ sunt permultæ bestiæ, *earum receptaculum in amphitheatro ædificatum erat instar navis, & mox quasi ex navi subito dissoluta, exilierunt ursi, leænæ, panthera, leones, struthiones, onagri, bissones.* Unde Lætitia temporum.
Hic nummus aureus, & argenteus insignis præstantiæ, & raritatis est.

LEG. I. ADI. TR. P. COS. *Aquila legionaria inter duo signa militaria.*
Legiones in nummis Septimii Severi non signatæ sunt, quod eum Imperatorem dixerint; nam illæ fuerunt solæ, quæ in Pannonia erant locatæ, in quarum numero fuit Legio I. Adjutrix a Galba instituta; sed quum Severus tres novas, nomine Parthicas constituisset, eas omnes mutato ordine in provincias distribuit, & non Alex. Severus, ut quidam putant ex Dione, hic enim sub utroque Imperatore vixit.
Hic nummus argenteus inter rarissimos reponendus.

LEG. I. MIN. TR. P. COS. *Typus idem.*
Legio I. Minervia a Domitiano Imperatore constituta est, nomenque ei ab illo inditum, ob cultum, quo hanc deam, ut supra diximus, prosequebatur. Hæc in Germania inferiore collocata est, ut apud Dionem legimus. pag. 564.
Hic nummus argenteus inter rariores, & aureus inter rarissimos collocandus.

LEG. II. ADIVT. TR. P. COS. *Idem typus.*
Legio II. Adjutrix a quo fuerit instituta, non comperi; in Dalmatia cum

cum leg. VII. Gemina, ſub Auguſto hiberna agebat; in Syria ſub Galba, in hanc provinciam a Nerone pro bello Armeniaco tranſmiſſa. In Germania inferiore ſub Severo collocata eſt.
Hic nummus argenteus inter elegantiores adſcribendus.

LEG. III. ITAL. TR. P. COS. *Typus idem.*
Legio III. Italica cum II. hujus nominis a M. Aurelio inſtituta eſt, & in Rhetia ab illo collocata, quæ a Severo ibi relicta eſt. Italicæ nomen habuiſſe videtur, quod ex Italico jure gaudentibus compoſita fuerit.
Hic nummus argenteus ejuſdem eſt raritatis, ac ſuperior.

LEG. IIII. FL. *Typus idem.*
Legio IIII. Flavia a Veſpaſiano inſtituta de gentis ſuæ Flaviæ nomine nuncupata, ab eo in Syria conſtituta, & a Severo in ea provincia conſervata eſt.
Hic nummus argenteus inter inſigniores conſtituendus eſt.

LEG. V. MAC. TR. P. COS. *Typus idem.*
Legio V. Macedonica in Germania inferiore in caſtris apud Vetera, ab Auguſto conſtituta, ſub Galba in Judæa hiberna habuit, & in Dacia a Severo collocata eſt. Macedonicæ nomen tulit, quod primum ex Macedonibus compoſita ſit, ſed ex Gallis ab Auguſto ſuppleta.
Hic nummus argenteus inter elegantiores locatur.

LEG. VII. CL. TR. P. COS. *Typus idem.*
Legio VII. ab Auguſto in Mœſia ſuperiore locata, mutato nomine Claudiana vocata eſt, a Veſpaſiani ducibus contra Vitellium adducta, eo occiſo ad ſua hiberna remiſſa ex Dione lib. 55. in quibus etiam conſervata eſt: Claudiana appellata fuit, quod Camillum Scribonianum, qui bellum civile Claudio intulerat, prima deſeruerit.
Hic nummus argenteus inter elegantiſſimos habendus.

LEG. VIII. AVG. TR. P. COS. *Typus idem.*
Legio VIII. Auguſta ab Auguſto conſtituta, in Pannonia ab eo locata eſt, ex ea a Claudio in Mœſiam tranſmiſſa, ubi a Galba relicta eſt, ſed a Severo in Germaniam ſuperiorem tranſducta.
Hic nummus argenteus pro raro cenſetur.

LEG.

LEG. XI. CL. TR. P. COS. *Typus idem.*

Legio XI. ab Augusto in Mœsia inferiore locata, a Claudio dicta est *Claudiana*, & in Dalmatiam ab eo transmissa: at ita a Claudio nominata, quod Camillum Scribonianum, qui bellum civile illi intulerat, inter primas deseruerit.

Hic nummus argenteus inter rarissimos numerandus.

LEG. XIII. GEM. TR. P. COS. *Typus idem.*

Legio XIII. Gemina videtur ab Augusto hoc nomen accepisse, quum ex duabus legionibus, bellis civilibus diminutis unam fecit; hæc ab eo in Germania superiore collocata est, a Galba in Pannoniam translata Pœtavionem, a Severo in Dacia denique constituta.

Hic nummus argenteus rarissimus est.

LEG. XIIII. GEM. M. V. TR. P. COS. *Typus idem.*

Legio XIIII. Gemina Martia Victrix ab Augusto etiam ex duabus in unam reducta est, & ab illo in Germania superiore posita: unde a Claudio in Britanniam missa, deinde in Dalmatia a Galba constituta, tandem in Pannoniam a Severo dimissa.

Hic nummus argenteus obvius est, ex auro inter rariores.

LEG. XXII. TR. P. COS. *Typus idem.*

Legio XXII. cognominata Primigenia, ab Augusto constituta est in Ægypto, quam in Judæam vocavit Vespasianus, eam in Germaniam superiorem Severus amandavit.

Hic nummus argenteus de raris est.

LEG. XXX. VLP. V. *Typus idem.*

Legio XXX. Ulpia Victrix a Trajano instituta,& de Ulpiæ gentis suæ nomine cognominata, in Germania superiore locata est, ubi a Severo relicta.

Hic nummus argenteus rarissimus est.

LIBERALITAS VI. *Severus sedens inter liberos in substructione pro congiario, tribus aliis figuris adsistentibus.*

Ex nummis quot congiaria quisque Imperator distribuerit, tantum ediscimus; scriptores enim, id vel prætereunt, vel paucis referunt ut Herodianus de Severo ait, *Sed & congiaria dedit uberrima.* Se-

Severi nummi illum ſeptem dediſſe nos edocent, & quare ſeptimi frequens ſit typus, quod ob ludos ſæculares diſtributum fuerit, cauſa videtur.

Hic nummus aureus rariſſimus eſt.

L. SEPT. SEV. PERT. AVG. IMP. VIIII. *Caput Severi laureatum.*

LIBERO PATRI. *Bacchus ſtans, dextra cantharum, ſiniſtra thyrſum: pro pedibus tigris.*

Inter deos, quos peculiariter coluit Severus, Bacchum ex eorum numero fuiſſe diximus; Liber quidem appellatur, ob diverſas cauſas ab Hiſtoricis recenſitas, unde ipſius feſta dicta ſunt Liberalia. Pater autem dictus eſt, quod cæteri dii hoc Patris nomine vocarentur, ut Neptunus pater, Janus pater, & Mars pater.

Hic nummus aureus rarior eſt argenteo.

L. SEPT. SEV. AVG. IMP. XI. PART. MAX. *Caput Severi laureatum.*

L. SEPTIMIVS GETA CAES. *Caput Getæ.*

Severus in averſa nummorum argenteorum parte exhibetur, modo cum Julia uxore, modo cum Caracalla majore filio, & aliquando cum Geta, quum ille Cæſar eſſet ab eo appellatus, & ob hunc titulum in nummis repræſentari poſſet; hunc vero nummum cuſum fuiſſe anno 956. vel 957. docet Imperatoris XI. titulus, quem in iis annis tulit Severus.

Hic nummus argenteus rariſſimus eſt.

LVDOS SAECVL. FECIT. COS. III. *Bacchus, & Hercules ſtantes cum attributis.*

Ludos ſæculares a Domitiano celebratos renovavit tantum poſt annos 116. cum eos forſan ob bella civilia, tempore, quo erant præſcripti, edere non potuiſſet; eorum meminit Herodianus, *Vidimus item ſub illo quoſdam omnis generis ludos, cunctis editos theatris, ſimulque ſupplicationes, & pervigilia ad formam Cereris initorum,* (Sæculares *hi tunc appellantur*) *celebratos.*

Hic nummus aureus præſtantiſſimus eſt.

MARS PACATOR. *Figura galeata ſeminuda, dextra ramum, læva haſtam..*

Mars ſummo honore apud Romanos colebatur, quod ipſe Romuli con-

conditoris pater crederetur, quem modo gradivum appellabant, dum bella ſuſcepturi, ipſi ſacra faciebant: modo Pacatorem, inita cum hoſtibus pace: de quo Ovid. lib 3. Faſtorum.

Nunc primum ſtudiis Pacis, deus utilis armis,
Advocor.

Ille olivæ ramum, pacis ſymbolum gerit.
Hic nummus argenteus rarus eſt.

PACATOR ORBIS. *Caput radiatum.*
Parthis a Severo debellatis *Parthici Maximi* nomen tulit, & pace illis data, *Pacator orbis* dicitur: Similem Herculi titulum tribuit Seneca, *Sed ut domitor magne ferarum, Orbiſque ſimul Pacator ades.* Caput radiatum Orientis eſt, quod Parthi verſus Orientem, Romanorum reſpectu, ſiti ſunt.
Hic nummus argenteus rarior eſt aureo.

P. M. TR. P. X. COS. III. P. P. *Caput Palladis galeatum.*
Palladis ſeu Minervæ caput in nummo Tribunit. poteſtate x. ornato ſignatum exhibetur, forſan quod quum illa etiam ut Mars bello præſit, & Severus hoc anno, devictis Parthis, Marti pacatori ſacra fecerit, ut ſupra diximus; etiam Minervæ Paciferæ ille quædam alia perpetraverit. Vel quod Pallas prudentiæ, vel providentiæ numen ſit.
Hic nummus aureus rariſſimus eſt.

P. M. TR. P. XV. COS. III. P. P. *Imperator eques pacificatoris habitu.*
Figuræ equeſtres pacificatoris habitu, quales in Quintiliano deſcribuntur, in nummis occurrunt; at illæ in Adventum Principum, vel in memoriam ſtatuæ ipſis erectæ in iis cælantur: quum autem in Trib. pot. xv. Severus in Urbe ante aliquot annos moraretur, ergo ad ſtatuam ipſi S. C. poſitam hic typus ſpectare videtur.
Hic nummus argenteus rarus eſt.

P. M. TR. P. XVI. COS. III. *Imperator paludatus in equo decurrit haſta demiſſa.*
Ad Britannicam expeditionem pertinet, quam cum filiis Caracalla, & Geta in Trib. poteſtate decima ſexta ſuſcepit, de qua Herodianus, *expeditionem in Britanniam edicit, ſenex jam, & articulari morbo labo-*

laborans, tanta animi virtute, quanta nemo unquam, vel juvenum.
Decurrens depingitur, barbaros nempe debellaturus.
Hic nummus argenteus inter rariores collocandus.

Eadem epigraphe. Portus duabus turribus præmunitus, figuris adornatus.
Pontem esse existimat Com. Mediobarbus, quod Herodiani verbis confirmare conatur, dum Severus Britanniam ingressus est, *inprimis tamen curæ habuit Pontibus occupare paludes*: unde ait *nil mirum, si & hoc, & sequentibus annis cusi in nummis Pontes*. Nos portum maris putamus *Icium*, per quem ex Gallia apud Morinos in Britanniam transiit, quem instaurari curavit, unde vera nummi cudendi causa.
Hic nummus aureus rarissimus, & elegantissimus est.

P. M. TR. P. XVIII. COS. III. *Imperator eques prosternens captivum.*
Ad victoriam Britannicam spectat, unde Severo Britannici nomen, de qua Herodianus, *Pugnæ quædam tumultuariæ fiebant, & excursiones, victore ubique Romano*. Interea senio confectum Imperatorem invasit morbus, & mortuus est. Caracalla, & Geta mox icto cum Britannis fœdere Romam cum Severi reliquiis reversi sunt.
Hic nummus argenteus rarus est.

PRINC. IVVENT. COS. *Tres Figuræ decurrentes.*
Severus imperium arripuit post Pertinacis necem, nec unquam Cæsar fuit, ut Princeps juventutis dictus esse possit: itaque ad Getam filium hæc aversa nummi pars pertinet, monetariorum incuria in eo percussa, nisi quod Geta Principe juventutis declarato, ejus memoria in nummis patris signata sit.
Hic nummus argenteus rarissimus est.

L. SEPT. SEV. PERT. AVG. IMP. VIIII. *Caput Severi laureatum.*
PROFECTIO AVG. *Severus eques dextra hastam.*
Plurimi cum epigraphe profectionis Severi occurrunt typi, at ille cum titulo Imperatoris VIIII. conjunctus, ejus contra Albinum profectionem denotare videtur, in cujus memoriam cusus est nummus.
Hic nummus argenteus, & aureus rarus est.

L. SEPT. SEV. AVG. IMP. XI. PART. MAX. *Caput Severi laureatum.*

PROFECT. AVG. FEL. *Imperator eques decurrens, dextra hastam.* Altera Severi profectio prodit in nummo cum titulo Imp. XI. quem in bello Parthico reportavit; unde in eodem *Parthicus Maximus* renunciatur, hæc ad Profectionem Imperatoris in Britanniam spectat, ut & sequens nummus.
Hic nummus argenteus inter rariores habendus.

PROF. AVG. P. M. TR. P. XVI. COS. III. P. P. *Imperator eques præeunte milite.*
Eadem est Severi, quæ in superiore nummo designata per titulum Imp. XI. in Britanniam profectio, at in hoc per Trib. potestatem XVI. declaratur; nam ea respondet anno V. C. 962. quo Severus ad hanc expeditionem cum Caracalla, & Geta filiis profectus est.
Hic nummus argenteus rarior est superiore.

PROVIDENTIA. *Caput Medusæ.*
Medusæ caput hic pro symbolo Providentiæ exhibetur, quod Minerva prudentiæ, & providentiæ numen esset; hæc enim sapientiæ, & bonarum artium dea habebatur, quam Severus colebat, de quo ait Dio, *Erat acutissimo, & excellentissimo ingenio, studiosus bonarum artium: quarum scientiam quum esset consecutus, consilio plusquam poterat.*
Hic nummus aureus, & argenteus inter elegantiores collocandus.

★ ROMAE AETERNAE. *Templum sex columnarum pluribus statuis ornatum, in cujus medio Roma sedens.*
De Romæ templo per Severum instaurato specialis mentio apud Spartianum non habetur. Illud quidem ab eo notatur, *quod Romæ omnes ædes publicas, quæ vitio temporum labebantur, instauravit, nunquam prope suo nomine ascripto, servatis tamen ubique titulis conditorum.* Quod Spartianus subticuit, nummi loquuntur.
(1) *Hic nummus argenteus inter rariores recensendus.*

IMP. CAE. L. SEV. PERT. AVG. IMP. II. *Caput Severi laureatum.*

S. P. Q. R.

(1) In museo D. Abb. de Rothelin.

S. P. Q. R. OPTIMO PRINCIPI. *Figura equestris pacificatoris habitu.*

Statuam Severo equestrem Senatusconsulto, in ejus Trib. pot. XV. erectam supra conjecimus ex pacificatoris habitu, quo ille in equo visitur; at præter illam, jam unam ipsi, in primo ejus in Urbem ingressu, quum Imp. II. tantum esset appellatus, a Senatu decretam confirmat illa Principis Optimi epigraphe.

Hic nummus argenteus insignis elegantiæ, & raritatis est.

TR. P. III. IMP. COS. II. *Captivus humi sedens manibus junctis ante congeriem armorum.*

Barbarus ille manibus post terga revinctis cum armorum congerie, ob vastatam Arabiam, Parthosque, & Adiabenos a Severo devictos in nummo exhibetur, quum ille tunc inchoasset Trib. potestatem III. anno V. C. 948.

Hic nummus argenteus inter rariores collocandus.

* VICT. AVG. *Victoria dextrorsum gradiens, læva palmam ferens, dextra clypeo columnæ imposito scribit* AVG.

Plures Victorias Severus obtinuit. Significari in hoc nummo victoriam de Clodio Albino relatam opinor. Quum enim Albino superstite Cæsare pariter, & Augusto Severus dici non posset unus Augustus, eo victo, & occiso, Augusti nomine ipse solus gavisus est, quod proinde nomen Victoria clypeo inscribit.

(1) *Hic nummus argenteus rarus est.*

VICTORIAE AVGVSTI. *Victoria gradiens ad dextras, coronam gerit, sinistra palmam.*

Ad quam ex victoriis a Severo relatis pertineat nummus, etiamsi mole insignis sit, nulla indicat inscriptio; plurimas enim ille reportavit: de iis autem narrat Herodianus, *Clarissimus omnium Imperator bellicis operibus: neque enim aut civiles quisquam adversus inimicos, aut externas adversus barbaros totidem alius victorias reportavit.*

Hic nummus argenteus maximus inter rarissimos locandus.

VICTORIAE AVGG. *Bigæ aurigante Victoria, dextra habenas equorum, sinistra flagrum.*

(1) In museo D. Abb. de Rothelin.

Victoria in bigis cum flagro non ad Severi de hostibus victorias, sed ad præmium de bigis in agone Capitolino a Caracalla, suo & patris nomine relatum spectat: ideo in nummo *Victoriæ Augg.* Severus agonem Capitolinum anno v. c. 958. Caracalla, & Geta Coss. celebravit.

Hic nummus argenteus, & aureus rarus est.

★ *Eadem epigraphe. Severus togatus a fronte sedens in sella curuli dextra Victoriolam sustinens, coronatur a Victoria dextrorsum volitante. Infra captivus genuflexus duabus manibus elatis sustinet clypeum capiti suo impositum.*

Hæc est victoria Parthica, ob quam Severus Parthici cognomen adsumpsit. *Persarum regem*, inquit Spartianus, *Abgarum subegit*. Et Dio scribit, *Abgarum hunc non dissimili pompa in urbem venisse, ac Neronis temporibus Tiridatem*. Hunc Parthorum regem indicari puto per illum captivum supplicem, elato clypeo subjectionem suam Severo pollicentem.

(1) *Hic nummus ex argento præstantissimus, & elegantissimus est.*

VÍCTORIAE BRIT. *Victoria sinistra trophæum humeris gestat, dextra captivum trahit.*

Quum rebellassent Britanni, quorum erant duo præsertim genera, Caledonii, & Mæatæ: incolebant Mæatæ juxta murum, qui insulam in duas partes dividit, Caledonii post illos sunt, Britanniæ pars paulo minus quam dimidia, Romanorum erat; eamque vellet integram Severus in suam potestatem redigere, ad extremam illius partem Victor pervenit, teste Dione.

Hic nummus argenteus inter rariores adnumerandus.

VICT. IVST. AVG. *Victoria sedens, dextra coronam, sinistra palmam.*

Plurimos nummorum Pescennii typos imitatus est Severus, ut jam observavimus. Pescennius victoriam de cognomine Justam inscripsit; pariter Severus eam exhibuit in suis, quasi Justam de Pescennio victoriam retulerit, quum ille a Senatu, populoque Romano esset electus.

Hic nummus argenteus inter elegantiores recensetur.

IMPP.

(1) In museo D. Abb. de Rothelin.

IMPP. INVICTI PII AVGG. *Capita Severi, & Caracallæ jugata, & laureata.*

VICTORIA PARTHICA MAXIMA. *Victoria gradiens dextra coronam.*

Severus prætextu vindicandi Barsemii Atrenorum regis, qui Nigri partes foverat, exercitum in Orientem duxit, Adiabenemque ingressus, eam depopulatus est, deinde Ctesiphontem Parthorum regiam cepit, & Parthicam victoriam adeptus est: ipsi Senatus, Parthici Maximi cognomen detulit.

Hic nummus aureus inter rariores ponendus.

VICT. PARTHICAE. *Victoria gradiens, dextra coronam, sinistra trophæum: pro pedibus captivus.*

De Severo narrat Herodianus, *Fortuna magis quam consilio, Parthicam victoriam adeptus est*, quum autem de ea litteras ad Senatum, populumque Romanum dedisset, narrat idem scriptor, *Victoriasque suas publice exposuit, nihil non honorum decernere Senatu, & super his cognomina imponente devictarum gentium.*

Hic nummus argenteus rarus est.

VICTOR. SEVER. AVG. *Victoria gradiens, dextra pateram, sinistra palmam.*

Victoria de nomine *Severi* inscripta, videtur de bello civili vel contra Pescennium, vel contra Albinum relata; nam quum nomen est Imperatoris, diximus in Galba non ad P. Romanum victoriam spectare; Romanorum enim non multum intererat, quis eorum victor superfuisset.

Hic nummus argenteus rarus est.

VIRTVS AVG. *Imperator eques captivum telo impetit.*

Virtus a viro dicta est, unde sæpe peculiariter accipitur pro præstantia in re militari, quam Severus demonstrare voluit, dum in equo decurrens barbarum jaculo impetit, ac prosternit.

Hic nummus argenteus inter rariores habendus.

VIRTVS AVGVSTORVM. *Severus, Caracalla, & Geta equites currunt.*

Ut Severus suam in re militari, & Caracallæ, Getæque filiorum vir-

virtutem palam demonstraret, secum ad bellum currentes signari curavit in hoc nummo, quum omnes contra Britannos proficiscerentur.

Hic nummus aureus rarissimus est.

VOTA SVSCEPTA. *Figura velata, & altera paludata litantes, tibicine intermedio.*

Quum Augustus imperium in suas provincias decennale suscepisset, eo peracto, festum & vota, pro alio decennio ei decreta sunt; ita ut ab aliis Imperatoribus nova quasi imperii auspicia inde petita: ut autem Severus Kal. Julii anni 946. a Senatu Imperator appellatus est, decennio peracto, eodem tempore anni 956. vicennalia sunt suscepta.

Hic nummus argenteus rarissimus est.

L. SEPT. SEV. AVG. IMP. XI. PART. MAX. *Caput Severi laureatum.*

VOTIS DECENNALIBVS. *In laurea.*

Inscriptio hæc cum *votis decennalibus* in laurea, non ad illorum susceptionem pertinet, quum in anteriore nummi parte Severus dictus sit Imperator XI. sed ad eorum solutionem, nam ipsa vota suscipiebantur, finitoque imperii decennio solvebantur.

Hic nummus argenteus, & aureus inter rariores habendus.

Eadem epigraphe. Imperator togatus dextra pateram super aram.

Sacrificandi ritum docet hic nummus post finitum Imperatoris decennium, ob solutionem votorum: illo autem exacto, Severus congiaria, & annonas militibus distribuit, & populo Circenses dedit, teste Dione, *Severus autem postquam attigit decennium principatus sui congiario populo, prætorianisque dato, eis tot aureos, quot annos imperaverat, dedit.*

Hic nummus argenteus inter elegantiores habendus.

* VOT. SVSC. DEC. P. M. TR. P. X. COS. III. P. P. *Imperator velatus stans, ante aram sacra facit.*

In hoc rarissimo nummo, quem recitat Liebe in Gotha nummaria, consignatur tribunitia potestas decima Severi, qua ab Imperatore suscepta sunt vota decennalia. In simili nummo, quem recitat Occo

Occo, consignatur potestas tribunitia undecima. Ita conciliabis utramque epocham, si dixeris eodem anno v. c. 955. quo finiebat tribunitia potestas decima Severi, decimo imperii anno absoluto Kalendis Junii incœperit undecima; & vota decennalia susceperit, atque solverit, iisque solutis secunda decennalia, nempe vicennalia, ut sequens nummus ostendit, susceperit.

(1) *Hic nummus argenteus rarissimus est.*

* VOTA SVSCEPTA XX. *Imperator stans velatus, sacrificat ante aram ignitam.*

Absoluto decennio Imperii solvebantur vota, novaque suscipiebantur pro altero futuro decennio, quæ vicennalia dicebantur; iisque a Diis petebatur novus decem annorum cursus pro incolumitate Imperatoris; quem Severus absolvere non potuit defunctus Eboraci nondum completo decimo octavo anno imperii.

(2) *Hic nummus argenteus rarus est.*

ΑΥΤ. Λ. СΕΠΤ. СΕΟΥΗΡΟС. *Caput Severi.*

ΜΗΤΡΟ. ΚΑΙСΑΡ. ΝΕΩ. ΕΤ. Β. *Victoria globo imposita, dextra lauream, sinistra palmam gerit.*

Ad victoriam de Pescennio relatam anno imperii Severi secundo spectat, quum Cæsarienses Cappadociæ ejus potestati se subjecissent, ut innuit Herodianus, *Interea Severi exercitus Bithyniam, Galatiamque egressus, cum se mox in* Cappadociam *quoque incitasset.* Ipsi gratulantes Severo cum victoriæ typo nummos percusserunt. *Hic nummus argenteus rarus est, & elegans.*

Eadem epigraphe. ΕΤ. ΙΔ. *In aliis* ΕΤ. ΙΕ. *Mons Argæus cum astro in vertice.*

Cæsarienses Cappadociæ auxilium exercitui Severiano tulisse videntur, dum hiberna agerent in ea, Tauri montis munitionem a Pescennianis factam aggressuri. Quare Neocoriam iis contulit Severus, cujus memores ipsi nummos cuderunt. Mons Argæus, Cæsareæ Cappadociæ tanquam insigne ponitur.

Hic nummus argenteus rarus est.

Eadem

(1) In thesauro Fridericiano Saxengothano. (2) In museo Editoris.

Eadem epigraphe . ET. IZ. *Mulier ſeminuda inſidens monti Argæo*, *dextra ramum* .

Nummus annum 17. imperii Severi notat, quum ille in Britannia victor eſſet, quem Cæſarienſes Cappadociæ in ejus honorem cuderunt. An illa mulier ſeminuda rupibus inſidens, Britanniæ provinciæ debellatæ typus ſit: illa autem in nummis Antonini Pii ejuſmodi depingitur? An Genius urbis monti Argæo ipſius inſigni impoſitus? Videant eruditi.

Hic nummus argenteus inter rariores locandus .

Caput Severi laureatum, *ante quod ſtella*, *&* *in imo* ΔqΥ. *id eſt*, Anno 494.

ΒΑCΙΛΕΩC CΑΥΡΟΜΑΤΟΥ. *Caput Regis Sauromatis* .

Sauromatum regum æram in Trajano computari diximus ab Olymp. CXIX. anno 4. V. C. 453. reſpondente, a recuperato nempe eorum regno poſt Antigoni ducis Alexandri M. mortem; iis autem adjuncti anni in nummo ſignati 494. ſimul efficient an.v.c. 947. ſecundum vero imperii Severi, in quo ille Peſcennium devicit, cui gratulans rex Sauromates nummos percuſſit.

Hic nummus aureus raritate, *&* *elegantia præſtantiſſimus eſt* .



JU-



JULIÆ nummi ex argento vulgares, ex auro non obvii sunt.

IVLIA AVGVSTA. *Caput Juliæ.*

AETERN. AVGG. *Quadrigæ leonum cum Cybele super currum.*
Julia Caracallæ, & Getæ mater hic pro Cybele exhibetur, ut mater Deum, tanquam ejus filii in terra Dii essent: Romani enim Imperatores, quum tantum post mortem inter divos referrentur, plerique tamen, pro iis credi volebant: unde Julia pro Cybele repræsentatur, tanquam æternos procrearit filios.
Hic nummus argenteus rarissimus est.

AETERNIT. IMPERI. *Capita adversa Severi, & Caracallæ.*
Per capita Severi patris, & Caracallæ filii in nummo Juliæ matris cælata, Æternitas imperii Romani designatur, quod ex conjugio Severi, & Juliæ natus sit Caracalla jam Augustus, & Trib. potestatis cum patre consors, & sic imperium in familia Septimiorum æternum futurum sit.
Hic nummus aureus, & argenteus rarissimus est.

Eadem epigraphe. Capita Caracallæ, & Getæ.
Effigies Caracallæ, & Getæ fratrum in aversa nummi Juliæ matris parte, eam liberis procreandis, *Æternitati imperii* prospexisse denotant: præsertim quum illud post Commodi mortem diversis jactatum sit dominis, & tandem per duos filios jam Augustos, ipsa in futurum ei providerit.
Hic nummus argenteus singularis elegantiæ, & raritatis est.

ANTONINUS PIUS AUG. *Caput Caracallæ laureatum.*

Caracalla in nummis cum Julia matre licet consociatus, Pii nomen ob pietatem erga eam non tamen assumpsit, sed ut pater ejus Severus in gratiam Commodi, cujus memoriam summopere colebat, hunc titulum ambivit, Senatus patri adulans, filio in acclamationibus illum pariter tribuit.

Hic nummus argenteus elegantissimus est.

CERERI REDUCI. *Ceres sedens, dextra spicas, sinistra tædam.*

Quum sub Commodo Imperatore, ministrorum artibus annona Romæ gravis fuisset, quasi Juliæ interventu rei frumentariæ abundantia populum exhilararet, ipsi nummos, ut alteri Cereri frugum Deæ procuderunt; postquam Severus, ut narrat Spartianus; *Rei frumentariæ, quam minimam repererat, ita consuluit, ut excedens ipse vita, septem annorum canonem P. R. relinqueret.*

Hic nummus argenteus inter selectiores reponendus.

CONSECRATIO. *Pavo caudam expandens.*

Licet Caracalla a Macrino sit consecratus, Julia tamen illius mater inter deas ab illo non relata fuisse videtur, nam eam Antiochia expulerat, postquam audiisset ipsam regnum affectare, ut Semiramis altera, aut Nitocris; sed ab Elagabalo, qui Caracallæ filius, & ideo Juliæ nepos credi volebat.

Hic nummus argenteus inter insigniores reponendus.

FECUNDITAS. *Figura muliebris humi procumbens, sinistra palmitem gerit, qui & supra caput excurrit, dextram super globum extendit, circa quem quatuor puellulæ.*

Julia, ut in penultimo nummo pro Cerere exhibetur, ita in hoc, pro eadem, sub Terræ typo, quæ nihil aliud est quam Ceres, cum Fecunditatis nomine depicta prodit; nam illa, semina tanquam in utero servata, tandem fecunda reddit, per quatuor anni tempestates, quæ hic per quatuor illas puellas designantur.

Hic nummus aureus, & argenteus inter præstantiores collocandus.

★ IULIA DOMNA AUG. *Caput Juliæ.*

FORT. REDUX. *Fortuna stans capite tutulato, dextra cornucopiæ tenet, & aliud cornucopiæ sinistra.*

Titu-

Titulus Dominæ, & per ſyncopen Domnæ uni huic Juliæ tributus eſt, fortaſſis, ut Spartianus ait, *quæ id genituræ haberet, ut regi jungeretur*; reges autem dominos dicebant; eaque propter Severus illam in uxorem petiit, atque habuit. Per eam in Severi domum Fortuna reverſa eſt, eaque bino cornucopiæ prædita ad denotandam rerum omnium abundantiam duobus filiis marito partis ad ſpem, & felicitatem imperii.

(1) *Hic nummus argenteus rarus eſt.*

HILARITAS. *Figura muliebris ſtans inter duas icunculas, dextra palmam oblongam, ſiniſtra cornucopiæ.*

Jam diximus per Hilaritatem ramum palmæ oblongum gerentem, Auguſtorum fecunditatem denotari: nam teſte Artemidoro, principum liberi per palmarum ramos deſignantur; Julia autem Caracallam, & Getam in gaudium populi Romani procreaverat.

Hic nummus aureus rarior eſt argenteo.

* IVNO. *Figura muliebris velata, & ſtolata ſtans, dextra pateram, ſiniſtra haſtam; ante pedes pavo.*

Sub Junonis effigie Julia Auguſta exhibetur; quo enim major dignitas, & reverentia mulieribus Auguſtis conciliaretur, placuit illas Deabus aſſimilare, & ſub earum nomine populis repræſentare.

(2) *Hic quinarius argenteus rarus, & elegans eſt.*

LAETITIA. *Mulier ſtolata ſtans, dextra coronam, ſiniſtra temonem.*

Lætitiæ vox ut ſæpe occurrit in nummis, ita pro diverſis cauſis exhibetur; at Julia, pro ipſa Lætitia ſignatur, quod duos Auguſtos imperio Romano procreaſſet. Lætitia coronam pro ſymbolo gerit, quod in lætitia publica populus coronam geſtaret. Xiphilinus in Nerone de adventu Tiridatis, *Tota civitas ornatur luminibus, & coronis.*

Hic nummus aureus inter rariores locandus.

LVNA LVCIFERA. *Figura muliebris in bigis cum creſcente Luna in capite.*

Julia modo pro Cybele, modo pro Venere exhibetur, ſed hic pro

(1) In muſeo D. Abb. de Rothelin. (2) In muſeo Editoris.

Diana, ita ab Oppiano coetaneo authore appellatur in Cyneget. ἢ ὁ λίσπεσα Σελήνη. Ut autem Severus *Pacator Orbis* sub Solis capitis figura dicitur, sic Julia ob fecunditatem puerorum, Luna Lucifera vocatur: nam, ut ait Cicero lib. 2. de nat. Deorum Diana Lucifera in pariendo invocabatur.
Hic nummus ex argento rarus, ex auro rarissimus.

MATER AVGG. *Cybele capite turrito, sinistram crotalo imponens, dextra ramum: sedet in curru a quatuor leonibus vecta.*
Sub Cybeles effigie depingitur Julia cum epigraphe *Mater Augustorum*, quod illa Deorum, hæc Imperatorum parens esset; in curru vehitur, quia ipsa credebatur, ut ait Servius, quæ pendet in aere: leones currum trahunt, ut ostendatur, maternam pietatem omnia posse superare.
Hic nummus aureus rarior est argenteo.

MAT. AVGG. MAT. SEN. MAT. PAT. *Figura muliebris sedens, dextra ramum, sinistra hastam transversam.*
Julia magnifico insignitur titulo, nam ille tres imperii Romani ordines complectitur; Mater Magna, Faustina quidem dicta est, & Mater Castrorum; Julia Augusti, ex Dione, Mater Patriæ; sed Julia Severi, Mater Senatus dicitur; ut Commodus *Senatus Pater*, sed ridicule, erat appellatus.
Hic nummus argenteus rarus est, ex auro inter rariores.

Eadem epigraphe. Figura muliebris stolata stans cum ramo, & hasta.
Nil mirum si Julia hos splendidos a Senatu titulos habuerit, præsertim quum apud eum magnæ esset existimationis; nam Dione loquente, justa & utilia Caracallæ monebat, & ille nomen matris, & suum, cum maximis laudibus ponebat in epistolis, quas mittebat ad Senatum, dum omnes valere scriberet: addit enim Dio; *Nec opus est referre, ab hac omnes primarios viros salutari, non secus quam ab illo consuevisse.* Ut sic Senatus gratias sibi conciliaret.
Hic nummus argenteus rarior est superiore.

MATER DEVM. *Cybele sedens capite turrito inter duos leones, dextra ramum, sinistro cubito crotalo imposito cum hasta transversa.*
Non amplius Julia cum titulo *Mater Augustorum* tanquam Cybele de-

depingitur, ſed ipſa Auguſta ſub Cybeles forma cum epigraphe *Mater Deum*, exhibetur, quaſi eadem eſſet Cybele, & Julia. Ut illa autem Tellus videbatur, ideo tympanum gerebat, quo orbis terræ ſignificabatur, & per turres in capite, oppida.
Hic nummus aureus rarior eſt argenteo.

MATRI CASTRORVM. *Figura muliebris ſedens, dextra pateram, ſiniſtra haſtam tranſverſam: pro pedibus tria ſigna militaria.*
Hunc titulum *Matri Caſtrorum* jam datum Fauſtinæ juniori ex Capitolino, in gratiam M. Aurelii conjugis diximus, quem forſan Senatus etiam Juliæ conceſſit, Severo ejus marito gratulans, quod ille Marci filius haberi vellet, & ita ſe in nummis appellaret; quod nomen poſtea aliis fœminis principibus etiam datum eſt.
Hic nummus argenteus inter rariores conſtituendus.

* *Eadem epigraphe. Julia Auguſta velata ſtans, ſiniſtra acerram, dextra pateram, ſacrificat ſupra arulam ignitam, ante duo ſigna militaria.*
In hoc nummo exhibetur Julia Auguſta ſacra faciens ſignis militaribus, quaſi ac particeps ipſa conſiliorum Severi bellicis expeditionibus mariti ſuam operam commendaret, ejuſdemque victoriarum & ipſa conſors quodammodo fieret.
(1) *Hic nummus argenteus rarioribus accenſendus eſt.*

MONETA AVG. *Figura muliebris ſtolata ſtans, dextra bilancem, ſiniſtra cornucopiæ.*
Monetæ typus in nummis Juliæ Piæ indicat ſummam apud maritum auctoritatem, qui ipſi cudendæ monetæ jus concedere voluerit; viſitur & nummus Juliæ maximus cum iiſdem monetis, & epigraphe *Æquitas publica*: quod etiam in fœminis principibus ſub Elagabalo, & aliis Auguſtis obſervatur.
Hic nummus argenteus rarus eſt.

SEVERVS AVG. PART. MAX. *Caput Severi laureatum.*
Effigies Auguſtæ in Auguſti nummis exarata, eorum concordiam præſertim denotat, & ii apud Antiquarios magnæ ſunt æſtimationis, non modo ob eorum raritatem, ſed quod eos doceant conjuges

(1) In muſeo Editoris.

ges esse, ut Sall. Barbiæ imago in Alex. Severi nummo signata, & Etruscillæ cum Traj. Decio ex adverso percussa: quod prius ignorabatur.
Hic nummus argenteus inter insigniores numerandus.

VESTA MATER. *Sex figuræ sacrificantes coram templo rotundo.* Sub Commodo narrat Herodianus Vestæ templum arsisse. *Plurima*, inquit, *Urbis ædificia conflagrarunt, inter quæ etiam Vestæ templum, sic ut Palladium quoque nudum consp iceretur.* Illud restauratum fuisse videtur Juliæ munificentia, præsertim quum Palladium Vestales in aulam Imperatoris transtulissent, in cujus memoriam Vestales sacra faciunt ante templum.
Hic nummus aureus raritate, & elegantia insignis est.

* *Eadem epigraphe. Julia velata stans, sacrificans supra aram ignitam ante templum rotundum cum simulacro in vertice, & alio in aditu.* Templum hoc rotundum templum Vestæ erat, quale in nummo argenteo Neronis etiam visitur. Julia sacra facit in aditu hujus templi, ut Vestam sibi, domuique augustæ propitiam reddat.
(1) *Hic nummus argenteus inter rariores, & elegantiores adnumerandus est.*

VESTAE SANCTAE. *Figura muliebris capite velato stans, dextra pateram, læva hastam.*
Julia in superiore nummo *Vesta Mater* dicitur, in hoc autem *Vesta Sancta*, nam ut Vesta pro Terra accipitur, ideo rerum omnium Mater dicta est; at hic Vesta appellatur *Sancta*, quia Vestalis pura, & impolluta esse debebat; ideo auctore Gellio non minor annos sex, nec major quam annos decem nata.
Hic nummus argenteus rarus est.

VICT. AETERN. *Victoria gradiens ambabus manibus encarpum, ad pedes scutum.*
Victoriæ typus Augustæ dedicatur, quod Severus ad bellum usus sit ejus consilio, vel quod eum comitata sit, aut cum ea communis sit victoria; unde *Mater Castrorum* appellata est: sed de qua Severi victoria, inter tot ab eo relatas intelligendus sit, videant eruditi.
Hic nummus argenteus inter elegantiores numerandus.

IOT-

(1) In museo D. Abb. de Rothelin.

ΙΟΥΛΙΑ ΔΟΜΝΑ CΕΒΑCΤΗ. *Caput Juliæ*.

ΜΗΤΡΟΠ. ΚΑΙCΑΡ. ΕΤ. Ε. *Fortuna ſtans, dextra temonem, ſiniſtra cornucopiæ*.

Cæſarienſes Cappadociæ frequentes Severo nummos propter beneficium ab eo haud dubie acceptum ſignaverunt, quod ex frequentibus Juliæ ipſius conjugi dicatis confirmatur. In hoc Juliam ſub Fortunæ typo, pro urbis Genio, uti illa ſæpe in lib. noſtro de Coloniis exhibetur, anno Severi 5. procuderunt.

Hic nummus argenteus ex rariorum numero eſt.

ΜΗΤΡΟ ΠΟΛΕΩC ΚΑΙCΑΡ. ΕΤ. ς. *Figura muliebris ſtolata ſtans, dextra ſtolam attollens, ſiniſtra ramum*.

Mulier illa ſtolata, Venus eſt, quam ita ſæpius in nummis Romanis exaratam obſervavimus: ſed pro pomo ſolito ipſi a Mercurio dato, olivæ ramum gerit, tanquam ſit Venus pacifera: hic autem nummus poſt devictos Adiabenos, & Parthos cuſus eſt, anno ſcilicet imperii Severi ſexto, quum Romam eſſet ex Oriente reverſus.

Hic nummus argenteus inter rariores adnumerandus.

ΜΗΤΡΟ. ΚΑΙCΑΡ. ΕΤ. ς. *Mulier ſtans, dextra pallium ſupra humeros attrahit, læva Montem Argæum ſuſtinet*.

Fœmina illa, quæ montem Argæum lævâ ſuſtinet, Genius eſt urbis Cæſareæ, forſan ſub forma Juliæ: nec mirum ſi ipſi, & Severo conjugi tot procuderit nummos, quum ille Neocoram feciſſet eorum urbem: nam illi jam Metropolis titulum conceſſerat Antoninus Pius, ut ex nummis illius dignoſcitur, in quibus primum hæc dignitas inſcribitur.

Hic nummus argenteus inter ſelectiores ponendus.

ΜΗΤΡΟ. ΚΑΙCΑΡ. ΕΤ. ΙΑ. *Mons Argæus, in cujus vertice ſtella*.

De Monte Argæo in nummis Cæſarienſium Cappadociæ, ſæpe dictum eſt, cui ſubjacet urbs, prius Mazaca ſub regibus dicta, ſed poſt mortem Archelai ejus ultimi principis, in gratiam Tiberii, qui eam in provinciam Romanam redegit, Cæſarea eſt cognominata.

Hic nummus argenteus inter rariores habendus.

CA-



CARACALLÆ nummi ex auro, & argento vulgares, & obvii sunt.

IMP. ANTONINVS PIVS AVG. *Caput Caracallæ.*

ADVENTVS AVGVSTI. *Imperator eques dextram sublevans, sinistra hastam.*

Percussus est nummus in memoriam adventus Caracallæ, quando cum patre ex Oriente reversus Romam ingressus est; solus quidem ponitur, quum ipsi seorsim nummi signati sint, jam Trib. potestatem quartam, & quintam gerenti.

Hic nummus ex auro, & argento rarus est.

ADVENTVS AVGG. *Tres figuræ equestres.*

Ut æterna esset adventus Severi, & filiorum ex Oriente in Urbem memoria, diversi sunt ejus typi percussi: modo Caracalla solus, ut pater: modo cum patre, & Geta fratre, qui Cæsar renuntiatus erat, quum ille a patre dictus est Augustus, & tribunitiam potestatem accepit.

Hic nummus aureus rarissimus est.

AEQVITAS AVGG. *Imperator sedet, ex adverso figura muliebris stat cum bilance, & cornucopiæ.*

Idem Caracallæ cum Æquitate typus, qui patri Severo percussus est, dicatur; non quidem ob jus ab hoc Principe populis redditum, nam de illo narrat Dio, *Antoninus raro jus reddebat, aut nunquam.* Sed ob eandem cudendæ monetæ cum patre potestatem, cujus symbolum est Æquitas cum bilance.

Hic nummus argenteus rarissimus est.

AETER-

AETERNITAT. IMPERI. *Capita Severi, & Getæ adversa.*
Per patrem, & filios designatur Æternitas imperii Romani in familia Severi; nam per Æternitatem intelligitur, quod in ea diuturna, & multo tempore duratura sit imperii dominatio, a patre in filios, & nepotes transitura.
Hic nummus argenteus præstantissimus est.

ARCVS AVGG. *Arcus vulgo Severi dictus.*
Arcus ille est ad radices rupis Tarpejæ ex parte fori Romani erectus Severo, & Caracallæ, imo & Getæ: sed Caracalla fratris nomen auferri jussit, pro quo additum est OPTIMIS FORTISSIMISQVE PRINCIPIBVS, sed literis ex ære a Gothis sublatis, observavimus cum erudito viro Adriano Auzout fuisse in eo PVBLIO SEPTIMIO GETAE CAESARI PONTIF. quæ eædem numero sunt.
Hic nummus argenteus rarissimus est.

CONCORDIAE AETERNAE. *Capita jugata Severi, & Juliæ.*
Ut Concordia apprime in regnis necessaria est, ideo Romæ huic Deæ plurima fuere constructa templa, ad eam in populo conciliandam: sed præsertim ad illam inter regnantes designandam in eorum nummis cælata est ejus epigraphe cum elogio Æternæ, ut semper duraturæ.
Hic nummus aureus inter rariores collocatur, ex argento rarissimus est.

CONCORDIA FELIX. *Caracalla, & Plautilla dextras jungentes.*
Concordia conjugalis per dextrarum conjunctiones inter Caracallam, & Plautillam designatur; hujus matrimonii meminit Dio, *Eodem anno celebratæ sunt nuptiæ Antonini filii Severi, & Plautillæ Plautiani filiæ.*
Hic nummus argenteus rarus est, & elegans.

Eadem epigraphe. Caracalla, & Plautilla dextras jungunt, Concordia intermedia.
Concordia exoptatur Felix inter Caracallam, & Plautillam; nam ille eam odio habebat, & ut narrat Herodianus, *Parum lætus eo matrimonio, ac necessitate magis, quam voluntate impulsus, puellam ipsam pariter, & puellæ parentem pessime oderat.* Mulier intermedia Dea Concordia est.
Hic nummus aureus inter rarissimos habendus.

Eadem epigraphe. Caracalla, & Geta dextras sibi porrigentes, Julia intermedia.

Signatus videtur nummus in concordiæ inter fratres signum, nam ait Dio, *Simulabant hi mutuam inter se benevolentiam, collaudabantque se invicem, quum tamen agerent inter se contraria.* Senatus autem decreverat, ut pro concordia utriusque sacrificaretur Diis, ac præsertim Concordiæ.

Hic nummus aureus rarissimus est.

DIVO ANTONINO MAGNO. *Caput Caracallæ nudum.*

CONSECRATIO. *Aquila globo insistens.*

Caracalla a Macrino successore consecratus est, adstipulante Spartiano, *A Macrino, qui eum occiderat, timore militum, ac maxime prætorianorum, inter Deos relatus est.* Sed quum nummi semper aliquid novi exhibeant, ut Antoninus Alexandrum imitari volebat, imo se Alexandrum nominabat, per hunc Macrinum ipsi *Magni* nomen indidisse docemur.

Hic nummus argenteus eximiæ raritatis est, & elegantiæ.

COS. II. *Imperator paludatus in quadrigis, dextra extensa, sinistra scipionem gerit, in cujus summitate aquila.*

In memoriam triumphi a Caracalla acti non cusus est nummus, quum in hoc consulatu non triumphaverit, sed in monumentum processus consulatus II. cum Sept. Geta fratre initi anno Urbis conditæ 958. ideo scipionem eburneum consularis potestatis symbolum gerit; in cujus apice, aquila Romani imperii insigne est.

Hic nummus argenteus rarus est.

COS. LVDOS SAECVL. FEC. *Bacchus, & Hercules stantes cum attributis.*

Ludorum sæcularium monumentum est hic nummus; hi anno V. C. 957. sub patre ejus Severo celebrati sunt cum magnifico ludorum apparatu, ut narrat Herodianus; at quum consulatum jam tunc gessisset Caracalla, COS. dicitur, hoc autem anno designatus est iterum. Adsunt Hercules, & Bacchus, ut Dii Auspices Severi patris.

Hic nummus ex auro, & argento inter pretiosiores adnumerandus.

DESTI-

DESTINATO IMPERATORE. *Instrumenta Pontificalia.*
In Caracallæ nummis cælata sunt instrumenta pontificalia, quando designatus est Imperator, ut iis denotaretur imperio destinatus, a rerum divinarum cura illud auspicari; nam ipse a patre factus est Pontifex, Augusti exemplo apud Dionem, qui Cajo, & Lucio sacerdotia contulit, quum eos Cæsares declarasset.
Hic nummus argenteus inter rariores ponendus.

* DESTINATO IMPERAT. *Caput bovis a fronte encarpis ornatum, ad cujus dexteram apex pontificalis, & lituus, ad sinistram capeduncula.*
Caput victimæ, apex, lituus, & capeduncula signa sunt Auguratus, & Pontificatus, quibus sacerdotiis Antonino Caracallæ a patre conlatis Cæsar declarabatur, & ad Imperium destinabatur.
(1) *Hic nummus argenteus rarior est superiore.*

DI. PATRII. *Hercules, & Bacchus stantes cum attributis.*
Hercules, & Bacchus Dii Auspices, a Severo in nummis appellantur, quod eorum auspiciis, & ductu omnia susciperet; & Caracalla eos appellat patrios, quod eos Severus pater summopere coleret, quibus maximum templum ædificavit, teste Dione lib. 76.
Hic nummus aureus inter elegantiores addendus.

FELICIA TEMPORA. *Quatuor pueruli, quatuor anni tempora designantes.*
Solliciti ut plurimum erant Augusti, felicitatem suorum temporum non uno schemate exhibere: adsunt in hoc quatuor pueruli, quatuor anni tempestates designantes, ut quæque totius anni pars, felix sub eorum imperio videretur, quum omnes cujusque partis symbolum fertilitatis, & abundantiæ gestarent.
Hic nummus argenteus insignis elegantiæ, & raritatis est.

FELICITAS TEMPOR. *Figura muliebris stans, sinistra caduceum, dextram porrigit Caracallæ, læva cornucopiæ gerenti.*
Altero hoc lemmate *Temporum Felicitas* sub Caracalla designatur, ipsa Dea Felicitas, quæ posse universa transferre credebatur, Imperatoris dextram jungit, ut eum certum faciat non modo ipsum

(1) In museo Editoris.

Felicem esse futurum, sed etiam sub eo temporum Felicitatem, quum cornucopiæ suum ei in fidem præbuerit.
Hic nummus argenteus rarus, & elegans.

IMP. ET CAESAR AVG. FIL. COS. *Severus sedens inter Caracallam, & Getam.*
Severus sedet inter duos filios pro congiario distribuendo, postquam rediisset ex Oriente, nam Caracalla Consul dicitur, quod consulatum Antiochiæ cum patre suscepisset hoc anno v.c. 955. ideo cum eo in nummo nominatur. Sic enim in altero æreo sedent omnes congiarium figuris scalas ascendentibus distribuentes, cum epigraphe *Felicitas sæculi*.
Hic nummus argenteus præstantissimus est.

INDVLGENTIA AVGG. IN ITALIAM. *Figura muliebris capite turrito insidens globo, dextra cornucopiæ, sinistra sceptrum.*
Idem typus prodiit sub patre, quem alicujus rei remissionem indicare diximus, forsan vehiculationis Italiæ, quam olim huic remiserat Nerva, ut indicat insignis ejus nummus; nam in Severo narrat Spartianus, *Vehicularium munus a privatis ad fiscum traduxit*: Cujus onere Italiam sublevasse videtur.
Hic nummus argenteus insignis est raritate, & elegantia.

INVICTA VIRTVS. *Imperator paludatus equum concitans in captivum.*
Præstantia Caracallæ in re militari per Virtutem designatur: nam ille equo veloci insidet in barbaros decurrens; Virtus ejus *Invicta* dicitur, tanquam ab eo etiam ipsius victoriæ conditio devicta esset; unde *Dux Invictus* ab auctoribus dicitur.
Hic nummus ex auro, & argento inter rariores collocandus.

IOVI CONSERVATORI. *Jupiter nudus stans, dextra fulmen, læva hastam inversam: pro pedibus aquila, a tergo duo signa militaria.*
Jupiter Conservator, in Caracallæ nummis post mortem fratris cusus est, quod Jovem ab insidiis Getæ eum conservasse palam ille diceret, & duo signa militaria in eo posita sunt, quod ad Prætorianos confugerit, ut ait Spartianus, *Inde ad Prætorianos processit, & in*

in castris remansit, ubi narrat Herodianus, *Procidens humi in ædicula, gratias agebat, votis quasi pro salute susceptis.*
Hic nummus argenteus rarus est.

IOVI SOSPITATORI. *Jupiter in templo distylo togatus stans cum modio in capite.*
Jupiter Sospitator, idem est ac Servator, cui templum Severus bellis civilibus extinctis, Romæ extruxisse videtur, quum ejus icon in Caracallæ, & Getæ nummis, dum Cæsaris titulum hic adhuc gerit, repræsentetur. De Severo ait Dio, *ædificia nova extruxit, vetera restituit*; at quum templum exiguum fuisse videtur, duabus tantum columnis suffultum, ejus non meminerunt Historiæ scriptores.
Hic nummus argenteus inter rarissimos locandus.

IVLIA AVGVSTA. *Caput Juliæ.*
Pietatis filii in matrem argumentum est nummos suos cum ejus effigie copulare, nam ipsi curam libellorum, atque epistolarum utriusque generis, præter admodum necessarias commiserat, & ut Dio inquit; *nomen pariter cum suo exercitus nomen poneret adjunctis multis laudibus in epistolis, quas mittebat ad Senatum.*
Hic nummus argenteus inter præstantiores adnumerandus.

IVVENTA IMPERII. *Imperator paludatus stans, dextra globum, cui insistit Victoria, læva hastam: pro pedibus captivus.*
Caracalla, quum jam senem haberet Severum patrem, Juventa imperii dicitur, quia in ejus juventute spes magna erat; ipse enim depingitur victoriam in manibus gestans Parthis cum patre devictis, quorum captivus pro pedibus ejus, testis collocatur: unde in aliis ejus nummis *Imperii Felicitas*.
Hic nummus argenteus pro raro notatur.

LAETITIA TEMPORVM. *Navis, circa quam plurima animalia.*
Communis est hic Caracallæ cum Severo patre nummus Dionem illustrans, qui inter varia populo spectacula edita, in quibus plurimæ cæsæ fuerant bestiæ, inquit, *Earum receptaculum in Amphitheatro ædificatum erat instar navis, ut reciperet quadrigentas feras, easdem*

demque simul omnes redderet, quasi ex navi dissoluta exierunt, ex omni scilicet genere.
Hic nummus ex argento pro rarissimo reponitur: ex auro eximiæ raritatis est.

LIB. AVG. II. *Imperator togatus sedet in substructione adstante figura Liberalitatis, in imo Romanus.*
Caracallam congiaria plurima dedisse nos docent nummi: hujus epigraphe secundum exhibet, quod ab eo cum patre distributum arbitramur, quando Severus Augusti titulum ipsi contulit, de quo Spartianus, *Antoninum, qui Cæsar appellatus jam fuerat annum 13. agentem, participem imperii... Harum appellationum causa donativum militibus largissimum dedit.* Primum vero fuit, quum Cæsar vocatus est.
Hic nummus aureus inter rariores collocatur.

LIBERALITAS AVGG. VI. ET V. *Caracalla, & Geta sedentes in substructione adstante liberalitate, in imo alia figura.*
Sextum Caracallæ congiarium cum quinto Getæ conjunctum est, uno enim fratrem superabat, quum Cæsar ante eum fuisset factus; & Severus alterum ante Caracallam distribuerat, primo nempe imperii anno, quum Romam ingressus est: at quum septem Severi tantum occurrant, hoc Caracallæ sextum cum quinto Getæ, ob profectionem in Britanniam ad declarandam eorum concordiam, cusum arbitramur; nam post eorum reditum Geta unum tantum distribuit, quod fuit ipsius sextum.
Hic nummus aureus præstantissimus est [sicuti & argenteus in museo D. Abb. de Rothelin.]

LIBERALITAS AVG. VIIII. *Imperator sedens in substructione pro congiario distribuendo adsistentibus aliis figuris.*
Congiarium Antonini sextum cum quinto fratris copulatum, ob profectionem in Britanniam datum, supra diximus: Septimum etiam cum sexto Getæ post eorum ex Britannia reditum. At octavum Caracallæ post fratris cædem distributum est: denique hoc nonum ante profectionem ejus in Germaniam, ex qua Romam morte præventus non rediit.
Hic nummus aureus inter rariores addendus est.

NOBI-

★ NOBILITAS. *Figura galeata ſtans, dextra haſtam, ſiniſtra Palladium gerit.*

Commodus primus Nobilitatem in nummis ſuis inſculpi juſſit, quum ipſe nobiliſſimus eſſet omnium ante ſe Imperatorum. At Severus in Marci familiam migraſſe ſibi viſus eſt, quum Marciam a Commodo relictam in uxorem duxit, ex qua, Spartiano teſte, Caracallam extulit, quem Antoninum nuncupavit. Hac de cauſa & Caracalla Nobilitatem in ſuis nummis ſignavit.

(1) *Hic quinarius argenteus rariſſimus, & elegantiſſimus eſt.*

PACATOR ORBIS. *Caput Orientis radiatum.*

Qui Pacatoris orbis titulus Severo patri, ob pacem Parthis conceſſam, datus eſt, idem Antonino ejus filio tanquam æquale cum ipſo imperium gerenti, ob Tribun. poteſtatem illi communicatam, in hoc nummo conceditur. Caput Solis, & quidem juvenile depingitur, ut Orientis effigies: quod in illis provinciis, Romæ reſpectu, Sol oriri videatur.

Hic nummus argenteus inter rariſſimos recenſendus.

★ P. MAX. TR. P. III. *Figura muliebris ſtolata capite galeato Clypeo inſidens, dextra Victoriolam, ſiniſtra haſtæ innititur.*

Male legit Mediobarbus hanc epigraphen, PONTIFEX MAXIMVS, atque adeo injuria credidit nummos hac epigraphe ſignatos eſſe fictos, quod nonniſi Tribunitia poteſtate XIII. Severo mortuo Caracalla Pontifex maximus dictus fuerit. Legi itaque debet PARTHICVS MAXIMVS; idque non tantum in hoc nummo, verum in iis omnibus, qui cuſi ſunt ante Tribunitiam poteſtatem XIV.

(2) *Hic nummus argenteus rarus eſt.*

PONTIF. TR. P. VIIII. COS. II. *Imperator eques decurrens dextra ſubmiſſa haſtam gerit.*

Hic Imperatoris vel Auguſti in equo currentis typus, ut plurimum ejus ad bellum profectionem indicat, & quum Caracalla in ſua Trib. poteſtate IX. ad nullum profectus ſit bellum, ipſius ſtatuam bellatoris habitu erectam potius ſuſpicamur.

Hic nummus argenteus e rariorum numero eſt.

PON-

(1) In muſeo Editoris.

(2) In muſeo D. Abb. de Rothelin.

PONTIF. TR. P. X. COS. II. *Caracalla ſtans inter duos fluvios jacentes, & provinciam decumbentem.*

Ut in ſuperiore nummo ob Trib. pot. IX. in qua ad nullum profectus eſt bellum Caracalla, ejus ſtatuam equeſtrem bellatoris habitu conjecimus, pariter in hoc ob Trib. pot. X. in qua ex Oriente jam pridem redierat, pedeſtrem ejus ſtatuam tanquam Meſopotamiæ, & Armeniæ recuperatoris auſpicamur, quum ejuſmodi typus in nummis Trajani æreis occurrat.

Hic nummus argenteus pro raro recenſetur.

* *Eadem epigraphe. Caput Martis galea criſtata ornatum dextrorſum converſum.*

Quemadmodum Commodus ſub Herculis forma repræſentari malebat, Caracallam ſub Martis forma excudi voluiſſe credibile eſt. In hoc enim nummo Caracallam potius vides, quam Martem.

(1) *Hic nummus aureus de rariorum numero eſt.*

PONTIF. TR. P. XI. COS. III. *Figura velata ſacrificans adſtante tibicine, & popa cum victima.*

Initio Trib. poteſtatis XI. Caracallæ cuſus eſt nummus, poſtquam in fine menſis Martii v. c. 961. Trib. poteſtatem X. abſolviſset, ob quam vota decennalia ſolvebantur, ad quæ ſacra faciens Caracalla ut Pontifex, ſpectat.

Hic nummus ex auro, & argento rariſſimus eſt.

PONTIF. TR. P. XII. COS. III. *Imperator eques jaculo impetit captivum.*

Caracalla in Britannia erat, dum Trib. poteſtatem XII. agebat: de ipſo loquentem audiamus Herodianum, qui Getam in parte inſulæ Romanis ſubjecta Severum reliquiſse narrat, *Antonino ſecum adverſus barbaros educto.* Ideo Caracalla in equo barbarum jaculo feriens exhibetur.

Hic nummus aureus rariſſimus eſt.

PONT. TR. P. XIII. COS. III. *Imperator galeatus ſtans imponit mulieri genuflexæ coronam muralem, ille gerit ſiniſtra haſtam, & clypeum.*

Trib.

(1) In muſeo D. Apoſtoli Zeno.

Trib. poteſtatem XIII. agens Caracalla, in Britannia bellum gerebat: ille provinciæ coronam muralem profert, quod murum, qui eam ab aliis Britannis ſeparat, fortiter defenderit: nam Britannia teſte Dione muro dividebatur, *Incolunt Mæatæ juxta eum murum, qui inſulam in duas partes dividit*. Britanni nempe Romanæ poteſtati ſubjecti ex una parte, & Britanni ex altera liberi.
Hic nummus aureus rariſſimus eſt.

P. M. TR. P. XIII. COS. IIII. P. P. *Imperator paludatus adſtante ſibi milite cum labaro, ſacrum facit ante altare Æſculapii ſtantis pro foribus templi duarum columnarum, ad cujus latus ſtat Victoria cum palma*.
Frequentes cum Æſculapii ſigno nummi in Caracallæ Trib. poteſtate XVIII. cuſi, eum hoc anno ægrotaſſe ſuadent; nam, ut ait Dio, *Fuit ægra corporis valetudine, quod morbis partim evidentibus, partim occultis correptus eſſet*. Niſi quod Pergamum Caracalla hoc anno profectus, in Æſculapii templo ſacra fecerit, ut Græci frequentes ejus urbis nummi indicant.
Hic nummus aureus eximiæ raritatis, & elegantiæ eſt.

Eadem epigraphe. Caracalla paludatus ſtans pede crocodilo impoſito, dextra ſpicas a figura muliebri ipſi porrigente accipit.
Signatus eſt nummus ob Caracallæ adventum in urbem Alexandrinam, cujus meminit Dio, *Profectus eſt Alexandriam, fingens ſe magno eorum deſiderio teneri*. Urbis Genius ſpicas, provinciæ munera ipſi porrigit, nam iis plurimum abundabat. Caracalla crocodilo ejus ſymbolo pedem imponit, tanquam ad ipſius aſpectum manſueto.
Hic nummus aureus inter rariores reponendus.

Eadem epigraphe. In aliis XVIIII. *In aliis* XX. *Leo capite radiato ore fulmen*.
Quidam hunc typum ad memoriam leonis, de quo narrat Dio in Caracalla, *quod leo, qui improviſo de monte deſcenderat, pro eo pugnaſſet*. Sed hæc non videtur nummorum materia; ſimilis autem leo fulmen ore gerens exhibetur in nummis Herculei Maximiani, qui pro ſolito providentiæ, & imperii ſymbolo accipitur.
Hic nummus ex argento non obvius, ſed ex auro inter rariores reponendus.

P. M. TR. P. XVIIII. COS. IIII. P. P. *Quadrigæ decurrentes, Sole aurigante.*

Quadrigæ illæ non triumphales sunt, quia decurrunt, ergo non ad victoriam Parthicam a Caracalla relatam spectant, sed ad ejus aurigationem, de qua loquitur Herodianus, *Substitit autem post id Antoninus in Mesopotamia, studio aurigandi intentus.* Solis habitu decurrit, nam ut ait Dio, *dicebat se in agitandis curribus Solem imitari, eaque in re maxime gloriari.*

Hic nummus argenteus rarus est.

P. M. TR. P. XX. COS. IIII. P. P. *Currus a tauris vectus, in quo figura muliebris cum crescente Luna in capite.*

Ut in superiore nummo Caracalla sub Solis habitu in quadrigis tanquam domitor Orientis exhibetur, ita Julia ejus mater in taurorum bigis comparatur Lunæ, tanquam illa esset altera Diana, ut Oppianus eam jam appellavit in Cyneget. lib. I. At in boum bigis Diana vehitur propter Lunæ cornua, vel quod taurus cælestis sit Lunæ ascensus.

Hic nummus aureus rarior est argenteo.

ANTONINVS PIVS AVG. *Caput Antonini laureatum.*

PROF. PONTIF. TR. P. XI. COS. III. *Imperator eques dextram elevans, sinistra hastam, pro pedibus captivus.*

Profectionem Caracallæ in Britanniam denotat, nam ille tribunitiam potestatem XI. in fine Martii hujus anni 961. ingressus erat, Severus pater bellum hoc meditans, Consulem eum cum fratre Geta hoc anno fecit, ut ipsi antiquo more, ad belli munia tanquam Consules proficiscerentur.

Hic nummus argenteus rarus est.

ANTONINVS PIVS AVG. BRIT. *Caput Antonini laureatum.*

PROFECTIO AVG. *Figura paludata gradiens, dextra hastam, subsequente milite signum militare gestante.*

Nomen Britannici, quod gerit Caracalla, ob victorias in Britannia ab eo relatas, profectionem indicat, quam ille anno 962. iniit; at quum illa non contra barbaros suscepta esset, sed teste Herodiano, *ut milites ordinaret, & provincias inviseret.* Ideo prætorianus signum gerit militare, & ipse pedes incedit, non ut mos est in bel-

bello, nam in equo currentes depingi ſolebant.
Hic nummus argenteus rarus eſt, & elegans, alter cum ſola figura, obvius eſt.

ANTONINVS AVGVSTVS. *Caput Antonini laureatum.*
P. SEPT. GETA CAES. PONT. *Caput Getæ ſine corona.*
Percuſſus eſt nummus ſub Severo patre, quum Caracallam appellavit Auguſtum, & Getam fecit Cæſarem: de his narrat Spartianus, *Ob hoc etiam filium ejus Baſſianum Antoninum, qui Cæſar appellatus jam fuerat, annum 13. agentem, participem imperii dixerunt milites, Getam quoque minorem filium Cæſarem dixerunt.* Qua de cauſa tertium Severus dedit congiarium.
Hic nummus argenteus eximiæ raritatis eſt, & elegantiæ [aureus longe rarior, & elegantior apud D. Apoſtolum Zeno.]

RECTOR ORBIS. *Figura virilis nuda ſtans, dextra globum, læva haſtam gerit.*
Nulla eſt certior principis effigies, quam periti gubernatoris, ut refert Plato in Politico: Ideo Did. Julianus in nummis globum gerit, & *Rector Orbis* perhibetur, ſed toga ornatus eſt, quaſi bonis legibus eum gubernaturus: Severus vero, ut & Caracalla, adinſtar Jovis, nudi ſunt, tanquam ope divina, eum moderantes.
Hic nummus argenteus obvius eſt, ex auro inter rariores adſcribitur, ſed cum epigraphe RECTORI ORBIS *ex argento præclarus eſt.*

SAL. GEN. HVM. *Figura muliebris ſtans, dextra figuram paludatam procumbentem ſublevat, ſiniſtra baculum ſerpente involutum gerit.*
Ægra quidem corporis valetudine erat Caracalla, ut teſtatur Dio: ſed narrat Herodianus, *Quum multa contra homines, & contra jura civitatum feciſſet, morbo implicitus graviter laboravit.* Porro quaſi Salus generis humani ab eo dependeret, Hygia ſanitatis Dea illum procumbentem in genua, manu ſublevans exhibetur.
Hic nummus argenteus rarus eſt.

ANTONINVS AVGVSTVS. *Caput Caracallæ laureatum.*
SEVERI PII AVG. FIL. *Imperator paludatus ſtans, dextra Victoriam globo impoſitam, ſiniſtra haſtam; pro pedibus captivus.*

 Per-

Percussus est nummus, quum Caracalla in fine Martii anni V.C. 951. dictus est, a patre *Augustus*, postquam fratrem ejus Getam Nonis ejusdem mensis Cæsarem appellasset; hocque anno Severus relicto Pertinacis nomine amicorum querimonia, *Pius* est cognominatus. *Hic nummus ex argento, & auro rarus est.*

★ VICTORIAE AVGG. *Victoria in biga flagro sollicitans equos.* Ob quam victoriam cusus fuerit hic nummus, incertum: credibile est ob victoriæ de Parthis relatam. Quum enim Victoria non Augusti dicatur, sed Augustorum; videtur illa, ob quam Severus, ut inquit Spartianus, *Parthicum nomen meruit: ob hoc etiam filium ejus Bassianum Antoninum, qui Cæsar appellatus jam fuerat, annum decimum tertium agentem, participem Imperii dixerunt milites.* (1) *Hic nummus argenteus de rariorum numero est.*

VIC. PART. P. M. TR. P. XX. COS. IIII. P. P. *Imperator paludatus stans dextra globum, sinistra scipionem, ad pedes captivus: coronatur a Victoria palmam sinistra gerente.* Caracalla Parthis sub spem matrimonii cum Artabani regis filia in colloquium accitis, imparatos fraude aggressus est, & plurimos interfecit, deditque ad Senatum de victoria literas: Patres, ut ait Herodianus, *metu atque assentatione cunctos illi honores Victoriæ decernunt.* Percussi sunt ideo nummi cum Victoriæ signo. *Hic nummus argenteus inter rariores numeratur.*

VICT. PART. *Trophæum, ad cujus imum duo captivi, ex adverso Victoria sedens, utraque manu clypeum, in quo* VOT. XX. Quum Tribunitiam potestatem XX. attigisset Antoninus, vota decennalia pro ejus salute soluta sunt, ut indicat nummus, nam primam ille Trib. potestatem acceperat anno V. C. 951. in fine Martii, & occisus est 8. Aprilis 970. quum ille pararet pugnam cum Parthis inire, de quibus trophæum in nummo adpositum est, quasi justo eos prælio superasset. *Hic nummus aureus rarus est.*

VIRTVS AVGG. *Imperator paludatus stans inter duas figuras fluvii procumbentes, & provinciam lugentem, dextra hastam, læva para-*

zo-

(1) In museo Editoris.

zonium gerit, ut in typo Trajani æreo cum epigraphe ARMENIA ET MESOPOTAMIA *&c.*

Armenias amiserat Nero, rege iis Tiridate a Parthis imposito. Trajanus eas recuperavit, provinciasque fecit Romanas, addita iis Mesopotamia, unde ipsi cusus insignis ille nummus: sed hanc Parthis cessit Hadrianus: eam recepit sub M. Aurelio L. Verus, quæ iterum amissa est sub Commodo, sed Caracalla cum patre se eam P. Romano virtute sua restituisse gloriatur.

Hic nummus argenteus rarior est altero, in quo sola epigraphe PONTIF. *&c.*

IMP. ANTONIN. ET GETA CAES. *Capita adversa Caracallæ, & Getæ, alterum laureatum, alterum vero nudum.*

VIRTVS AVGG. *Virtus sedens, dextra Victoriam, sinistra clypeo innixa parazonium gerit.*

Virtus etiamsi in aversa fratrum nummi parte inscripta, ad Getam non spectat, nam ille tantum Cæsar, Augusti nomen habere nequit, sed de Severo, & Caracalla est intelligenda, quorum Virtute contra Parthos victoria relata est; illa sedet, tanquam in patre, & in filio stabilis, & ut ait Claudianus, *immotaque cunctis casibus.*

Hic nummus argenteus eximiæ raritatis, & elegantiæ est.

VOTA SOLVT. DEC. COS. III. *Imperator sacrificans adsistentibus tibicine, & popa, cum victima.*

Anno V. C. 961. Caracalla decennium Trib. potestatis, & communicati a patre imperii finiit, ideo sacra diis faciens, illa solvit: cujus rei memoriam in nummis relinquere posteris voluit. Hoc autem anno consulatum III. iniit cum fratre Geta II.

Hic nummus argenteus rarissimus est.

AT. KAI. M. ATPHA. ANTΩNINOC. *Caput Caracallæ.*

MHTPOΠO. KAICAPEIA ET. IB. *Caracalla togatus insidens monti Argæo dextra globum, sinistra femori adplicita.*

Anno Tribunitiæ potestatis duodecimæ Antonini percussus hic a Cæsariensibus Cappadociæ nummus, quum tunc in Britannia esset cum patre Severo: in eo repræsentatur ut Genius urbis insidens monti Argæo, cui credebatur ab iis deum præesse; togatus quidem ut familiaris, & non paludatus tanquam bella gerens.

Hic nummus argenteus inter rariores computandus.

Ea-

Eadem epigraphe. ET. IϚ. *Mons Argæus, diversi sunt anni.*
Frequentes sunt Cæsariensium Cappadociæ nummi Caracallæ signati, & si mihi conjicere liceat, quotannis: nam ipsi maxime ejus familiæ studiosi erant, quod pater Severus eis Neocoriam, & alia beneficia contulisset. Mons Argæus, solemne est Cæsariensium insigne. *Hic nummus argenteus rarus est.*

ΜΗΤΡΟ. ΚΑΙCΑΡΙ ΝΕΩΚ. ΕΤ ΙΖ. *Apollo seminudus muliebri habitus insidens Monti Argæo, dextra ramum lauri.*
Cæsareæ Cappadociæ Apollinem fuisse cultum nos docet hic nummus, forsan ejus templum erat ad radices ejus montis extructum, & quidem distylum, quod in nummo maximo Macrini, & Diadumeniani simul junctorum observamus. Apollo laurum tenet, quod hæc arbor illi sacra sit.
Hic nummus argenteus inter rariores.

ΤΥΧΗ ΤΑΡΣΟΥ ΜΗΤ. Γ. Β. *Mulier insidens rupibus, ad pedes fluvius.*
Tarsus Ciliciæ metropolis Pescennii quidem partes sequuta est, sed post primam Severi victoriam, mox ei adhæsit, & pro beneficiis a patre, & filio acceptis, Severianam, & Antoninianam se nominavit, ut ærei frequentes illius nummi nos edocent; quare non mirum est, si in hoc, Caracalla *Tarsi Fortuna* appelletur. Mulier, Genius est urbis. Fluvius vero, Cydnus est, qui eam transmittit. Literæ Γ. Ε. idest γνώμη βȣλῆς Senatus decreto.
Hic nummus argenteus inter rariores computandus.

ΚΟΙΝΟΒΟΥΛΙΟΝ ΕΛΕΥΘ. ΤΑΡC. *idest* Senatus liberæ Tarsi. *Figura sedens conjicit suffragii tesseram in vas.*
Nummi typum recte explicuit Eques Patinus pag. 310. mutilam porro vulgavit ejus epigraphen, quam quum supplere ex Minerva sua potius quam ex nummi lectione se jactat Harduinus fol. 485. per ΚΟΛ. ΑΝΤΟΝ. *Coloniæ Antoninianæ*, æque risum præbet Antiquariis, ac dum superiores literas Γ. Β. interpretatus est *anno secundo* pro γνώμη βȣλῆς *Senatus decreto.* Quum autem Caracalla Tarsum Liberam pronuntiasset, uti eam olim a M.Antonio apud Appianum,& ab Augusto ex Chrysostomo legimus,in nummis decretum sui Senatus deinceps adposuit exprimendo libertatem Κοινοβȣ́λιον per suffragiorum vota. Hesychius Senatores κοινοβȣ́λας appellat. *Hic nummus ex modulo maximo eximiæ raritatis est.*

PLAU-



PLAUTILLÆ nummi ex argento obvii, ex auro inter rariores numerandi.

PLAVTILLA AVGVSTA. *Caput Plautillæ.*
ANTONINVS PIVS AVG. *Caput Caracallæ laureatum.*
Plautilla Plautiani præfecti prætorii filia a Severo patre Caracallæ filio in uxorem data est, quod parens ejus Severi esset municeps, atque ut quidam putant, etiam consanguinitate propinquus, teste Herodiano: ideo maritus, & uxor hinc & inde in eodem nummo cælantur.
Hic nummus argenteus eximiæ raritatis est.

PLAVTILLAE AVGVSTAE. *Caput Plautillæ.*
ANTON. P. AVG. PONT. TR. P. V. COS. *Caput Caracallæ laureatum.*
Tempus, quo celebratæ sunt Caracallæ cum Plautilla nuptiæ, indicat nummus, nempe quum is in consulatu primo ex Oriente cum patre redux, ageret tribunitiam potestatem v. Non autem per consulatus anni Imperatorum denotantur, sed tribunitia potestas eos recte assignat, quotannis enim eodem die, quo primum accepta fuerat, numerabatur.
Hic nummus aureus rarissimus est.

* CONCORDIA AVGG. *Mulier sedens, dextra pateram, læva duplex cornucopiæ.*
Per hunc typum videtur innui concordia stabilis, & firma inter Plau-

Plautillam, & Caracallam. Severus enim primum iratus Plautiano, deinde eidem reconciliatus ejus filiam Plautillam quum uxorem dedisset Caracallæ, optabat, ut conjugium illud, quemadmodum & reconciliatio, rata, & firma in longum tempus durarent.

(1) *Hic nummus aureus rarissimus est.*

CONCORDIAE AETERNAE. *Duæ figuræ dextras sibi jungentes.* Caracalla, & Plautilla simul matrimonio juncti, dextras sibi porrigunt in concordiæ conjugalis signum: qui mos ex Persis dimanasse videtur, quum ea res apud eos pro firmissima fide haberetur, ut narrat Diodorus in Historia Philippi.

Hic nummus aureus inter rariores recensendus.

CONCORDIA FELIX. *Caracalla, & Plautilla dextras sibi porrigentes.*

Iterum Caracalla, & Plautilla pro concordiæ conjugalis signo dextras sibi jungunt; quo argumento fidem dextris tutandam, & sacratam esse significabant, quod & dextra dextræ juncta denarium numerum efficit, qui sacratissimus, & perfectissimus sit, ut refert Lilius Gyraldus. Nam ut felices essent nuptiæ, maxime omnia observabant.

Hic nummus argenteus rarus est.

PROPAGO IMPERI. *Idem typus.*

Quum matrimonium, liberum quærendorum causa fiat, & dictum sit matrimonium a matris nomine: quia ideo nubunt fœminæ, ut matres aliquando fiant, hinc fausto omine connubium in hoc nummo dicitur *Propago imperii*, quod summopere optabat Severus, ut in nummis filiorum *Æternitas imperii* demonstrat.

Hic nummus aureus rarior est argenteo.

GE-

(1) In thesauro Saxengothano.



GETÆ nummi ex argento obvii, ex auro inter rariores collocandi.

P. SEPTIM. GETA CAESAR. *In aliis* IMP. *&c. Caput Getæ laureatum.*

ADVENTVS AVG. *Imperator eques.*

Adventus in Geta, quando nummus Cæſaris nomen præfert, illius ex Oriente cum patre, & fratre in Urbem reditum poſt Peſcennii mortem indicat; ſed quum Imperator in eo appellatur, ejus in Urbem ex Britannia adventum, poſt Severi patris mortem denotat.

Hic nummus argenteus inter præſtantiores adſcribendus.

AETERNIT. IMPERI. *Capita Severi, & Caracallæ adverſa.*

Per æternitatem imperii in nummis Getæ cum patris, & fratris imaginibus, in familia Severi imperium immortale futurum deſignare voluerunt, quaſi per filiorum propagationem, imperii æternitati ille providerit.

Hic nummus argenteus rariſſimus eſt.

CASTOR. *Figura virilis capiſtro equum retinens.*

In memoriam ludorum Circenſium ſub Severo actorum, Caſtor in Getæ nummo cum equo percuſsus eſt: in iis enim cucurriſse videtur Geta, & Caſtor iis ludis præerat; nam Iſidorus lib. 10. agens de ludis Circenſibus, *Itaque*, inquit, *Caſtori, & Polluci deputantur hæ ludorum ſpecies.* Caſtori a Mercurio diſtributum equum ajunt: Homerus vero eum equum primum domuiſse refert.

Hic nummus argenteus rarus eſt, ex auro inter rariſſimos locandus.

* COS. *Quadrigæ, aurigante Geta, dextra extensa, sinistra scipionem.* Hunc eumdem typum exhibet alius nummus, signatus consulatum secundum ineunte Geta. Hic signatus est primo ejusdem consulatu, quem anno V. C. 958. una cum Caracalla consule II. gessit. Quadriga processus consularis pompam significat.
(1) *Hic nummus argenteus rarissimus est.*

FELICIA TEMPORA. *Quatuor pueruli quatuor anni tempora designantes.*
Felix indicatur Severi imperium per felicia tempora in nummo Getæ inscripta, sub quatuor puerulorum figuris quatuor anni tempestates designantibus: primus Ver cum calatho florum refert: alter Æstatem per falcem messorium, quam utraque manu gestat: tertius dextra leporem, læva calathum fructuum plenum, Autumnum designat: quartus vestitus hyemem per pedicam, & avem captam denotat.
Hic nummus argenteus eximiæ raritatis est.

FELICITAS TEMPOR. *Figura muliebris stans, sinistra caduceum gerens, dextram porrigit Getæ, læva cornucopiæ gestanti.*
Felicitas temporum sub Severo per Deam Felicitatem, & Getam Cæsarem dextras jungentes exprimitur; illa autem caduceum, pacis insigne gerit: hic vero cornucopiæ, symbolum abundantiæ: sic Felicitas populorum per pacem, & abundantiam designatur.
Hic nummus aureus rarior est argenteo.

FID. EXERC. TR. P. III. COS. II. *Figura muliebris velata, dextra pateram, læva signum militare, stat inter duo alia.*
Geta Trib. potestatem Non. Martii anno 961. a patre paulo antequam Roma egrederetur pro profectione Britannica, accepit; eo autem mortuo frater, & ipse pacem cum Britanniæ barbaris A. D. Non Febr. 969. fecere, tunc Geta tertiam absolvebat Trib. potestatem; at quum Caracalla, uti se unum Imperatorem declararent milites, adhortaretur, iis persuadere id non potuit, teste Herodiano: inde in nummo *Fides Exercitus.*
Hic nummus argenteus rarus est.

IOVI

(1) Apud Franciscum Palatium.

IOVI SOSPITATORI. *Jupiter stans in templo duarum columnarum.* Ut in patris, & fratris numismatibus, Jovis Sospitatoris templum est cælatum, ita in Geta illud exhibetur, quod Severus extinctis bellis civilibus extruxisse videtur. De illo altum est apud Historicos ejus sæculi silentium: inde nummi certa sunt Historiæ supplementa. Sospitator idem est ac Servator: ita dictus, quod Jupiter Severum a tot periculis servaverit.
Hic nummus argenteus inter rarissimos ponendus.

IVLIA AVGVSTA. *Caput Juliæ.*
Caput Juliæ non ideo in Getæ nummis signatur, tanquam ejus mater esset, & non Caracallæ, nam & ipsa in Caracallæ parte aversa etiam occurrit: utriusque Caracallæ, & Getæ parens erat Julia; sed plurimi ad concordiam in familia Severi indicandam percussi sunt, ut Geta cum Severo patre, modo cum fratre, modo cum matre.
Hic nummus argenteus rarissimus est.

LIB. AVGG. VI. ET V. *Duo Imperatores sedentes in suggestu, adstat Liberalitas a dextris; in imo figura ad gradus substructionis.*
Hoc liberalitatis Caracallæ, & Getæ monumentum, in hujus nummis vivo adhuc patre antequam ad bellum Britannicum cum ipsis proficisceretur, editum est, ad concordiam inter fratres denotandam: Sexta autem Caracallæ liberalitas cum quinta Getæ copulatur, quam pro titulo Cæsaris, ob ætatem accepit ante fratrem.
Hic nummus aureus præstantissimus est.

LIBERALITAS AVG. VI. *Figura muliebris stans, dextra tesseram, sinistra cornucopiæ.*
Sexta illa Getæ liberalitas ultima est, quam populo distribuit, quum ille Romam ex Britannia post patris Severi mortem reversus est, sed paulo post in gremio matris a fratre occisus est: minime autem concordes esse potuerunt; de Geta inquit Herodianus, *Major pars ad Getam spectabat, quod speciem quandam probitatis præ se ferret.*
Hic nummus argenteus rarus, & elegans est.

L. SEPT. SEV. AVG. IMP. XI. PART. MAX. *Caput Severi.*
Videtur cusus Getæ vultus in aversa patris nummi parte, quum ille

conful factus eft, cum Antonino Caracalla fratre anno v. c. 958. qui honos maximæ dignitatis fymbolum erat, hoc etiam tempore titulus Imp. XI. Severo conveniebat; nam eum obtinuerat in Parthica Victoria: unde in nummo *Parthicus Maximus* cognominatur. *Hic nummus argenteus rariffimus eft.*

M. AVRELIVS ANTON. AVG. *Caput Caracallæ fine laurea.* Signati funt frequentes nummi fub Severo patre cum vultibus filiorum, hic Caracalla cum Geta, ad denotandam eorum concordiam: nam ut ait Herodianus de Severo, *Ipfe liberos femper ad amicitiam adducere conabatur, adhortanfque ad concordiam, & confenfum, fabulas antiquas, & tragœdias in memoriam revocabat.* *Hic nummus argenteus rarior eft aureo.*

MINERV. SANCT. *Minerva galeata, clypeo dextra impofita, finiftra haftam gerens.* Sanctum pro propitio veteres pofuiffe docemur. Tibullus de Junone, *At tu fancta fave*; & Catullus de Venere, *Quem neque fancta Venus.* Minerva autem artium dea perhibetur, & Geta tefte Herodiano, *Difciplinarum laude celebres circa fe frequentes habebat*; a Julia matre edoctus, quæ cum Philofophis quotidie philofophabatur. *Hic nummus argenteus pro raro habetur, ex auro præftantior eft.*

MARTI VICTORI. *Mars galeatus, dextra haftam, humeris trophæum.* Mars a Romanis maxime cultus eft, quum ab illis Romuli conditoris parens exiftimaretur, duoque templa illi extruxerunt: alterum in Urbe ad illam cuftodiendam fub nomine Quirini, alterum in via Appia extra Urbem prope portam, fub nomime Gradivi; ille autem hafta ornatus, & trophæum gerens depingitur ut Victor. *Hic nummus argenteus rarus eft.*

* NOBILITAS. *Figura muliebris ftans, finiftra palladium, dextra haftam gerit.* Et Geta, quem licet *minorem filium Severus Antoninum vocari juffit*, ut Spartianus refert, eadem nobilitate, qua Caracalla, gloriatus eft. Hanc in fuis nummis fculptam voluit. Eft porro animad-ver-

vertendum in Severo, Caracalla, & Geta eosdem fere typos occurrere.

(1) *Hic quinarius argenteus rarus est.*

PRINC. IVVENT. *Figura paludata stans, dextra pilum, pone trophaeum.*

Geta Severi filius natu minor, Princeps juventutis a patre ut & Caracalla frater declaratus est, ex instituto nempe Augusti, qui hoc titulo ad Cajum, & Lucium adoptione filios, imperium transferri significavit. Trophæum ad patris victorias spectat, quasi jam ille earum particeps.

Hic nummus argenteus frequens, aureus inter rariores habendus.

Eadem epigraphe. Tres equites decurrentes.

In memoriam Trojæ ludi, in quo Geta ut Princeps juventutis præfuit; celebrabatur ille in Circo a majoribus, & minoribus pueris claræ stirpis, qui turmatim discurrebant: hi vero fuerunt in Italiam ab Ascanio Æneæ filio primum translati, de quibus Virgil. lib. 5. Æneid.

Incedunt pueri, pariterque ante ora parentum
Frænatis lucent in equis.

Hic nummus aureus rarissimus, & præstantissimus est.

* PONTIFEX COS. *Caput Palladis galeatum.*

Caput Palladis (aversa nummi parte Getæ caput referente) symbolumne est literarii studii, cui incumbebat Geta, juxta Spartianum, *fuit in literis assequendis & tenax veterum scriptorum, & paternarum etiam sententiarum memor?* an vero bellicæ virtutis, cujus specimen ediderit in obtinenda de Britannis victoria, ob quam *Britannici* cognomen assequutus fuerat?

(2) *Hic nummus argenteus præstantissimus est, & singularis.*

PONTIF. COS. II. *Severus in substructione sedens in medio Caracallæ, & Getæ.*

Pontifex dicitur Geta quasi candidatus imperii, nam Cæsares in collegia Pontificum adscribebantur. Consul II. appellatur, quando con-

(1) In museo Editoris.

(2) In museo olim P. Francisci Minii.

consulatum iterum anno 961. cum Caracalla fratre gessit, paulo antequam Trib. potestatem a patre accepisset, nam Cæsar adhuc appellatur. In substructione sedet cum Severo, & Caracalla pro congiario ob id distribuendo.
Hic nummus argenteus rarissimus est.

Eadem epigraphe. Quadrigæ triumphales aurigante Geta.
Ad Processum consulatus II. & non ad triumphum referendæ sunt quadrigæ; Geta enim nunquam triumphavit, ita quadrijugo vehitur curru ob primum consulatum in nummis, cum hac inscriptione COS. Quadrigæ erant consulis procedentis solemnis pompæ insigne, quale videre est apud Spanhemium pag. 705. & apud Norisium dissert. I. fol. 19.
Hic nummus argenteus rarissimus est.

Eadem epigraphe. In aliis PONTIF. TR. P. COS. II. *Imperator eques prosternens captivum.*
Geta modo cum Cæsaris nomine, modo cum Imperatoris titulo, sed semper COS. II. appellatus, contra barbarum decurrens depingitur: horum nummus alter dum consulatum II. cum fratre anno 961. iniit, signatus est: alter postquam Trib. potestatem Non. Martii ejusdem anni a Patre accepit, ad bellum Britannicum profecturus.
Hic nummus argenteus rarus est.

RESTITVTORI VRBIS. *Severus paludatus stans sacra facit super aram, læva hastam.*
Ad Severum patrem pertinet hic typus, qui honoris causa, aut monetariorum incuria in Getæ nummis occurrit; frequens in Severo. An is hunc titulum meruerit ex Dione, de quo ait, *Ædificia nova extruxit, vetera restituit*: An potius adulatorie, qui Pacator Orbis, & Fundator Pacis in aliis nummis inscribitur?
Hic nummus inter rariores numerandus.

ROMAE AETERNAE. *Roma galeata sedens in aditu templi sex columnarum, & pluribus statuis exornati.*
Si mihi conjecturæ locus ex suprascriptis Dionis verbis de Severo *Ædificia nova extruxit, vetera restituit*, Templum illud Romæ Æter-

Æternæ, quod in æreis Antonini Pii nummis obſervatur, ab eo plurimis ſtatuis adornatum exiſtimarem reſtauratum. An vero ab Antonino Pio, & in quarta Urbis regione extructum fuerit, videant eruditi.
Hic nummus argenteus elegantia, & raritate præſtantiſſimus eſt. .

TEMPOR. FELICITAS. *In corona laurea.*
Frequens eſt, & ut plurimum adulatoria ſub Auguſtorum imperio epigraphe, qua populos felicitate ſuorum temporum gloriari volebant, quaſi iis annona frequens, & rerum omnium abundantia; hæc vero temporum Felicitas in laurea inſcripta, illam Severi victoriis partam denotat.
Hic nummus argenteus inter rariores collocandus.

VOTA PVBLICA. *Duæ figuræ togatæ, & velatæ ſacrificantes tertia intermedia, adſtans camillus, & tibicen.*
Geta tanquam Pontifex ſacra facit, velatus quidem ut in urbe, pro votis ſolutis decennalibus, aut ſuſceptis pro patre vicennalibus, nam in nummo Cæſar adhuc nuncupatur. Camillus puer ingenuus ad ſacrificium miniſtrat. Tibicines tibias inflantes ſacris populi Romani intereſse ſolebant.
Hic nummus argenteus inter præſtantiores habendus.

A. CEΠTI. ΓΕΤΑC ΚΑΙ. *Caput Getæ.*
ΜΗΤΡΟ. ΚΑΙCΑΡΙΑ ΝΕΩ. ΕΤ. Γ. *In aliis* ϛ. *In aliis* Ι. ϛ. *Mons Argæus, in vertice aſtrum.*
Frequenter occurrunt Cæſarienſium Cappadociæ nummi Severo, Juliæ, Antonino, & Getæ percuſſi, ob beneficia Severi in eos collata, quum ii partibus Peſcennii relictis, inter primos ipſi adhæſerint, & ob id facta eſt eorum urbs a Severo Νεωκόρος, de quo plura in libro, quem de nummis Imperialibus Græcis mox edituri ſumus.
Hic nummus aureus inter rariores habendus.

MA-



MACRINI nummi ex argento obvii, ex auro inter rariores constituendi sunt.

IMP. C. M. OPEL. SEV. MACRINVS AVG. *Caput Macrini laureatum.*

ANNONA. *Figura muliebris sedens, dextra spicas, læva cornucopiæ.*

Macrinus, post occisum Caracallam, delatum sibi a militibus imperium literis docet Senatum, de quo Herodianus, *Lecta epistola, conclamatum a Senatu universo, nullique non honores Augustorum Macrino decreti.* Mox ille Annonam procuravit,ut sibi imperium stabiliret, in cujus rei memoriam cusus est nummus.

Hic nummus aureus rarus est: argenteus obvius.

FELICITAS TEMPORVM. *Figura muliebris stans, dextra caduceum, sinistra cornucopiæ.*

Nil mirum si Felicitas Temporum sub Macrino commendetur, nam ait Herodianus, *Neque vero tantopere gaudebant omnes Macrini successione, quantopere exultabant, festamque lætitiam universi agitabant, quod Antonino liberati essent.* Nam pro tyranno Romæ habebatur, a militibus, quos ditabat, solum adamatus.

Hic nummus aureus rarus est: argenteus frequens.

FIDES MILITVM. *Figura muliebris stolata stans, utraque manu signum militare.*

Extincto Caracalla, incerti quid agerent milites, siquidem adventare

tare Parthi nunciabantur, primo Audentium pro Imperatore, sed illo senectutem excusante, deinde Macrinum deligunt, de quo Herodianus; *Suscepit autem Macrinus imperium benevolentia, quam Fide Militum fretus &c.* Qua de causa stat Concordia ambabus manibus signa militaria tenens.

Hic nummus aureus rarus est, argenteus vulgaris.

IOVI CONSERVATORI. *Jupiter nudus stans, dextra fulmen.*

Quum Macrinus Romanos contra Parthos eduxisset, cruentum inter eos initum est prælium, referente Herodiano, *Uno igitur, alteroque die a mane ad vesperam pugnatum*; & addit, *Tanta autem virorum, jumentorumque multitudo cecidit, ut omnis compleretur campus*: ideo Jovi Conservatori sacra facta sunt, qui Augustum servaverit.

Hic nummus aureus inter rariores computandus: argenteus tritus est.

LIBERALITAS AVG. *Figura muliebris stolata stans, dextra tesseram frumentariam, læva cornucopiæ.*

Macrinus ut populi Romani gratiam sibi conciliaret, cui a Caracalla liberalitates sæpe datas sciret, congiarium ipse distribui jussit; aliudque promisit, quod filius ejus Antonini nomen accepisset, ut innuit Capitolinus, *Vellem, Quirites, jam præsentes essemus. Antoninus vester vobis congiarium sui nominis daret.*

Hic nummus argenteus rarus est.

PONTIF. MAX. TR. P. II. COS. II. P. P. *Quadrigæ triumphales aurigante Imperatore, a Victoria coronato.*

Ut in Geta quadrigas non ad ipsius triumphum spectare diximus, sed ad pompam processus ipsius consulatus, sic istæ, in quibus Macrinus a Victoria coronatus spectatur, ad processum ipsius consulatus II. quem iniit Kal. Maii cum Diadumeniano Filio. Vide Erud. Norisii dissert. I. fol. 19.

Hic nummus aureus præstantissimus est, sed argenteus eximiæ raritatis est.

SALVS PVBLICA. *Figura muliebris stans, pascit serpentem.*

Fœmina sedens, quæ serpentem pascit, Hygia Æsculapii filia est, & vota pro Macrini salute facta fuisse arguit; an propter ejus ægritudinem? an in salutis augurium, apud Romanos olim celebratum,

quod intermissum, Augustum renovasse legimus apud Suetonium? Porro Salutem publicam in Principis conservatione consistere indicat nummus.
Hic nummus aureus rarus est, ex argento obvius.

VICTORIA PARTHICA. *Victoria gradiens, dextra coronam, sinistra lauream.*
In memoriam Victoriæ, quam contra Parthos post Caracallæ necem, retulit Macrinus: de illo autem refert Capitolinus, *Pugnavit tamen, & contra Parthos, & contra Armenios, & contra Arabas, quos Eudemones vocant, non minus fortiter, quam feliciter.* Unde Victoria coronam, & palmam victoris insignia gerit; illa graditur tanquam ad alias properans.
Hic nummus argenteus inter rariores adscribendus.

VICT. PART. P. M. TR. P. II. COS. II. P. P. *Victoria gradiens, præ manibus clypeum.*
Victoria sedet tanquam firma, indicans hac de causa, pacem fuisse cum Artabano Parthorum rege factam, uti narrat Herodianus, *Fœdus cum Macrino ferit, atque in proprias sedes revertitur.* De quibus ad Senatum scripsit; *Propterea*, ait Dio, *decreta fuerunt ei sacrificia victoriæ ergo, datumque Parthici nomen.* Sed illud non accepit.
Hic nummus aureus rarissimus est.

VOT. PVB. TR. P. II. COS. II. P. P. *Jupiter nudus stans, dextra fulmen, læva hastam: pro pedibus aquila.*
Vota publica pro Macrino facta indicat nummus: ea non fuisse Decennalia arguit Trib. potestas II. quum ea initio imperii susciperentur: sed Jupiter in eo signatus eodem modo, quo in superiore nummo cum epigraphe *Jovi Conservatori*, vota quidem pro Principe suscepta ob bellum Parthicum, eoque confecto, soluta denotat.
Hic nummus argenteus rarus est.

ΔΗΜΑΡΧ. ΕΞ. ΥΠΑΤΟ. Γ. *Aquila insistit clavæ, rostro coronam.*
Nummi ex argento maximi Romæ non sunt percussi; hunc in Syria signatum denotat aquila, & cui rei illa Jovis ales insistit, Urbem, in qua cælatus est, denotare monuimus: hæc clavæ imposita Tyrum, ob Herculis cultum, in hac Urbe signatum indicat.
Hic nummus maximus inter rariores habendus.

DIA-



DIADUMENIANI nummi ex argento rari, ex auro rariſſimi ſunt.

FIDES MILITVM. *Figura muliebris ſtans inter quatuor ſigna militaria, utraque manu unum gerit.*
Mulier hæc Concordia videtur eſſe, deſignans fidem militum, qui Macrinum patrem, & filium Diadumenianum ad imperium evexerant, ut narrat Lampridius, *Antonini Diadumeniani pueri, quem cum patre Opilio Macrino Imperatorem dixit exercitus.* Signa militaria Romanæ militiæ ſymbola ſunt.
Hic nummus argenteus eximiæ raritatis, & elegantiæ eſt.

M. OPEL. ANT. DIADVMEN. CAES. *Caput Diadumeniani nudum.*
PRINC. IVVENTVTIS. *Figura paludata ſtans, dextra ſignum militare, ſiniſtra haſtam.*
Milites non modo Macrinum Imperatorem elegerunt, ſed & Diadumenianum ejus filium, Cæſarem appellarunt, qua de re ad Senatum mox ille literas dedit, Senatus vero ejus filium Juventutis Principem dixit, teſte Dione, *Tam ipſi, quidquid par eſſet, quam filio ejus decretum fuit, iſque Patricius, &* Juventutis Princeps *eſt appellatus.*
Hic nummus aureus elegantia, & raritate inſignis eſt.

Eadem epigraphe. Figura paludata ſtans inter tria ſigna militaria, quorum unum dextra tenet, læva ſcipionem.
Princeps Juventutis dicebatur is, qui pueris majoribus, & minori-

bus ad Trojæ ludum nominatis præerat, ſed omnes Patricii eſſe debebant, de quibus ait Suetonius in Auguſto 43. *Claræ ſtirpis indolem ſic innoteſcere*. Unde vidimus ſupra apud Dionem, Diadumenianum a Senatu patricium factum, ut Juventutis Princeps appellaretur.

Hic nummus argenteus rarus eſt, ex auro rariſſimus.

SPES PVBLICA. *Figura muliebris ſtans, dextra florem, læva veſtem ſublevat.*


Spes, ut juvenum Dea, in nummis Cæſarum cælatur, tanquam bonam de ſe ſpem concitarent; nam ut ait ipſe Diadumenianus ad milites, apud Lampridium, *Ego autem elaborabo, ne deſim nomini Antoninorum*. Quod olim de Marcello Virgilius.

Magnæ ſpes altera Romæ.

Hic nummus argenteus ſuperiore præſtantior eſt.



ELA-



ELAGABALI nummi ex auro, & argento frequentes, & obvii ſunt. [Ex auro rari ſunt, non frequentes.]

IMP. CAES. M. AVR. ANTON. PIVS AVG. *Caput Elagabali laureatum.*

ADVENTVS AVGVSTI. *Imperator eques dextram elevans, ſiniſtra ſpiculum.*

In memoriam adventus Elagabali Romam pacificatoris habitu proficiſcentis: in Syria autem a militibus contra Macrinum electus A. D. Idib. April. anni 971. eo devicto & occiſo, Nicomediæ hiemavit, ita poſtulante anni tempore; de cujus adventu ait Dio; *Quapropter ut in Urbem pervenit, nihil ſcilicet novum Romani viderunt*. Imaginem enim ſuam prius miſerat.

Hic nummus aureus rarus eſt.

CONSERVATOR AVG. *Currus, ſupra quem lapis in conum, & aquila.*

Lapis ille in conum factus ſupra currum, Deus eſt Elagabalus, quem eleganter deſcribit Herodianus, *Ipſum porro Dei ſimulacrum impoſitum vehiculo, auro, ac lapidibus pretioſiſſimis variegatum deducebat ex Urbe in ſuburbanum; trahentibus equis ſejugibus, emaculato candore, ac magnitudine præcellentibus*. In cujus rei monumentum, hic nummus eſt percuſſus.

Hic nummus aureus inter rariores collocandus.

* *Eadem epigraphe. Currus quadrijugus a fronte, ſupra quem aquila alis expanſis globo impoſita, roſtro coronam tenens; hinc inde vexil-*

la,

la, seu hastæ, quibus lapis impositus in apice. Præit currum miles, mediusque inter quatuor equos stat Imperator paludatus dextra extensa gerens pateram super aram ignitam, læva demissa ramum.

Pompa hæc est solemnis, & triumphalis, qua insanus Imperator Deum suum Elagabalum sub forma lapidis repræsentatum, ex Urbe in suburbanum, ut refert Herodianus, militibus comitantibus deferebat. Huic unice sacra faciebat, *id agens*, Lampridio teste, *ne quis Romæ Deus, nisi Heliogabalus coleretur.*

(1) *Hic nummus argenteus inter elegantiores, & rariores præstantissimus est.*

* FELICITAS TEMP. *Navis prætoria, in cujus medio erectum labarum.*

Probabile est hanc navem prætoriam, quæ temporum felicitatem Senatui, & populo Romano pollicebatur, illam fuisse, qua Elagabalus devicto, interfectoque Macrino Romam devectus est, *ubi ingens ejus desiderium factum est*, ut scribit Lampridius in ejus vita. Fortassis etiam illa est, qua Romam stultus Imperator, eodem Lampridio scribente, *Lapides, qui divi dicuntur, ex proprio templo Dianæ Laodiceæ ex adyto suo, in quo id Orestes posuerat, afferre voluit.*

(2) *Hic nummus argenteus rarus est.*

* FIDES MILITVM. *Imperator gradiens dextra demissa hastam transversam gestat; præcedente milite dextra vexillum, læva clypeum prægrandem gestante; & subsequente alio milite cum vexillo.*

Abductis a Mæsæ promissionibus, quæ ditissima erat, legionibus a Macrino, Elagabalus *pulchritudine, ac statura, & sacerdotio conspicuus*, ut Capitolinus testatur, a militibus Antoninus appellatus est delatis ei imperii insignibus: Macrinus deinde victus est proditione suorum militum, & amore Antonini. Hæc Elagabali expeditio in Macrinum in hoc nummo consignata est.

(3) *Hic nummus argenteus præclarissimus est.*

IOVI VICTORI. *Imperator dextra fulmen, sinistra hastam, pro pedibus aquila, a tergo duo signa militaria.*

Ela-

(1) In museo D. Ab. de Rothelin. (2) In museo Editoris. (3) In museo D. Ab. de Rothelin.

Elagabalus a militibus in odium Macrini A. D. Idib.April. anni 971. Imperator electus est in Syria; quo die *Jovi Victori* festum Romani celebrabant, ut refert Ovidius in Fastis.

Occupat Apriles Idus cognomine Victor
Juppiter.

Hoc forsan die Jovi Victori votum fecisse videtur Elagabalus, si Macrini exercitum fudisset.
Hic nummus argenteus rarus, & elegans est.

IVL. AQVILIA SEV. AVG. *Caput Aquiliæ Severæ.*
Julia Aquilia Severa, erat Vestalis, quam Elagabalus divortio cum Julia Paula facto, sibi in uxorem junxit; eam vero dimisit, & Anniam Faustinam accepit, sed ad eam rediisse nos edocent, non modo Dio, *Dein verum ad Severam rediit*, sed ejus nummi Græci cum literis I.. E. id est anno quinto signati, quum in ea Trib. potestate fuerit occisus.
Hic nummus aureus eximiæ raritatis est.

IVLIA SOAEMIAS AVG. *Caput Soæmiadis.*
Julia Soæmias Julii Aviti, & Juliæ Mæsæ filia, Vario Marcello homini Syro nupta, Elagabali mater fuit, quem Mæsæ, & suis artibus ad imperium evexit, sed cum eo male gubernans, probris insignis, cum illo a prætorianis interfecta est.
Hic nummus argenteus rarissimus est.

LIB. AVG. P. M. TR. P. II. COS. II. *Imperator sedet in substructione cum Liberalitate stante, icuncula scalam ascendit.*
Tria congiaria distribuisse Elagabalum nos edocent hactenus ejus nummi, hoc primum postquam hiemasset Nicomediæ, & Romam vere advenisset in secunda Tribunitia potestate, populo dedit, adstipulante Herodiano, *Diviso igitur congiario in populum, ut mos est imperium suscipientibus*. Adest Liberalitas, & Præfectus prætorii.
Hic nummus aureus elegantissimus est.

LIB. AVG. II. COS. II. P. P. *Imperator sedet in suggestu, hinc Liberalitas, & inde Præfectus prætorii stant, Romanus ascendit gradus.*
Secundum congiarium videtur ab Elagabalo distributum, quando Cor-

Corneliam Paulam duxit uxorem, ut innuit Xiphilinus, *In quibus nuptiis nonnulla largitus est non solum Senatorio, & equestri ordini, sed etiam Senatorum uxoribus. Plebs aureis sex epulata est viritim, milites hoc amplius quatuor*. Hoc vero matrimonium anno 972. quum ille adhuc gereret consulatum II. celebratum est.
Hic nummus aureus inter rariores adnumerandus.

P. M. TR. P. III. COS. III. P. P. *Quadrigæ Imperatore aurigante.* Quadrigæ ad Antonini Elagabali triumphum non pertinent, nullum enim egit. Sed spectant ad processum consulatus III. quem Romæ suscepit; nam primum in Syria, alterum Nicomediæ sibi adrogare ausus erat, qua de re plurimi ex diversa materia percussi sunt ejus nummi, in memoriam solemnis consularis illius processus pompæ.
Hic nummus aureus inter rariores collocatur.

Eadem epigraphe. Elagabalus in quadrigis coronatur a Victoria. Plurimi Imperatores Romani in quadrigis observantur, qui nullum egere triumphum, quorum nummos ad solemnem illorum consularis processus pompam referre oportuit, ut indicant ii, in quibus ejusmodi quadrigæ Imperatore aurigante occurrunt, cum epigraphe *Fel. process. Consulat. Aug. N.* ut videre est apud Spanhemium pag. 705.
Hic nummus argenteus eximiæ raritatis est.

P. M. TR. P. V. COS. IIII. *Elagabalus in quadrigis dextra ramum, sinistra scipionem eburneum.*
Ad processum Elagabali consulatus IIII. cum Alexandro Severo initi anno V. C. 975. spectat nummus; quum enim ille anno superiore consulatum non egisset, illum hoc anno rursus accepit; nec tyro est, qui hunc nummum ad Elagabali triumphum referri velit; at si conjecturæ locus, quando adsunt quadrigæ, pertinent ad consulatus processum; Imperator scipionem eburneum, insigne consulum tantum gerit.
Hic nummus argenteus pro raro recensetur.

SACERD. DEI SOLIS ELAGAB. *Figura stolata stans, dextra pateram super aram, sacrificantis ritu.*
Antoninus Soæmiadis filius, dictus est Elagabalus, a sacerdotio Solis, quem

quem Syri Elagabalum dicunt, ut ait Herodianus de illo, & Alexandro loquens, *Sacerdotes ambo Solis, quem maxime indigenæ colunt, Phœnicum lingua* Elagabalum *vocitantes*. Hunc titulum, quum Romam Deum attulisset, & præ cæteris coleret, semper servavit, cujus dictus est *Summus*, & *Invictus* Sacerdos.
Hic nummus argenteus nec rarus, nec obvius est, SVMMVS SACERDOS AVG. INVICTVS SACERDOS AVG. *facile parantur*.

SANCT. DEO SOLI ELAGABAL. *Quatuor equi trahentes currum, supra quem coni species cum quatuor vexillis*.
Elagabalus est Deus in pompa traductus coni forma, quem mire illustrat Herodianus, *Lapis est maximus, ab imo rotundus, & sensim fastigiatus, propemodum ad coni figuram*. Nullus ducit currum, de quo idem Auctor, *Neque enim quisquam mortalium eum inscendebat currum, sed circumstabant omnes, quasi aurigantem Deum*. Sanctus, id est propitius appellatur.
Hic nummus argenteus præstantissimus est.

SPEI PERPETVAE. *Spes stans dextra florem, sinistra vestem colligit*.
Spes in Cæsarum nummis plerumque exhibetur, quia Spes in juvenibus, & pueris aliqua inest: quum quindecim circiter annos esset Elagabalus, plurima etiam de se pollicebatur; qua de re ad Senatum scripsit, ut narrat Dio, *Multa quoque de se ipso non tantum militibus, sed etiam Senatui, populoque Romano promittebat*. Ideo Spes in Elagabalo, dum ille cresceret, videbatur tanquam perpetua.
Hic nummus argenteus pro raro habendus est.

* VOTA PVBLICA. *Figura virilis togata capite velato, stans ad aram ignitam, dextra pateram, sinistra stola involuta*.
Nescio quæ vota publica concipi potuerint pro Elagabalo, humani generis peste, *vita, moribus, improbitate ita odibili*, teste Lampridio, *ut ejus nomen Senatus eraserit*. Credibile est nummum cusum sub initia Imperii, quum lectis ejus literis in Senatu *statim fausta in Antoninum*, ut refert Lampridius, *& dira in Macrinum, ejusque filium dicta sunt, volentibus cunctis, & studiose credentibus, ut sese habent vota hominum ad credulitatem festinantium, quum quod optant, verum esse desiderant*.
(1) *Hic nummus argenteus rarus est*.

(1) In museo D. Abb. de Rothelin.



PAULÆ nummi ex argento frequentes, ex auro rariſſimi ſunt.

IVLIA PAVLA AVG. *Caput Juliæ Paulæ.*

CONCORDIA. *Imperator, & Paula dextras ſibi porrigentes.* Elagabalus, ut loquitur Dio, *Corneliam Paulam duxit in matrimonium, quo fieret pater, ſicuti dicebat, celerius.* Unde nummi ad eorum concordiam conjugalem denotandam percuſſi, cujus dextrarum junctio ſymbolum eſt: nam ait Tacitus, Annal. 12. *Mos eſt regibus, quoties in ſocietatem coeant, implicare dextras.* Quæ juramenti ſpecies eſt.

Hic nummus argenteus inter rariores habendus.

CONCORDIA AETERNA. *Tres figuræ ſtantes, quarum duæ dextras jungunt, tertia intermedia.*

Alter concordiæ typus in Juliæ Paulæ nummo, deam ipſam Concordiam manus conjugibus imponentem exhibet, quaſi eos conjungeret, dum dextras ſibi porrigunt: ſed illa conjugalis concordia non tam per dextras implicatas exprimi videtur, quam fides conjugalis, cui eas attribuunt, ut notant Grammatici: unde Concordia in perpetuum duratura, dicitur Æterna.

Hic nummus aureus elegantia, & raritate inſignis eſt.

VENVS GENETRIX. *Mulier ſedens dextra globum, ſiniſtra haſtam.* Quum eſſent matrimonia liberorum procreandorum cauſa, inſtituta; ideo Venus Genitrix ad fecunditatis Paulæ augurationem exhibetur, quum

quum Elagabalus illam duxerit, quo citius fieret pater, ut supra diximus. Illa a Romanis culta est, cui templum Cæsar dedicavit in regione VIII. Globum gerit, illa enim Genius generationis supremus credebatur. Solinus in Fragm.

Tu Fœtibus auges
Cuncta tuis, totus pariter tibi parturit orbis.

Hic nummus argenteus inter rariores recensendus.






AQUILIÆ SEVERÆ nummi ex argento vulgares, ex auro inſignis elegantiæ, & raritatis ſunt.

IVLIA AQVILIA SEV. AVG. *Caput Juliæ Severæ.*
CONCORDIA. *Imperator togatus ſtans, dextram Aquiliæ Severæ porrigit.*
Ad concordiam conjugalem cum Aquilia Severa, quam ex numero Veſtalium abſtulerat Elagabalus, denotandam: ut in Julia Paula diximus.
Hic nummus argenteus inter elegantiores collocandus.

IMP. M. AVR. ANTONIN. PIVS AVG. *Caput Elagabali.*
Imperatores in nummis aureis, & argenteis uxorum vultus honoris cauſa ſignare ſolebant, quo argumento Salluſtiam Orbianam Alexandri conjugem, & Etruſcillam Decii ſponſam fuiſſe didicimus.
Hic nummus aureus raritate, & elegantia præſtantiſſimus eſt.



AN-



* ANNIÆ FAUSTINÆ nummi ex auro nondum visi sunt; ex argento unus dumtaxat in museo D. Abb. de Rothelin reperitur.

ANNIA FAVSTINA AVG. *Caput Anniæ Faustinæ.*

CONCORDIA. *Imperator laureatus, & togatus stans, dextram porrigit Anniæ Faustinæ, stella intermedia.*

Anniam Faustinam generis claritate conspicuam, quod a M. Aurelio ducebat, uxorem sibi adscivit Elagabalus, repudiatis Cornelia Paula primum, & Aquilia Severa deinde ex Vestalium collegio erepta. In tertii hujus conjugii memoriam cusus est nummus hic, inter argenteos omnium rarissimus.

(1) *Hic nummus ex argento usque modo unicus est, & singularis.*



SOÆ-

(1) In museo D. Abb. de Rothelin.



SOÆMIADIS nummi ex argento triti ſunt, ex auro rariſſimi.

IVLIA SOAEMIAS AVG. *Caput Soæmiadis*.

IMP. ANTONINVS PIVS AVG. *Caput Elagabali laureatum*.

Non modo Auguſti uxorum vultus in nummis, ſed & matrum effigies cælarunt; hic mos a Caligula manavit, quem ſequutus eſt Claudius.

Hic nummus argenteus elegantia, & ſingularitate conſpicuus eſt.


VENVS CAELESTIS. *Figura muliebris ſtolata ſtans, dextra pomum, ſiniſtra haſtam puram.*

Ut Aſtarte dea, Syris eadem erat, quæ Venus Cæleſtis: ideo Soæmias, ut erat Syra, pro Venere Cæleſti in nummis ſuis exhibetur.

Hic nummus argenteus obvius eſt: ex auro rariſſimus habendus.



JU-



JULIÆ MÆSÆ nummi aurei rariſſimi ſunt, ex argento obvii, & vulgares.

IVLIA MAESA AVGVSTA. *Caput Mæſæ.*

IVNO. *Figura muliebris velata ſtans, dextra pateram, ſiniſtra cornucopiæ.*

Jul. Mæſa ſub habitu Junonis exhibetur, quum hæc regnis præeſſe crederetur; unde Reginæ nomen tulit: Mæſa autem nepotes Elagabalum, & Alex. Severum ad imperium evexit, & conſiliis ipſa regnare videbatur.

Hic nummus ex auro rariſſimus eſt, ex argento obvius.

★ PVDICITIA. *Figura muliebris velata ſedens, dextram admovet velo, ſiniſtra haſtam tranſverſam tenet.*

Quamvis mulieres imperatoriæ, paucis admodum exceptis, non ſatis pudicis moribus eſſent, pudicitiam tamen affectare omnes voluere. Mæſa Juliæ Severi ſoror in hoc nummo, quemadmodum in ſuperiori ſub habitu Junonis, ſub habitu pudicitiæ exhiberi voluit.

(1) *Hic quinarius argenteus rarus, & elegans eſt.*


SAECVLI FELICITAS. *Figura muliebris ſtolata ſtans, dextra pateram ſuper aram ignitam, ſiniſtra caduceum oblongum.*

Sub Elagabali imperio, mediante Mæſa ejus avia, ſæculi Felicitatem per orbem Romanum deſignare videtur nummus.

Hic nummus argenteus vulgaris, ex auro rariſſimus eſt.

ALE-

(1) In muſeo Editoris.



ALEXANDRI SEVERI nummi ex auro, & argento triti sunt [sed cum titulo Cæsaris rarissimi.]

IMP. CAES. M. AVR. SEV. ALEXAND. AVG. *Caput Alex. Severi laureatum.*
AETERNITATIBVS. *Figura muliebris stolata stans, dextra globum, læva innixa columnæ spiculum gestat.*
Romani in acclamationibus novi Imperatoris multos ei annos precabantur, & ejus regnum tanquam Æternum optabant, ut de ipso Alexandro narrat Lampridius, *Vincas, valeas, multis annis imperes.* Unde in nummis *Æternitas Imperii.* Mulier globum gerit, quasi mundus esset ab æterno, & in æternum duraturus.
Hic nummus argenteus inter rarissimos recenseri potest.

* ANNONA AVG. *Figura muliebris stans ante modium, dextra spicas, sinistra cornucopiæ.*
Elagabalus rem frumentariam pessum ire siverat; Alexander quam maxime curavit. *Commeatum populi Romani*, inquit Lampridius, *sic adjuvit, ut quum frumenta Heliogabalus evertisset, vicem de propria pecunia loco suo reponerit.*
(1) *Hic quinarius argenteus elegans, & rarus est.*

IMP. SEV. ALEXAND. AVG. IVLIA MAMAEA AVG. MATER AVG. *Capita Alex. Severi, & Jul. Mamææ adversa.*
FELICITAS TEMPORVM. *Alexander sedens togatus coronatur a Vi-*

(1) In musco Editoris.

a Victoria pone eum stante, ei adstant duæ mulieres, quarum una caduceum gerit.

Percussus est nummus hic perelegans post victoriam Persicam, quæ coronam Alex. Severo porrigit: unde Felicitas Temporum per eam P. Romano procuratur, mediante etiam Julia Mamæa Augusti matre dignissima, & dea Felicitate comite; Romanis per filii virtutem, & matris consilium feliciter imperium dirigi gratulantibus.

Hic nummus aureus maximi moduli eximiæ raritatis, & elegantiæ est.

INDVLGENTIA AVG. *Spei typus.*

Typus est *Principis Juventutis* solitus, sub nova *Indulgentiæ Augusti* inscriptione, ad denotandum Alex. Severum ab Elagabalo Cæsarem declaratum, Principem Juventutis esse factum, & quidem indulgentia Elagabali, quum vix decimum octavum annum ageret; sed id sagax avia Mæsa, suspectans populorum indignationem, procuravit. Vide Seguinum in Sel. Num. edit. 2. pag. 170.

Hic nummus argenteus inter præstantiores collocandus.

Eadem epigraphe. Spes dextra florem, sinistra vestem colligit.

Spes in Cæsarum nummis plerumque signatur, sed raro cum hac epigraphe *Indulgentia Aug.* quum autem Elagabalus Cæsarem dixisset Alexandrum Severum consobrinum suum, etiamsi adhuc ille esset adolescens, ideo summa indulgentia id fecit, & quidem Juliæ Mæsæ ejus aviæ artibus, ut Alexandro imperium deferret, si illud Elagabalo conservare non posset.

Hic nummus aureus inter rariores habetur.

IOVI PROPVGNATORI. *Jupiter stans, dextra fulmen, sinistra hastam.*

Jupiter cognomine *Propugnator* in nummis Imperatorum, qui cum barbaris decertarunt, sæpe exhibetur, quasi a Jove ipso, in prælio defensi essent: unde ipsi incolumes gratulabundi sacra faciebant; cujus erat in palatio templum, si Grutero fides pag. 3. num. 2.

Hic nummus ex argento tritus, ex auro non obvius est.

IVLIA MAMAEA AVG. *Caput Juliæ Mamææ.*

Imagines Augustarum in nummis aureis, & argenteis Imperatorum

obſervari potius ſolent, quam in æreis, imo in iis raro occurrunt, quum Imperatores potius amicitiæ, quam honoris cauſa id facerent, quod Senatus non audebat: nam Cæſares monetam auream, & argenteam cælari curabant, Senatus æream tantum.
Hic nummus aureus ſingularis elegantiæ, & raritatis eſt.

LIBERALITAS AVG. *Imperator ſedens in ſubſtructione pro congiario diſtribuendo, aliis figuris adſiſtentibus.*
Congiarium populo diſtribui debuiſſet, ſi Alexander Cæſar a patre factus eſſet, ſed id indulgentia ſua factum in nummis teſtari voluit Elagabalus: nec etiam datum eſt, quando conſul Alexander factus eſt cum Elagabalo, quia hic *cum eo procedere noluit*, ut narrat Lampridius, ſed mox poſt ejus necem quum imperare cœpit.
Hic nummus ex auro rariſſimus eſt.

LIBERALITAS AVG. II. *Mulier ſtans, dextra teſſeram, ſiniſtra cornucopiæ.*
Secundum congiarium dediſſe videtur Alexander, quando uxorem duxit Sulluſtiam Barbiam Orbianam anno ſecundo, vel tertio imperii: de qua altum eſt apud Hiſtoricos ſilentium, ſed Antiquarii per nummos eam e tenebris eruerunt, & marito probe reddiderunt. Vide Seguini Diſſertationem in 2. editione Selectorum numiſmatum, apud Jo. Jombertum.
Hic nummus argenteus rariſſimus eſt.

LIBERALITAS AVG. III. *Mulier ſtans, dextra teſſeram, ſiniſtra cornucopiæ.*
Tertia Alex. Severi liberalitas P. Romano conceſſa eſt, ob initum anno v. c. 979. ſecundum conſulatum, ut indicat Trib. poteſtas v. cum ea liberalitate in æreis nummis, ut pote amplioribus, conjuncta.
Hic nummus argenteus pro raro habendus.

LIBERALITAS AVG. IIII. *Typus idem.*
Lampridius Alexandrum ter tantum congiarium dediſſe narrat, *Congiarium Populo ter dedit, donativum militibus ter.* Sed nummi eum quinquies illud diſtribuiſſe probant. Quartum autem ab eo diviſum eſt anno 982. quando geſſit conſulatum III. cum Caſſio Dione II.
Hic nummus ex argento, & auro inter elegantiores reponendus.

LIBE-

LIBERALITAS AVG. V. *Figura muliebris stolata stans, dextra tesseram, sinistra cornucopiæ.*
Alexander suscepto bello Persico victor Romam rediit, triumphoque acto, apud Senatum orationem habuit, dimissoque illo Capitolium ascendit, & ut refert Lampridius, dixit, *Quirites, vicimus Persas, milites divites reduximus, vobis congiarium pollicemur.* Quod quidem paucis abhinc diebus distribuit, ut ait idem Scriptor, *Deinceps congiarium populo Romano dedit.*
Hic nummus aureus rarus est.

* PAX AETERNA AVG. *Figura muliebris stolata stans, dextra elata ramum, sinistra hastam.*
Pax hæc æterna illa est, quæ Victoriam Persicam consequuta est. Adeo enim Persarum vires contrivit, ut nihil inde amplius timendum Populo Romano superesset. Hinc acclamatio illa Senatus, quam Lampridius narrat, post ab eodem Alexandro recitatam in Senatu victoriam, quam retulerat.
(1) *Hic quinarius argenteus inter rariores numerandus.*

PERPETVITATI AVG. *Figura muliebris stolata stans, dextra globum, sinistra hastam transversam.*
Hæc in nummo epigraphe videtur adposita in memoriam acclamationis, qua usus est erga Alexandrum Senatus, Deos precatus, ut eum perpetuarent, Lampridio narrante, *Dii te ex manibus impuris eripuerunt: Dii te perpetuent.* Non enim occurrit in aliis principibus hæc inscriptio, & Alexandro peculiaris est.
Hic nummus argenteus rarus est.

* PIETAS AVG. *Lituus, Secespita, Præfericulum, Capeduncula, Aspergillum.*
Instrumenta hæc Pontificalia indicant cum Cæsaris titulo conlata Alexandro sacerdotia omnia veluti ad imperii successionem destinato. Mortuo enim Macrino, & Elagabalo declarato Augusto, Alexander Elagabali consobrinus statim Cæsar a Senatu est appellatus. Mox ab Elagabalo, cui Mæsa id suaserat commune odium ab eo amovendi causa, adoptatus fuit, iterumque Cæsar dictus.
(2) *Hic nummus argenteus eximiæ est raritatis.*

(1) In museo Editoris.

(2) In museo D. Apostoli Zeno.

★ PIETAS MILITVM. *Figura muliebris ſtolata ſtans, dextra ſigno militari innititur; pone ſignum aliud militare erectum.*

Nova in nummis epigraphe, quam mire comprobat Ælius Lampridius in vita Elagabali. Quum impuriſſimo Imperatori diſplicerent mores optimi conſobrini Alexandri, *quod impudicus non eſſet*, & nutritoribus ejus imperaſſet ſub præmiorum ſpe, atque honorum, ut eum occiderent quo vellent modo vel in balneis, vel veneno, vel ferro, milites indignati exarſerunt, & quum in palatium veniſſent, Alexandrum cum matre, atque avia cuſtodiendum diligentiſſime poſtea in caſtra duxerunt.

(1) *Hic nummus argenteus præſtantiſſimus, & elegantiſſimus eſt.*

P. M. TR. P. COS. P. P. P. *Leo fulmen dentibus tenet.*

Leonis ore fulmen gerentis typus, jam in Caracalla prodiit, qui etiam in Maximiano Diocletiani Imperatoris ſocio apud Triſtanum tom. 3. pag. 366. obſervatus, pro imperii ſeu providentiæ ſymbolo exhiberi videtur, niſi quis ad natalem Alexandri ſub leonis ſigno diem referre voluerit; is enim radiis caput habet ornatum, tanquam ad Solem ſpectans.

Hic nummus argenteus inter rariores cenſendus.

Eadem epigraphe. Imperator in quadrigis.

Hæc tribunitiæ poteſtatis primæ, & conſulatus primi inſcriptio, nummum in memoriam pompæ primi conſulatus ab Alexandro cum Elagabalo initi ſignatum arguit, dum ille imperium eo occiſo occupavit, nam adhuc conſul erat: Elagabalus autem *noluit cum conſobrino procedere*, teſte Lampridio.

Hic nummus argenteus, & aureus inter rariores habentur.

★ P. M. TR. P. II. COS. P. P. *Amphiteatrum cum tribus figuris a dextris, quarum una togata muros tangit, altera haſtæ innititur.*

Nummo æreo elegantiſſimo, & ſingulari, quem edidimus in primo tomo, ſimillimus eſt hic argenteus ejuſdem elegantiæ, & ſingularitatis. Scimus ex Lampridio Amphiteatrum poſt exuſtionem inſtauratum fuiſſe ab Elagabalo. Poſt Elagabali necem reſtaurationem fortaſſe non completam Alexander complevit, & Amphiteatrum dedicavit, quod nummi tum æreus, tum argenteus ſatis aperte ſigni-

(1) In muſeo D. Abb. de Rothelin.

ſignificant : de qua tamen re ſilet Lampridius, contentus in univerſum dixiſſe, *Opera veterum principum inſtauravit, ipſe nova multa conſtituit.*

(1) *Hic nummus argenteus ſingularis raritatis, & elegantiæ eſt.*

P. M. TR. P. V. COS. II. P. P. *Imperator in quadrigis dextra ramum, ſiniſtra ſcipionem eburneum.*

Monumentum eſt pariter proceſſus Alexandri conſulatus II. quem iniit anno V. C. 979. cum Quintilio Marcello.

Hic nummus aureus inter raros recenſetur.

Eadem epigraphe. Thermæ Alexandrinæ.

Plurimis operibus Romam exornavit Alexander; Thermarum ejus icon nobis ſupereſt in hoc nummo : de quibus loquitur Lampridius in ejus vita, *Opera veterum principum inſtauravit, ipſe nova multa conſtituit, in his Thermas nominis ſui, juxta eas, quæ Neronianæ fuerunt, aqua inducta, quæ Alexandrina nunc dicitur.* Ejus veſtigia in palatio Mediceo *plateæ Dominæ* vulgo dicto.

Hic nummus ex auro, & argento præſtantiſſimus eſt.

P. M. TR. P. VIII. COS. III. P. P. *Imperator in quadrigis conſularibus.*

Alexander trium ſuorum conſulatuum pompam conſtanter in nummis expreſſit; de illis ita loquitur Lampridius, *Conſulatum ter iniit tantum : ac primo nundino ſibi alios ſemper ſuffecit.* Tertium hunc cum Dione Caſſio ſuſcepit anno 982. cuſuſque eſt in rei memoriam nummus, quum Trib. pot. VIII. iniiſſet eodem anno.

Hic nummus argenteus inter rariores numeratur.

P. M. TR. P. XII. COS. III. P. P. *Imperator paludatus in quadrigis triumphalibus.*

Non amplius ad pompam proceſſus conſulatuum Alexandri ſpectant quadrigæ, ſed ad Perſicum ejus triumphum, quem in Trib. poteſtate XII. geſſit, ut recte innuit nummus : ipſe paludatus incedit, & ramum lauri tenet : in ſuperioribus vero nummis togatus eſt ut conſul, & ſcipionem eburneum conſulis inſigne, ſemper habere deberet.

Hic nummus ex auro rariſſimus eſt.

VICTO-

(1) In muſeo D. Abb. de Rothelin.

* VICTORIA AVGVSTI. *Victoria stans, clypeum sinistra tenet, in quo dextra inscribit* VOT. X.
Victoria Persica obtenta, Alexandro decem annos imperii complente, anno V.C. 984. soluta sunt vota decennalia, ut hic nummus fidem facit, & vicennalia pro ejus incolumitate nuncupata.
(1) *Hic nummus argenteus rarus est.*



OR-

(1) In musęo Editoris.



ORBIANÆ nummi, ex argento rari; ex auro hactenus non inſpecti ſunt. [In muſeo Theupolo aureus indubiæ fidei reperitur.]

SALL. BARB. ORBIANA AVG. *Caput Orbianæ.*

CONCORDIA AVGVSTORVM. *Figura muliebris ſedens, dextra pateram.*

Salluſtia ab Antiquariis anterioris ſæculi Trajano Decio in uxorem data, a Franc. Gottifredi Nobili Romano, conjugi legitimo Alexandro Severo reſtituta eſt, ut recte notavit Seguinus noſter in Opuſc. pag. 287. Dea Concordia in averſa nummi parte, ad conjugalem inter Alexandrum, & Salluſtiam, indicandam concordiam ſignatur. *Hic nummus argenteus pro raro habetur, [& aureus præſtantiſſimus, & elegantiſſimus eſt.]*

(1) *Quinarius argenteus cum eadem epigraphe, & typo inter rariores collocandus.*


PVDICITIA AVG. *Figura muliebris ſedens, dextra faciem velo obducit, ſiniſtra haſtam tranſverſam geſtat.*

Quænam fuerit Salluſtia Alexandri uxor, altum eſt apud Hiſtoricos ſilentium; porro Salluſtius ſub eo principe florebat, Salluſtio enim Alexander reſcribit Cod. 8. tit. 11. de fidejuſs. & mandat. Dea autem Pudicitia velo faciem obumbrans, ad impenetrabilem Salluſtiæ indicandam caſtitatem perhibetur.

Hic nummus argenteus præſtantiſſimus eſt.

MA-

(1) In muſeo Editoris.



MAMÆÆ nummi ex argento frequentes, ex auro ſunt rariſſimi.

FELICITAS PVBLICA. *Mulier ſedens, dextra caduceum, ſiniſtra cornucopiæ.*

Julia Mamæa Alexandri mater, ut erat bonis moribus, *Felicitas publica* a Romanis exiſtimabatur, ſicuti principi filio adclamaverant teſte Lampridio, *Felices nos imperio tuo. Felicem Rempublicam.* Felix omnino imperium, cui grata populo, militibuſque, ac Senatui forma principatus erat, ut ait Herodianus.

Hic nummus ex argento frequens, & obvius; ex auro rariſſimus eſt.

IMP. C. M. AVR. ALEX. SEVER. AVG. *Caput Alexandri Severi laureatum.*

Imago matris in averſa filii Imperatoris parte, magnum denotat illius imperium, ut ſub Neronis initio Agrippina olim potiebatur; audiamus autem de Mamæa Herodianum; *Quippe illi mater ſupra modum imperitabat, ac dicto audientem ſemper habebat.* Ideo quum eſſet avara, illius necis cauſa exiſtimatur.

Hic nummus aureus eximiæ raritatis, & præſtantiæ eſt.

IVLIA MAMAEA AVG. *Caput Mamææ.*

IVNO CONSERVATRIX. *Figura muliebris ſtolata ſtans, dextra pateram, læva haſtam puram: pro pedibus pavo.*

Mamæa ſub Junonis Conſervatricis imagine exhibetur, quæ Alexandrum filium ab Elagabali inſidiis ſervaverit, ut narrat Herodianus: *Ser-*


Servabantque eum diligenter omnes ab insidiis Antonini. Mater autem Mamæa neque poculentum aliquid, neque esculentum gustare puerum sinebat, quod ab illo mitteretur. Pateram gerit, sacris Junoni pro filio factis.
Hic nummus aureus est rarissimus, ex argento obvius.

* VENERI FELICI. *Figura muliebris stans, dextra hastam, sinistra puerulum gestat.*
Sub imagine Veneris Felicis colitur in hoc nummo Julia Mamæa Alexandri mater. Hasta prædita est in signum Divinitatis, & puerulum gestat in sinistra, quem Alexandrum esse constat, ob cujus partum, educationem, & curam merito Felicis titulo insignitur.
(1) *Hic quinarius argenteus rarus est.*

VESTA. *Figura muliebris sedens, læva hastam, dextra palladium.* Sub effigie Vestæ repræsentatur Mamæa, ad indicandam illius pudicitiam; cujus symbolum est, ut aperit Græcus Aristophanis interpres apud Ill. Spanhemium de nummo Smyrnæorum pag. 357. quod Vesta scilicet, post debellatos Titanas, optione habita petendi, quod vellet, continuo virginitatem petierit.
Hic nummus ex auro rarissimus est, ex argento obvius.



(1) In musæo Editoris.



MAXIMINI nummi ex argento triti, & obvii, ex auro rariſſimi ſunt.

IMP. MAXIMINVS PIVS AVG. *Caput Maximini laureatum.*
AEQVITAS AVG. *Figura muliebris ſtolata ſtans, dextra bilancem, ſiniſtra cornucopiæ gerens.*
Maximinus ut ſtatim factus eſt Imperator, mox ad effigiem ſuam tanquam dignitatis imperatoriæ jus ſummum, monetam cudi curavit, in qua ſignata eſt Æquitas, non ad Juſtitiam ſpectans, de illo enim refert Capitolinus, *Sine judicio, ſine accuſatione, ſine delatore, ſine defenſione omnes interemit, omnium bona ſuſtulit.*
Hic nummus ex auro rariſſimus eſt: ex argento frequens, & obvius.

LIBER. AVG. *Imperator ſedet in ſubſtructione, adſtant hinc Liberalitas, inde Præfectus prætorii: Romanus aſcendit ſcalam.*
Etiamſi Maximinus ex Germania, ubi Imperator a militibus electus erat, Romam non venerit, congiarium tamen populo ejus juſſu in Urbe diſtributum ipſius nummi convincunt, cujus memoriam in æreis nummis conſignavit Senatus, ut & proceſsus ejus conſulatus pompæ, de qua mox dicturi ſumus.
Hic nummus aureus eximiæ raritatis eſt, & elegantiæ.

P. M. TR. P. II. COS. P. P. *Quadrigæ triumphales, quibus inſidet Imperator, dextra ſcipionem eburneum geſtans.*
Maximinus circa Octobris initium anni 988. poſt Alexandri mortem imperium arripuit, & conſulatum anno 989. ſuſcepit cum Julio Afri-

Africano, at dum abſens eſset? an ejus figura in proceſsus conſulatus pompa fuerit geſtata? an quaſi proceſſiſset, nummi in rei memoriam ſint percuſſi?
Hic nummus argenteus inter elegantiores adnumerandus eſt.

SALVS AVGVSTI. *Salus ſtans paſcit ſerpentem.*
Licet altum ſit de Maximini morbo apud Hiſtoricos ſilentium, eum tamen ægrotaſse indicat nummus: quando enim mentio Æſculapii, aut Hygiæ ejus filiæ ſanitatis numinum occurrit, ſemper eos morbo quodam laboraſse illi arguunt; videntur ergo pro eorum ſalute ſacra peracta, quorum memoria in monumentis publicis conſignatur.
Hic nummus aureus pro raro habendus.

* *Eadem epigraphe. Figura muliebris ſedens, dextra pateram tenens ſupra aram, ex qua ſerpens aſſurgit, quem paſcit, ſiniſtro cubito ſellæ innixo.*
Ægrotaſſe Maximinum nummus docet. Neque enim ſacra fieri pro ſalute Auguſtorum ſolebant, niſi quum male ſe haberent, neque nummi cum ea epigraphe ſignari, niſi quum pro eorum ſalute ſupplicabatur.
(1) *Hic quinarius argenteus rariſſimus eſt.*

VICTORIA GERM. *Victoria gradiens, dextra coronam, læva palmam, pro pedibus captivus.*
Maximinus in Germania Imperator, Alexandro a militibus occiſo, electus, ſtatim ad bellum contra Germanos ſe comparavit, de quibus inſignem victoriam retulit, Capitolino narrante, *Ingreſſus igitur Germaniam Tranſrhenanam per* CCC *vel* CCCC *millia barbarici ſoli vicos incendit, greges abegit, prædas ſuſtulit: barbarorum plurimos interemit.* In cujus rei memoriam cælata eſt in hoc nummo Victoria.
Hic nummus ex auro elegantiſſimus eſt.

VICTORIA GERMANICA. *Imperator paludatus ſtans, coronatur a Victoria palmam gerente, ad cujus pedes captivus manibus poſt terga revinctis.*
Hæc ſunt Germanicæ victoriæ a Maximino relatæ monumenta: Victoria


(1) In muſeo Editoris.

ctoria' illi lauream imponit ob egregia ejus belli facinora, de quibus ita loquitur Herodianus, *Fuere item alia prælia, quibus omnibus ipse manu pugnam capessens, ac fortissime dimicans, explendescebat*; maximam rebus gestis claritudinem adepturus; nisi gravior multo suis, ac truculentior, quam ipsis fuisset hostibus.
Hic nummus argenteus inter præstantiores recensendus.

VOTIS DECENNALIBVS. *In laurea.*
Quum aliquis Princeps ad imperium pervenerat, mox vota pro illius salute suscipiebantur: hunc diximus morem ab Augusto manasse ex Dione, dum in aliud decennium accepisset imperium; unde festum eo die pro ejus renovatione celebratum est. Porro in veteri Calendario occurrit. *Votorum nuncupatio* III. *Non. Jan.* pro salute principis, ob anni forsan renovationem.
Hic nummus argenteus inter rariores habendus.



PAU-



PAULINÆ nummi ex argento rari ſunt, ex auro hactenus non obſervati.

DIVA PAVLINA. *Caput Paulinæ velatum.*
CONSECRATIO. *Pavo cauda expanſa.*
Nummis Paulinæ uxoris Maximini Imperatoris nomen debemus. Ammianus, & Zonaras ejus quidem principis conjugem memorant, ſed nomen reticent: eadem, quæ filii lineamenta, & eadem, quæ mariti nummorum forma, nobis id penitus confirmant. Zonaras maritum crudelitate ſua ei mortem procuraſſe narrat, cujus conſecrationem a Senatu ipſius precibus factam nummi nos edocent.
Hic nummus ex argento rarus eſt.

CONSECRATIO. *Pavo animam Auguſtæ in cælos ferens.*
Pavo in vertice rogi pro Auguſtarum conſecratione in campo Martio erecti, funiculo alligabatur, quo flammis tandem exuſto, illa per aerem volitans, Auguſtæ animam in cælos efferre credebatur, cujus icon in nummis poſtea ad ejus conſecrationis memoriam cælabatur. Pavo pro fæminis principibus, aquila pro Imperatoribus erat ſelecta, quod illa Junonis, hæc Jovis ales eſſet.
Hic nummus argenteus ejuſdem eſt pretii, ac ſuperior.

MA-



MAXIMI Cæſaris nummi ex argento rari, ex auro hactenus non inſpecti ſunt.

MAXIMVS CAES. GERM. *Caput Maximi.*

PRINC. IVVENTVTIS. *Figura paludata ſtans, dextra pilum deorſum tenet, ſiniſtra haſtam: a tergo duo ſigna militaria.*

Quum Principis juventutis titulus ipſi conceſſus eſset, quem Imperator Cæſarem appellabat, mox in nummis ejus inſcribebatur: ſed obſervandum hunc tantum pueris titulum fuiſse datum, quum ludis Trojæ præeſse poſsent: nam Cæſaribus ætate provectis nunquam eum videmus tributum.


Hic nummus ex argento rarus eſt.

PIETAS AVG. *Vaſa pontificalia.*

Sacerdotium ad imperium renunciati inſigne fuit, cujus inſtituti ratio ab Auguſto manavit, qui Cajo, & Lucio filiis ſacerdotium mox contulit, poſtquam eos adoptavit; ut Imperator cum ſupremo rerum aliarum arbitrio, ita ſacra omnia, & religiones omnes populi Romani haberet: unde illi Pontificatum maximum retinuere.

Hic nummus argenteus ſuperiore elegantior eſt.

GOR-



GORDIANI AFR. ſenioris nummi ex argento rariſsimi ſunt; aureos non inſpeximus. Cavete, ne typos recentes cum Antiquario Palatino, pro veris accipiatis.

IMP. C. M. ANT. GORDIANVS AFR. AVG. *Caput Gordiani Africani laureatum.*

CONCORDIA AVG. *Figura muliebris ſedens, dextra pateram, ſiniſtra duplex cornucopiæ.*

Ad indicandam Gordiani patris cum Gordiano filio concordiam, quos Africa provincia contra Maximinum appellaverat Imperatores, eos ſimul Auguſtos Senatus confirmavit, teſte Herodiano; *Quare Senatus... etſi de Maximino certi nihil habebat... abolitis illius honoribus Gordianum, filiumque ipſius, Auguſtos declaravit. Hic nummus argenteus inter elegantiores numerandus.*

P. M. TR. COS. P. P. *Figura togata ſtans, dextra protenſa ramum gerit.*

Genius Senatus in Gordiani patris nummis exhibetur, quum Patres ad provinciarum rectores miſiſsent, quibus mens P. Romani circa electionem Gordiani exponebatur, & ipſos hortarentur, uti communem patriam tuerentur, perſuaderentque nationibus, ut in fide permanerent, cujus proprium antiquitus imperium foret: ita Gordianus per nationes Senatus Genius perhibebatur.

Hic nummus argenteus, ſi caput attendas, rariſſimus eſt, ſi partem averſam, obvius.

RO-

ROMAE AETERNAE. *Figura muliebris galeata sedens, dextra Victoriolam, sinistra hastam.*

Romæ Æternæ templum in Antonini Pii nummis observavimus, in quo cernebatur, ut in hoc, ejus signum sedens dextra Victoriam: quod nunc exhiberi auguramur, ob sacra Romæ pro Gordiano cive suo facta, ad victoriam contra Maximinum Thracem, & hostem appellatum obtinendam.

Hic nummus argenteus inter præstantiores adscribendus.

SECVRITAS AVG. *Figura muliebris sedens, dextra scipionem, sinistra sellæ innixa.*

Securitas P. Romani, Gordianorum contra Maximinum electione, in augurium designatur: nam post lectionem literarum Gordianorum ad Senatum, ipse clamavit: *Dii vobis gratias. Liberati ab hostibus sumus, si penitus liberemur.* Nulla enim post hanc electionem, nisi per Gordianos Romæ Securitas.

Hic nummus argenteus rarus est.



GOR-



GORDIANI AFR. junioris nummi argentei, ejusdem sunt, ac patris, elegantiæ, & raritatis; ex auro non observantur.

IMP. C. M. ANT. GORDIANVS AFR. AVG. *Caput Gordiani laureatum.*

PROVIDENTIA AVGG. *Figura muliebris stans, sinistra cornucopiæ brachio columnæ imposito, dextra radium: pro pedibus globus.* Hæc Augustorum providentia, de re frumentaria non intelligitur; sed Deorum providentia Gordianos fuisse electos denotat: matrona enim dextra radium, qua globum humi positum demonstrat, deorum providentia gubernari indicat: illi autem globum volvere ad libitum creduntur, & sic per hos Imperatores contra Maximinum ab iis esse provisum demonstratur.

Hic nummus argenteus inter rariores computandus.

VICTORIA AVGG. *Victoria gradiens, dextra protensa coronam, læva lauream.*

Nummus cum epigraphe & victoriæ typo in utroque Gordiano signatus, & quidem ex Senatusconsulto, haud dubie aliquam eorum victoriam contra Maximini duces relatam, etsi levem, indicat: ejusmodi typus in Othone, qui victus denique fuit, occurrit; cujus victorias mediocres indicat Suetonius.

Hic nummus argenteus, si partem anticam attendas, rarissimus est: si aversam, obvius.


VIRTVS AVGG. *Figura militaris dextra ramum, læva imposita clypeo hastam gerit.*

Hic Gordiani junioris peculiaris est typus, quum alios habeat plurimos patri respondentes: nam armorum virtus in juvenibus magis micat, ut Consul in Senatu ante acclamationes, pro iis pronuntiavit, *Gordiani senis felicitatem atque prudentiam, juvenis* virtutem, *atque constantiam læti experiamur.*

Hic nummus argenteus rarus est, & elegans.



BAL-



BALBINI nummi ex argento pro raris habentur, ex auro eximiæ raritatis sunt, & elegantiæ.

IMP. C. D. CAEL. BALBINVS AVG. *Caput Balbini radiatum.*
AMOR MVTVVS AVGG. *Duæ dextræ junctæ.*
Senatus ut olim habuerat duos consules, sic duos Imperatores elegit, quasi reipublicæ formam restituere vellet: quod unus eorum Pupienus, contra Maximinum hostem appellatum profectus, dixit militibus apud Herodianum, *Neque enim unius tantum hominis peculiaris possessio principatus est, sed communis antiquitus totius P. Romani.* Unde inter eos *amor* mutuus exoptatur.
Hic nummus argenteus rarissimus est.

CARITAS MVTVA AVGG. *Duæ dextræ junctæ.*
Dextræ illæ duæ in nummis Balbini, & Pupieni signatæ concordiam eorum indicare videntur, quæ Amore mutuo, & Caritate mutua conservatur: porro differt Amor a Caritate, quod Amor sit Caritatis species, & hæc tantum ad homines pertineat; Caritas debet esse mutua, id est alterius in alterum par, & æqualis.
Hic nummus argenteus rarissimus est.

CONCORDIA AVGG. *Duæ dextræ junctæ.*
Concordiæ symbolum dextræ sunt junctæ; dextra autem se antiqui venerabantur, & per dextram jurabant, tanquam fidei sedem, virtutis ministram. Porro Capitolinus concordiam inter duos illos Augustos non omnino fuisse adnotat, *Et erant quidem discordiæ*

inter Balbinum, & Pupienum, sed tacitæ, & quæ intelligerentur potius, quam viderentur.

Hic nummus argenteus rarus est.

FIDES MVTVA AVGG. *Duæ dextræ junctæ.*

Non modo Amoris mutui, Caritatis, & Concordiæ, quorum dextræ junctæ sunt symbola, sed etiam Fidei mutuæ, quæ omnia in duobus requiruntur Augustis. Non modo autem sufficit, quod, quis sua Fide promisit, servare debeat, sed illud alter etiam servet, necesse est. Plautus ait Capt. sc. 3. act. 2. *Fac, fidelis sis fideli.*

Hic nummus argenteus rarus est.

IOVI CONSERVATORI. *Jupiter nudus stans, dextra fulmen, sinistra hastam.*

Jovis Conservatoris in Augustorum nummis effigies sæpe cælata, ad acclamationes publicas potius spectat, quam ad peculiarem Imperatoris eventum, ut in Domitiano, qui sacellum Jovi exstruxit: quod in seditione Vitelliana ab eo conservatus fuisset. Ita Capitolinus in Balbini, & Pupieni electione conclamatum ait, *Maxime, & Balbine Augusti, dii vos servent: dii vos principes fecerunt, dii vos conservent.*

Hic nummus argenteus non obvius est.

LIBERALITAS AVGVSTORVM. *Figura muliebris stolata stans, dextra tesseram, sinistra cornucopiæ.*

Congiarium P. Romano datum arguit nummus, licet de illo sileant Historici. Herodianus quidem de Pupieno narrat, *Hæc loquutus Maximus, ac pecunias magna copia pollicitus*, quas Romæ cum Balbino, & Gordiano distributas per donativum militibus, & populo per liberalitatem nos docent nummi ærei tres hos principes exhibentes.

Hic nummus argenteus pro raro notatur.

PATRES SENATVS. *Duæ dextræ junctæ.*

Senatus declarato hoste Maximino, & occisis in Africa novis Imperatoribus Gordianis, ut se a furore ejus vindicaret, in ædem Concordiæ concurrit, & ex Senatoribus duos Imperatores elegit: unde illi in nummis se tantum Patres Senatus inscribunt, cum dextrarum

rum junctarum lemmate, ad denotandam eorum cum ipso concordiam.
Hic nummus argenteus rarissimus est.

PAX PVBLICA. *Figura muliebris sedens, dextra ramum, læva hastam.*
Interempto hoste publico, Pax publica jure pronuntiatur; nullum enim erat cum barbaris bellum, nam ut Pupienus ipse ait, apud Herodianum, *Ut autem barbaræ etiam gentes* Pacem *quietemque tueantur, nobis curæ erit hic labor*. Sed dum ex hac pace, ipsi Augusti beata vita, bonisque omnibus affluente gaudere debuissent, militum seditione paucis ab hinc mensibus occisi sunt.
Hic nummus argenteus non obvius est.

PIETAS MVTVA AVGG. *Duæ dextræ junctæ.*
Si Amor, Caritas, & Fides mutua inter duos Imperatoros exoptetur, Pietas etiam inter eos mutua desideratur: quasi essent fratres, & parentum loco sese debitò cultu mutuo complectantur, ac honestam de fide, atque mente utriusque opinionem ambo habeant.
Hic nummus argenteus inter rariores habendus.


P. M. TR. P. COS. II. P. P. *Figura togata stans, dextra ramum oleæ, sinistra scipionem.*
A tempore, quo Augustus Pontificatum maximum cum imperio conjunxit, penes seniorem Augustum, hæc dignitas tantum resederat, sed Balbinus, & Pupienus ambo eam habuerunt, teste Capitolino, *Decretis ergo omnibus imperatoriis honoribus, atque insignibus, percepta Tribunitia potestate, jure proconsulari*, Pontificatu maximo, *patris etiam patriæ nomine, meruerunt imperium*. Balbinus pro Genio Senatus exhibetur.
Hic nummus argenteus pro raro numeratur.

PROVIDENTIA DEORVM. *Figura muliebris, dextra ramum, pro pedibus globus.*
Licet a Senatu Balbinus, & Pupienus creati Imperatores fuissent; attamen, ut istud fieret, Providentia Deorum procuratum designare in nummis voluerunt. Ideo mulier depingitur dextra radium gerens, & globus pro pedibus ejus adponitur.
Hic nummus argenteus non obvius.


VI-

VICTORIA AVGG. *Victoria stans, dextra coronam, læva palmam.*
Ad Victoriam de Maximino relatam spectat, de qua ait Capitolinus, *Et Maximinus quidem apud Aquilejam ita victus est, ut a suis occideretur.* Duces cum summa potestate jam consulares, lecti a Senatu, Crispinus ac Menophilus contra Maximinum, qui ut Aquileja diuturniorem sustineret oppugnationem, procurabant, donec veniret cum exercitu Pupienus.
Hic nummus argenteus rarus est.

VOTIS DECENNALIBVS. *In laurea.*
Notum utique nova imperii auspicia a Decennalibus votis petita esse. De Balbino, ac Pupieno, ait Capitolinus, *Egressi a Senatu primum Capitolium ascenderunt, ac rem divinam fecerunt.* Non autem conviviorum solum, sed & omni præterea ludorum solemnitate, illa peragebantur, de quibus idem Auctor, *Celebratisque sacris, datis ludis scenicis, ludisque circensibus.*
Hic nummus aureus rarissimus est.



PU-



PUPIENI nummi ex argento pro raris notantur, ex auro eximiæ ſunt raritatis.

IMP. CAES. M. CLOD. PVPIENVS AVG. *Caput Pupieni radiatum.*
AMOR MVTVVS AVGG. *Duæ dextræ junctæ.*
Quum duo Imperatores eſſent a Senatu electi, qui rempublicam pari poteſtate adminiſtrarent, ut ait Herodianus, ne rurſus principatus auctoritas in tyrannidem proveheretur; ideo *mutuus amor* inter eos exoptatur: nam, ut oſtendit Cicero, Amor (ex quo amicitia nominata eſt) princeps eſt ad benevolentiam conjungendam.
Hic nummus argenteus rarus eſt.

CARITAS MVTVA AVGG. *Duæ dextræ junctæ.*
Idem Caritatis mutuæ elogium, quod in Balbini nummis retulimus, in Pupieno obſervatur, quum inter eos mutua Caritas exoptaretur, qui pari imperio rempublicam gubernandam ſuſceperant, quam fide data per dextrarum ſymbolum, ſibi invicem promiſiſse videntur.
Hic nummus argenteus rarus eſt.

CONCORDIA AVGG. *Duæ dextræ junctæ.*
Dextræ junctæ ad denotandam inter Pupienum, & Balbinum concordiam expreſsæ ſunt, quæ ut plurimum rara eſt, nam ut ait Herodianus, *Regnandi eſt inexhauſta aviditas, atque incommunicabilis natura poteſtatis*. Uterque enim, ipſo teſte, ad ſe ſummam imperii trahebat.
Hic nummus argenteus rarus eſt.

FELI-

FELICITAS AVGG. *Figura muliebris ſtans, dextra caduceum, ſiniſtra haſtam.*

Hæc Felicitatis Auguſti epigraphe, vel ad acclamationes publicas Pupieno, & Balbino factas ſpectat, de quibus Capitolinus, *Felices vos judicio Senatus: felicem rempublicam veſtro imperio*; vel ad pacem interempto Maximino ſtabilitam, cujus temporibus Felicitas magis regnat; unde mulier caduceum pacis ſymbolum gerit.

Hic nummus argenteus rariſſimus eſt.

FIDES MVTVA. *Duæ dextræ junctæ.*

Ut Fides militum in electione principis, per dextram ſignum militare tenentem, pro concordiæ ſymbolo habetur: ita ſibi dextras ad Fidem mutuam ſibi præſtandam, junxiſse Pupienum, & Balbinum veriſimile eſt; in cujus rei memoriam illas in nummis exprimere ambo voluerunt.

Hic nummus argenteus inter rariores habetur.

IOVI CONSERVATORI. *Jupiter nudus cum haſta, & fulgure.*

Imperatores mox rem divinam, quum erant electi, faciebant: ideo Jovi Conſervatori ſe commendabant; ſed Herodianus Pupienum, & Balbinum in ipſo Capitolini Jovis templo eſse vocatos *quaſi teſte, & conſeſſore, atque adeo rerum omnium inſpectore Deo.* Unde illi Jovi Conſervatori ſacra fecerunt.

Hic nummus argenteus non obvius eſt.

LIBERALITAS AVGVSTORVM. *Figura muliebris ſtans, dextra teſſeram, læva cornucopiæ.*

Principes Romani ſub imperii auſpicia, ut populi Romani gratiam ſibi conciliarent, congiarium erogare ſolebant, quorum tamen memoriam vix aliunde quæras, quam ex ſuperſtitibus eorum nummis: quis enim Pupieni, & Balbini Liberalitatem memorat, præter inſignes illorum nummos?

Hic nummus argenteus rarus eſt.

PATRES SENATVS. *Duæ dextræ junctæ.*

Pupienus, & Balbinus ſe *Patres Senatus* inſcribunt, ut a Senatu imperium accepiſse denotarent, quem tamen titulum ulceroſi animi militum haud æquis auribus accipiebant, *indigne*, ut loquitur Herodia-

rodianus, *ferentes datos sibi a Senatu Principes*: Quum per hanc electionem ille triumphare de militibus videretur.
Hic nummus aureus inter elegantiores habetur.

PAX PUBLICA. *Figura Pacis sedens cum ramo, & hasta.*
Bellum contra Maximinum vocabatur publicum, quum apud Capitolinum, ipse Imperator hostis publicus appelletur, *Jussum tunc tamen, ut omnia ex agris in civitates colligerentur, nequ d hostis publicus inveniret*; ergo illo interempto, jure Pax publica dicta est, cujus memoria in nummis consignata est.
Hic nummus argenteus nec rarus, nec obvius est.

PIETAS MUTUA AUGG. *Duae dextrae junctae.*
Per mutuam inter Pupienum, & Balbinum Pietatem, amor illius erga hunc, quo se invicem colerent, intelligendus: sed publica eorum Concordia potius videbatur, quam privata, quum apud Capitolinum iratus sit Balbinus, quod a Senatu Pupieno statua equestris aurata fuisset, ob interemptum Maximinum, decreta.
Hic nummus argenteus rarissimus est.

* P. M. TR. P. COS. II. P. P. *Figura muliebris stans, dextra caduceum, sinistra hastam.*
Interemptis Gordianis duobus in Africa, & declarato a Senatu hoste Maximino Balbinus, & Pupienus electi sunt Imperatores, collata tribunitia potestas, & Pontificatus maximus. Tunc primum duo Pontifices Maximi visi sunt, quum unus dumtaxat semper fuerit usque ad eam diem. In hoc nummo exhibetur figura muliebris stolata stans, dextra caduceum gestans ad indicandam pacem, & hastam in sinistra contra hostium aggressiones, & pro imperii tutela.
(1) *Hic nummus aureus rarissimus est, argenteus non obvius.*

PROVIDENTIA DEORUM. *Figura muliebris stans, sinistra cornucopiae, dextra ramum, quo tangit globum.*
Etiamsi a Senatu Pupieni, & Balbini ad imperium electio facta sit, ipsi tamen populo insinuare *Deorum providentia* id actum fuisse volebant, per eos mundum gubernari indicantes, in quo nihil prorsus evenit, quod ab illis ante non fuerit jam decretum.
Hic nummus argenteus non obvius est.

(1) In thesauro Saxengothano.

VICTORIA AVGG. *Victoria gradiens, dextra sertum, sinistra palmam.*


Nulla magis a Senatu, & populo exoptata fuit Victoria, quam contra Maximinum hostem publicum ab iis declaratum, qua de re Capitolinus, *Sed tantum valuit bellum Maximo, quia profectus est contra Maximinum, ut etiam Victoria decerneretur.* Idem est Maximus, & Pupienus, nam in ejus nummis Pupienus Maximus dicitur. *Hic nummus ex argento rarus est, ex auro rarissimus.*

VOTIS DECENNALIBVS. *In laurea.*

Sub imperii auspicia supplicationes, ludi, & præsertim vota pro salutis principe celebrari solebant: hæc quidem decennalia vocabantur, quod omni decennio solverentur; unde in quibusdam nummis *vota soluta*, & tunc in alterum decennium suscipiebantur, unde in aliis *vota suscepta*. Sed illa a *votis decennalibus* auspicabantur. *Hic nummus argenteus inter elegantiores recensendus.*



GOR-



GORDIANI PII nummi ex auro minus frequentes ſunt, quam ex argento.

★ IMP. GORDIANVS PIVS FEL. AVG. *Caput Gordiani laureatum.* AETERNITAS AVG. *Sol nudus pallio in brachium ſiniſtrum rejecto, dextra elata, ſiniſtra globum.*
Diuturnum imperium Gordiano adoleſcenti augurabantur omnes, quod tamen breve admodum fuit, vix ſex annorum curſu completo, fraude, & proditione Philippi. Æternitatis ſymbolum Sol fuit apud Ægyptios, quod numquam ſeneſceret, ſed perpetua juventa floreret.
(1) *Hic quinarius argenteus inter rariores collocandus.*

IMP. CAES. M. ANT. GORDIAN. PIVS AVG. *Caput Gordiani laureatum, in aliis radiatum.*
CONCORDIA MILIT. *Figura muliebris ſtolata ſedens, dextra pateram, læva cornucopiæ.*
Gordianus XIII. annorum puer, Balbino, & Pupieno Imperatoribus a Senatu electis, acriter pro principe poſtulatus eſt, ut narrat Herodianus, *Nam ipſi ex Gordiani genere principem ſibi depoſcebant.* Sed iis a militibus occiſis, ſolus ab illis Imperator appellatus eſt; hinc nummus cum epigraphe *Concordia militum.*
Hic nummus ex argento obvius eſt, ex auro inter rariores recenſetur.

DIANA LVCIFERA. *Figura muliebris ſtolata ſtans, ambabus manibus facem protendit.*

(1) In muſeo Editoris.

In gratiam matrimonii Gordiani cum Tranquillina Misithei præfecti prætorii filia signatus est nummus, quam Dianam Luciferam, Augustarum superiorum exemplo, appellarunt. Diana facem ambabus manibus tenet, quod ejus sacra noctu fierent.
Hic nummus argenteus rarus est.

LIBERALITAS AVG. *In aliis* II. III. IIII. *Figura muliebris stolata stans, dextra tesseram, læva cornucopiæ.*
Congiaria quatuor a Gordiano distributa P. Romano nummi nos edocent; primum quidem numeratur, dum Cæsar factus est, nam in æreis cum Balbino, & Pupieno observatur; secundum, quando imperium suscepit; tertium, pro ipsius cum Tranquillina matrimonio; quartum denique, ante ipsius discessum ad bellum Parthicum.
Omnes liberalitatis typi non obvii sunt, in argento II. *&* III. *frequentes sunt, rarus vero* IIII. *Omnes ex auro rari.*

PIETAS AVGG. *Instrumenta pontificalia.*
Ad Gordianum, factum Cæsarem spectat, denotatque eum ex more sacerdotium accepisse, primi fastigii tyrocinium; nam ipsi Cæsares, ut indicat Neronis nummus, in omne collegium cooptabantur: sub qua dignitate sacris, ac cæremoniis deorum imbuti, deinde cum imperio Pontificatum maximum suscipiebant.
Hic nummus argenteus inter præstantiores adnumeratur.

P. M. TR. P. II. COS. P. P. *Imperator eques pacificatoris habitu dextram attollens.*
Statua videtur equestris a Senatu Gordiano decreta in secunda ejus Tribunitia potestate, quasi in urbem rediret victor, Sabiniano in Africa, per Mauretaniæ præsidem oppresso.
Hic nummus argenteus de rariorum numero est.

P. M. TR. P. III. COS. II. P. P. *Quadrigæ, quibus insidet Imperator a Victoria coronatus.*
Ad Gordiani processus consulatus secundi pompam, spectare nummum docet inscriptio Tribunitiæ potestatis III. quum in illa eum inierit cum Aurelio Pompejano, qua die in curru per Urbem solemni pompa in Capitolium ex domo sua consules vehebantur, qui quasi de subjectis hostibus triumphare videbantur, ex Hieronymo ad Marcell.
Hic nummus argenteus præstantissimus est.

Ea-

★ *Eadem epigraphe. Figura muliebris sedens, dextra extensa ramum, sinistro cubito sellæ innixo.*

Hoc typo significatur pax, qua Imperium fruebatur pacato intestino bello, atque extincta factione in Africa a Sabiniano adversus Gordianum excitata.

(1) *Hic quinarius argenteus rarus est.*

PUDICITIA AUG. *Figura muliebris sedens, dextra faciem velo obducit.*

Ipsa est Tranquillina Gordiani uxor sub Pudicitiæ deæ effigie, ad indicandam ipsius castitatem: nam quum nulla arte reparabilis esset pudicitia læsa, conspicuam reddebat fœminam principem. Velo illa faciem obumbrat, matronarum Romanarum exemplo, dum per vicos incedebant.

Hic nummus argenteus inter raros locum meretur.

VENUS VICTRIX. *Figura muliebris stolata stans, dextra galeam, sinistra hastam transversam.*

Ad Tranquillinam spectat Veneris Victricis typus in aversa conjugis nummi parte cælatus, quum illa sub Veneris effigie exhibeatur, & quidem Victricis: Venus autem formæ, & voluptatis dea, per fœmineas blanditias victoriam de hominibus etsi bellicosis referre solet. Templum illius deæ erat Romæ in theatro Pompeii.

Hic nummus argenteus inter rariores habendus.

★ VICTORIA AUG. *Imperator eques dextrorsum lento passu incedens, dextra extensa, sinistra hastam transversam.*

Hæc Victoria nulla alia esse potest, quam illa, quæ relata est in Africa de Sabiniano, *quem Gordianus*, ut refert Capitolinus, *per præsidem Mauritaniæ obsessum a conjuratis ita oppressit, ut ad eum tradendum Carthaginem omnes venirent, & crimina confitentes, & veniam sceleribus postulantes*. Victoriæ enim Persicæ decretus fuit triumphus in quadrigis elephantorum, quo Imperator crudeliter interemptus frui non potuit.

(2) *Hic nummus argenteus præstantissimus est.*

VICTO-

(1) In museo Editoris.

(2) In museo D. Abb. de Rothelin.

VICTORIA GORDIANI AVG. *Victoria gradiens, dextra sertum, sinistra palmam.*

In memoriam victoriæ contra Sabinianum Carthagine ab Africanis Imperatorem appellatum, per Mauretaniæ præfectum relatæ: hanc memorat Capitolinus anno V.C. 993. Venusto, & Sabino Coss. Quanta est populorum volubilitas Carthaginensis, patrem, & avum, contra ferocem Imperatorem Augustos acclamant, conra nepotem benignum principem rebellant.

Hic nummus argenteus rarus est, & elegans.


ΜΗΤΡΟ. ΚΑΙΣΑ. Β. Ν. ΕΤ. Δ. *Mons Argæus.*

A Cæsariensibus Cappadociæ signatus est nummus, anno imperii Gordiani quarto; nempe quando ad Persicum bellum profectus est. Se Metropolitas inscribunt, quum hanc dignitatem sub Antonino Pio adepti sint, ut in nummis imperialibus Græcis ostendemus. Bis Neocori dicuntur, quum primam Neocoriam a Caracalla, & secundam ab hoc principe obtinuerint.

Hic nummus argenteus ad maximum modulum attingens, inter rariores reponendus.



TRAN-



TRANQUILLINÆ nummi ex argento insignis elegantiæ, & raritatis sunt; ex auro hactenus non observati.

SABINIA TRANQVILLINA AVG. *Caput Tranquillinæ.*
CONCORDIA AVGVSTORVM. *Gordianus togatus dextram porrigit Tranquillinæ capite velato.*
Furia Sabinia Tranquillina Misithei filia nupsit Gordiano, cui in ejus nummis dextram porrigit, ad conjugalem concordiam denotandam. Sabinia & non Sabina dicitur; illud gentis nomen, hoc tantum cognomen in nummis Latinis, Furia in Græcis adjuncto aliquando Sabiniæ nomine; nec mirum duplici nomine fœminas fuisse insignitas.
Hic nummus argenteus summæ raritatis est.



PHI-



PHILIPPI ſenioris nummi ex argento vulgares ſunt, ex auro inter rariores habentur.

IMP. C. M. IVL. PHILIPPVS AVG. *Caput Philippi laureatum, in aliis radiatum.*

ADVENTVS AVG. *Imperator eques, dextram elevans, ſiniſtra pilum.*

Gordiano a militibus occiſo in Meſopotamia Philippi artibus, hic ab iis appellatus Romam venit, ut innuit Zoſimus, *Ubi Romam veniſſet, ordinis Senatorii viros oratione benigna ſibi conciliavit.* In adventus hujus memoriam, ille in equo Pacificatoris habitu repræſentatur.

Hic nummus argenteus nec rarus, nec obvius eſt.

AETERNITAS AVGG. *Elephas cum rectore.*

Æternitas Auguſtorum, & Æternitas imperii varie depinguntur in Philippi nummis: illa quidem, per elephantem ſolemne æternitatis ſymbolum deſignatur, quaſi optarent, ut Philippi vita ita prolongaretur, ac elephantis, qui longiſſime vivere traditur.

Hic nummus argenteus rarus eſt.

AETERNITAS IMPERII. *Figura nuda Solis capite radiato, dextram elevans, læva flagrum.*

Æternitas imperii Philipporum per Solem, in nummis ſub figura Juvenis nudi, capite radiato depictum, tanquam ſidus æternum, a Romanis repræſentatur, qui Græcorum more, ut refert Jac. Oiſelius,

lius, hoc symbolum mutuarunt ab Ægyptiis, qui Solem, & Lunam sidera æterna existimabant.

Hic nummus argenteus inter rariores habetur.

ANNONA AVG. *Figura muliebris stolata stans, dextra spicas modio imponit.*

Romani principes sub auspicia imperii annonæ, ut sibi populos devincirent, providere solebant, quam Philippus mox procurasse videtur: præsertim quum Imperator ab Urbe per aliquot annos abfuisset, cujus rei memores Romani diligentiam Philippi in nummis per mulierem spicas modio imponentem expresserunt.

Hic nummus argenteus vulgaris est, ex auro rarissimus.

* FIDES MILITVM. *Figura muliebris stans, dextra signum militare, sinistra cornucopiæ.*

Philippus, ut securius imperium Gordiano abrogaret, seque a militibus Imperatorem creari facilius obtineret, avertit primum naves frumentarias, inque ea loca milites adduxit, in quibus annona haberi non posset; ut narrat Capitolinus; sparsit deinde rumorem Gordianum adolescentem esse, atque regendo exercitui imparem, eumque melius imperaturum, qui exercitum, & rempublicam gubernare sciret. Imperium itaque demandatum a militibus Philippo est: quod ut a militibus acceptum, atque ab iisdem conservandum significaret, Fidem militum in nummis consignari jussit.

(1) *Hic nummus aureus rarissimus est.*

LIBERALITAS AVG. *In aliis* II. *in aliis* III. *Figura muliebris stolata stans, dextra tesseram, sinistra cornucopiæ.*

Philippus Imperator factus, ubi primum Romam ex bello Persico rediit, congiarium populo rependit anno 998. Secundum anno 1000. cum ludis sæcularibus. Tertium anno 1001. tertio consulatu cum filio II. suscepto, ut nummi ejus ærei testantur cum epigraphe COS. III. & liberalitatis III. typo.

Hi nummi argentei obvii sunt, ex auro rarissimi.

PAX AETERNA. *Pax stans dextra ramum olivæ, sinistra hastam.*

Sapor Persarum Rex in Populi R. ditionem ingressus, jam Syriam inva-

(1) In thesauro Austriaco Vindobonensi, olim PP. CC.

invaserat, ex qua Gordianus eum expulit: sed eo principe occiso, Philippus pacem cum illo inivit, ut narrat Zosimus, *Is sacramentis intervenientibus, amicitia cum Sapore constituta, belloque sopito Romam proficiscitur*. Sed hæc non fuit Æterna, nam populo instigante, bellum redintegrare coactus est.

Hic nummus aureus inter raros habendus.

PAX FVNDATA CVM PERSIS. *Figura muliebris stolata stans, dextra extensa ramum, sinistra hastam transversam.*

Pacem cum Persis fecisse Philippum memorat quidem Zosimus, sed ad eam obtinendam, ipsis Mesopotamiam, & Armeniam concessisse nos edocet Zonaras, *cum Sapore Persarum rege pacem fecit, Mesopotamia, & Armenia concessis*. Bellum Philippus per fratrem cum Sapore renovavit, sed ob bella civilia nihil profecit.

Hic nummus argenteus inter rariores recensetur.

PIETAS AVGG. *Capita Otaciliæ, & Philippi junioris adversa.*

Pietas est debitus cultus erga Deum, sed latius pietatis nomen sumitur, ut amorem erga parentes, & propinquos complectatur: Philippus hic suam erga uxorem Otaciliam, & filium Philippum, quem Cæsarem sub imperii auspicia nominavit, denotat: dum eam, circa utriusque imaginem, inscribere curavit.

Hic nummus argenteus insignis elegantiæ, & raritatis est.

★ *Eadem epigraphe. Caput Otaciliæ tantum.*

Pietatem significari voluit in hoc nummo Imperator, qua Otaciliam uxorem prosequebatur, & vicissim, qua Otacilia in Philippum ferebatur. Pietatem mutuam in nummis Pupieni, & Balbini vidimus insculptam, & in hoc Philippi Pietatem Augustorum videmus.

(1) *Hic nummus argenteus rarissimus est.*

P. M. TR. P. II. COS. P. P. *Imperator togatus sedet, dextra globum, sinistra parazonium.*

Philippus in sede curuli sedet togatus dextra globum sustinens, tanquam *Rector orbis*; togatus est, Senatoris habitu, in urbem ex bello Persico reversus. Sella curulis, & parazonium quod læva gerit, sum-

(1) Apud Franciscum Ficoronum.

summi magistratus insignia sunt. Adulatorie Romani principes orbem, Jovis exemplo, regere dicebantur.

Hic nummus ex auro inter rariores numerandus.

* PROVINCIA DACIA AN. II. *Figura muliebris stans inter aquilam, & leonem, dextra tenens vexillum, in quo* V. *& sinistra aliud vexillum, in quo* XIII.

Daciæ jam usque a Trajano in provinciam Romanam redactæ, impositæ fuerant pro custodia a Barbarorum incursibus legiones duæ, videlicet V. Macedonica dicta, & XIII. Gemina. Has indicant duo vexilla adpositis numeris non solum, sed etiam insignia; Aquila enim gestans corollam in rostro insigne erat legionis V. Macedonicæ, & Leo legionis XIII. Geminæ, ut cernere est in nummis Gallieni. Annus in imo signatus annus est secundus imperii Philippi.

(1) *Hic nummus argenteus maximi moduli inter rariores locum habet.*

ROMAE AETERNAE. *Roma sedens super clypeum, dextra Victoriam, sinistra hastam.*

In memoriam sacrificii Romæ in ejus templo, de quo sæpe egimus, a Philippo, post ipsius in Urbem adventum, perpetrati: quum populus Romam ipsam, sub cujus tutela esset, pro dea coleret, adinstar Græcorum, qui ipsi templa construxerunt, ut in eorum nummis legitur: ΘΕΑ ΡΩΜΗ.

Hic nummus argenteus est obvius, ex auro rarissimus.

SAECVLVM NOVVM. *Templum exastylum, in quo Jupiter sedens.*

Quod *Sæculum novum* exhibent nummi Philippi ex argento, idem est, quod æreis *Milliarium Sæculum* denotat: nempe sæculares ludos anno millesimo ab Urbe condita per eum celebratos, quorum cura Quindecimviris erat demandata. Vide apud Capitolinum in Gordiano, qua munificentia Philippus eos ediderit. Templum, Jovis Capitolini est.

Hic nummus argenteus pro raro notatur.

SPES FELICITATIS ORBIS. *Figura muliebris stolata stans, dextra florem, sinistra vestem sublevat.*

(1) In medio Editoris.

Philippus, quum Senatus, populique Romani gratiam omnimode sibi conciliasset, & militum animos donativo demulsisset, *hoc modo*, ut ait Zosimus, *stabili se potiturum imperio arbitratus*; quod orbis sub ejus imperio, Felicitate gauderet, in spem venit; itaque ejus dominatio, *Spes Felicitatis Orbis*, dicta est.
Hic nummus argenteus inter rariores habetur.

VICTORIA AVG. *Victoria gradiens, dextra coronam, læva palmam gerit.*
Nummus ille maximus in Syria percussus, ex forma videtur; an in bello, quod pace abrogata, Persis indixit, quum provincias ipsis relictis recuperaret, sed id aliis gravioribus exortis, promissione restitutionis provinciarum compositum est. Romæ nummos ex argento maximos non observamus signatos, quod hac forsan moneta non uterentur Romani.
Hic nummus maximi moduli rarissimus est.

VICTORIA CARPICA. *Victoria gradiens, dextra sertum, sinistra palmam.*
Carpi Sarmatiæ Europææ populi provincias Romanas devastabant, in quos profectus Philippus, eos coercuit, teste Zosimo, *Ipse contra Carpos expeditionem suscepit, qui jam Istro vicina loca populabantur*. Cum iis tandem pace inita, Romam rediit, in cujus memoriam percussi sunt nummi.
Hic nummus argenteus inter præstantiores numeratur.

VIRTVS AVGG. *Duæ figuræ equestres decurrunt.*
Duæ illæ figuræ equestres, ambo Philippi sunt, pater, & filius; decurrunt, ad expeditionem nempe Carpicam; at quum Zosimus patrem ad hoc bellum fuisse profectum narrat, nummi filium parentem comitatum esse nos docent. Virtus Augg. in nummis inscribitur, quum illa in duce apprime requiratur.
Hic nummus ex auro rarissimus est; ex argento obvius.

OTA-



OTACILIÆ nummi ex argento ſunt obvii, ex auro rariſsimi.

MARC. OTACIL. SEVERA AVG. *Caput Otaciliæ.*

MARC. OTACIL. SEVERA AVG. *Caput idem.*

Caput idem in utraque parte ſignatum, non ad hiſtoriam ſpectat: ſed monetarum incuria, aut urgente neceſſitate videtur adpoſitum, ut in ærea noſtra moneta aliquando occurrit.

Hic nummus argenteus rarus eſt.

Nummi caput idem in averſa parte exhibentes, apud antiquitatis cultores pro raris habentur.

★ IMP. M. IVL. PHILIPPVS AVG. *Caput Philippi Patris radiatum.*

Plerique Auguſtorum juſſerunt ſculpi in eodem nummo ex una parte ſui faciem, & ex altera faciem ſuarum uxorum. In hoc præſtantiſſimo Otaciliam repræſentat prior nummi pagina, altera vero Philippum conjugem.

(1) *Hic nummus argenteus eximiæ raritatis, & præſtantiæ eſt.*

PIETAS AVG. N. *Figura muliebris ſtolata ſtans, dextra globum, ſiniſtra haſtam: pro pedibus icuncula.*

Icuncula pro pedibus Otaciliæ, filius ejus eſt Philippus, & nummus denotat matris pietatem in ipſo ad imperium educando: illi globum ejus ſymbolum oſtendit, nam Cæſar a patre jam fuerat declaratus, ideo dextram verſus eam tendit, tanquam accepturus, nam paulo poſt

(1) In muſeo D. Apoſtoli Zeno.

poſt Pater ei Trib. poteſtatem communicavit, imo & Imperator in nummis appellatus fuit, licet 12. annum tantum attigiſſet, quum interfectus eſt.

Hic nummus argenteus inter rariores adnumerandus.

PVDICITIA. *Mulier ſedens dextra velum trahit ſuper faciem, ſiniſtra haſtam tranſverſam.*

Nihil carius habuiſſe Auguſtas, quam Pudicitiam, teſtatur ſæpius in eorum nummis repetita ejus epigraphe. Unde ut dea Romæ culta eſt, & quidem ab omnibus fœminis: nam una Patricia, altera Plebeja erat, diverſaque habebant templa, unum in foro boario, alterum in vico longo.

Hic nummus aureus rarus eſt.

SECVRIT. ORBIS. *Figura ſedens, dextra ſcipionem.*

Securitas orbis pro ſecuritate imperii hic uſurpatur, quum imperium Romanum, orbis Romanus plerumque appelletur. Otacilia autem, ut Securitas orbis appellatur, ſic depingitur ſedens, tanquam imperium ſub ea quietum. Manu caput ſuſtentat, ut in ea requieſcens. Sceptrum tenet, imperii inſigne.


Hic nummus aureus eximiæ raritatis, & præſtantiæ eſt.

SAECVLARES AVGG. *Cippus.*

Ad ludos Sæculares anno ab Urbe condita milleſimo per Philippum maritum celebratos ſpectat: de quibus vide Capitolinum in Gordiano. Cippus eſt columna, quæ cum inſcriptione ad conſervandam rei alicujus memoriam ſolebat erigi: ut in nummis Auguſti videre eſt, ob vias munitas, & etiam ob ludos Sæculares ſub eo factos, ut in Domitiano, & Severo obſervavimus.

Hic nummus aureus inter rariſſimos reponendus.

PHI-



PHILIPPI junioris nummi ex auro rarissimi sunt; ex argento frequentes, & obvii.

M. IVL. PHILIPPVS NOB. CAES. *Caput Philippi sine laurea.*
PIETAS AVGG. *Instrumenta pontificalia.*
Instrumenta pontificalia in Philippo juniore cælata, eum sacerdotium imperii candidati, seu secundi fastigii symbolum, ut loquitur Ill. Spanhemius, reliquorum Cæsarum more, obtinuisse demonstrant: unde Pietas Augustorum erga Deum in sacris faciendis, vere denotatur.
Hic nummus aureus rarissimus est.

PRINCIPI IVVENT. *Figura paludata stans, dextra globum, læva scipionem: a tergo duo signa militaria.*
Principis Juventutis appellationem, futuræ imperii successionis symbolum esse sæpe diximus; adsunt in nummo signa militaria, quæ nobis militum consensu, eum ita fuisse a patre appellatum indicant. [Aureus alter est in museo D. Apostoli Zeno cum aliqua typi diversitate; nam figura paludata stans, dextra tenet signum militare, & sinistra hastam oblongam.]
Hic nummus aureus inter rariores habendus.

Eadem epigraphe. Figura paludata gradiens, dextra hastam, læva globum, subsequente milite.
Globus, quem tenet Philippus Princeps Juventutis appellatus, successionem in imperio futuram aperte demonstrat. Nam imperium per

per globum designari nemo nescit. Altera figura, quæ Philippum comitatur, ejus collega esse videtur, ut in decursionibus Neronis, & Getæ observamus.


Hic nummus argenteus rarus est.

IMP. PHILIPPVS AVG. *Caput Philippi laureatum, in aliis radiatum.*

VICTORIA AVGG. *Victoria gradiens, dextra coronam, sinistra palmam.*

Philippus filio imperium communicasse videtur, quum ad bellum contra Carpos profectus est: si quidem cum epigraphe VIRTVS AVGG. signati sunt nummi, in quibus ambo in equis ad hanc expeditionem currunt, & Imperator filius appellatur: quibus victis, & ex ditione Romana repulsis, nummus cum victoriæ typo, & Imperatoris titulo percussus est.

Hic nummus argenteus rarus est.



TRA-



TRAJANI Decii nummi ex argento frequentes ſunt, ex auro inter rariores numerantur.

* IMP. C. M. Q. TRAIANVS DECIVS AVG. *Caput Trajani Decii laureatum; in aliis radiatum.*

ABVNDANTIA AVG. *Figura muliebris e cornucopiæ nummos effundens.*

Abundantiam ad vivum repræſentat hic nummus, in quo exhibetur figura muliebris e cornucopiæ magnam vim nummorum effundens. Ubi autem pecunia abundat, omnia abundant. Trajanum Decium juſſiſſe nummos cudi in omnibus Romani imperii officinis monetariis credibile eſt.

(1) *Hic nummus aureus inter rariores collocandus, argenteus obvius.*

ADVENTVS AVG. *Figura equeſtris.*

Trajanus Decius a Philippo contra Marinum, quem Mœſiorum, & Pannoniorum legiones Imperatorem appellarant, miſſus fuerat: ſed eo occiſo legiones imperium Trajano etſi recuſanti detulerant; itaque in eum movit Philippus, ipſoque in prælio interempto, Romam cum omnium plauſu Trajanus venit.

Hic nummus argenteus eſt obvius, ex auro inter rariores habendus.

AEQVITAS AVG. *Mulier ſtans, dextra bilancem, ſiniſtra cornucopiæ.*

Nihil præter æquitatem deſiderans Decius, *Vir*, ut ait Sext. Aur. Victor, *artibus cunctis, virtutibuſque inſtructus*, bonitate Trajano adæ-

(1) In Theſauro Auſtriaco Vindobonenſi: olim PP. CC.

adæquatus eſt, nomenque Optimi Principis judicio Senatus meruit. Æquitas bilancem ad omnia ponderanda gerit, quum jus ſuum unicuique reddere debeat. Alii de jure cudendæ monetæ explicant. *Hic nummus aureus inter præſtantiores collocandus.*

* CONCORDIA AVGG. *Caput Herenniæ Etruſcillæ Lunæ bicorni inſiſtens, ex adverſo capita jugata radiata Herennii, & Hoſtiliani.* Quantam opem, & lucem nummi adferant hiſtoriæ, præſens hic ſingularis omnino, & præſtantiſſimus oſtendit. Redditur Trajano Decio ejus uxor Herennia Etruſcilla, duoque filii adſeruntur Quintus Herennius, & Hoſtilianus Quintus; quorum nomina quamvis hic non ſignentur, ſignantur tamen eorum vultus; eorumque nomina in nummis Græcis expreſſa habentur; & epigraphe *Concordia Augg.* ſatis demonſtrat mulieris caput uxorem Decii repræſentare, & capita jugata ejuſdem filios. Forte ſibi oblatum præclariſſimum hunc nummum, in Theſaurum Chriſtianiſſimi Regis tranſtulit P. Franciſcus Minius Bononienſis.

(1) *Hic nummus argenteus elegantia, & raritate inſignis, & conſpicuus eſt.*

DACIA. *Figura muliebris ſtans, dextra caput aſininum conto impoſitum.* Dacia in nummis Trajani Decii exhibetur, tanquam ab eo conſervata ſub imperio Romano: nam ut ait Zoſimus, *Ob inertem Philippi ſocordiam in omnibus, Scythæ Tanaim tranſgreſſi vicina Thraciæ loca prædis agendis infeſtabant*. Dacia autem ultra Thraciam erat; illa tenet contum, cui caput Aſininum eſt, Dacorum arma.
Hic nummus argenteus obvius eſt: ex auro inter rariores adſcribitur.

DACIA FELIX. *Figura muliebris ſtans, dextra ſignum militare.* Felices ſe nominabant provinciæ, & urbes, quæ imperio Romano accedebant; ideo Dacia ſignum militare, Romanum ſymbolum tenet, a Trajano adquiſita. *Felix* dicta eſt in antiqua illius inſcriptione apud Gruterum, *Cujus virtute* Dacia *imperio addita* Felix *eſt*.
Hic nummus argenteus rarus eſt; ex auro inter rariores.

GENIVS

(1) In Regio Pariſienſi theſauro.

* GENIVS EXERC. ILLVRICIANI. *Figura virilis galeata, & paludata stans, dextra pateram, sinistra cornucopiæ, a tergo signum militare erectum.*

Quum Decius ab exercitu Illyriciano plurimum dilectus, quod in ea regione ortus fuerit, ad imperium evectus fuisset, ejusdem memoriam in nummis sculptam voluit. Genius in nummis ita exprimi consuevit, nudus, pallio in humeros rejecto, sacra faciens, & cornucopiæ instructus ad indicandam frugum abundantiam.

(1) *Hic nummus aureus rarioribus adnumerandus.*

PANNONIAE. *Duæ figuræ muliebres cum signo militari.*

Pannoniæ in Trajani nummis signantur, quod ille ab exercitu Pannoniarum electus fuerit. Pannonia erat gemina, una superior dicta, in qua duæ legiones hiemabant Decima Gemina, & Decima quarta Gemina: altera inferior, in qua Prima Adjutrix.

Hic nummus ex argento nec rarus, nec obvius est, ex auro rarissimus.

VERITAS AVG. *Mulier stans, dextra coronam, sinistra cornucopiæ.*

Veritas pro Uberitas a monetario scripta est, quæ iis temporibus pro *Ubertas* dicebatur: omnes ejus typi in nummis occurrunt cum crumena, & cornucopiæ, quum eadem sit, quæ Abundantia, per cujus symbola, pecuniæ, & frugum, fructuumque omnium copia sub hoc Imperatore denotatur.

Hic nummus argenteus inter rariores collocandus.

VICTORIA AVG. *Victoria gradiens, dextra coronam, sinistra palmam.*

In memoriam Victoriæ, quam Trajanus Decius contra Scythas reportavit, de quibus loquitur Zosimus, *Quos aggressus Decius, & omnibus præliis superior, præda quoque recepta est.*


Hic nummus argenteus obvius est, ex auro rarissimus.

VICTORIA GERMANICA. *Imperator eques præeunte Victoria.*

Victoria Trajani quum de multis populis cujusdam partis Germaniæ simul in imperii provincias irruentibus esset reportata, *Germanica* est appellata: postquam brevi Romam redire cogitabat, Pacificatoris habitu, tanquam jam rediens, ipsa præeunte Victoria, depingitur.

Hic nummus argenteus rarissimus est.

(1) In museo D. Apostoli Zeno.



ETRUSCILLÆ nummi ex argento vulgares sunt, ex auro rarissimi.

* HER. ETRVSCILLA AVG. *Caput Herenniæ Etruscillæ, cum luna bicorni ad humeros.*

FECVNDITAS AVGG. *Figura muliebris stans, dextra extensa ad puerum coram stantem, sinistra cornucopiæ.*

Fecunditas in omnibus aliis nummis unis mulieribus Augustis tributa est; in hoc, fortasse etiam oscitantia monetarii, tribuitur Augustis, æque videlicet viro, ac mulieri.

(1) *Hic nummus argenteus rarus est.*

IVNO REGINA. *Juno stans, dextra pateram, sinistra hastam: ad pedes pavo.*

Etruscilla pro Volusiani uxore ab Antiquariis superioris ævi habita est, sed noster Seguinus ex nummo Regio illam Decii esse, pro more, elegantissime probavit. Hic sub Junonis Reginæ effigie, ut solebant Imperatorum conjuges, repræsentatur; tanquam esset alterà Juno, alterius Jovis uxor.

Hic nummus argenteus pro raro habendus.

HER. ETRVSCILLA AVG. *Caput Etruscillæ.*

PVDICITIA AVG. *Figura muliebris stolata stans, dextra faciem velo obducit; in aliis, eadem figura sedet.*

Nihil frequentius in Augustarum nummis quam *Pudicitiæ Augustæ* epi-

(1) In museo Editoris.


epigraphe; eam enim omnes ſtudioſe demonſtrare ambiebant, tanquam præcipuum principis fœminæ decus; quo ſe Trajano caram, ac conſpicuam Etruſcilla reddidit.
Hic nummus argenteus frequens, ex auro rariſſimus eſt.

SAECVLVM NOVVM. *Templum octo columnarum, in cujus medio figura ſedens.*
Typus hic Etruſcillæ non convenit, qui Otaciliæ forſan eſt, aut proculdubio Philippi, monetarii incuria in averſa hujus Auguſtæ nummi parte adhibitus: nam Sæculum novum in Philippo, ob ſæculares ludos anno ab Urbe condita milleſimo celebratos, cælatum eſt.
Hic nummus argenteus inter elegantiores habendus.

VBERITAS AVG. *Figura muliebris ſtolata ſtans, dextra crumenam, ſiniſtra cornucopiæ.*
Inſcriptio nummi Trajani Decii *Veritas Aug.* a nobis ſupra allata, eadem eſt, quæ *Uberitas Aug.* in Etruſcilla ejus uxore, litera B. in eo a ſcalptore omiſſa: nam utriuſque figura crumenam dextra, cornucopiæ læva gerit, ad indicandam pecuniæ, & frugum, fructuumque omnium ſub hoc imperio copiam.
Hic nummus argenteus rarus eſt.



Q. HE-



Q. HERENNII nummi ex argento rari, cum Imperatoris titulo rarissimi: ex auro eximiæ præstantiæ sunt.

Q. HER. ETR. MES. DECIVS NOB. C. *Caput Herennii laureatum; in aliis radiatum.*

CONCORDIAE. *Duæ dextræ junctæ.*

Duæ illæ dextræ junctæ ad concordiam inter Q. Herennium, & Hostilianum cognatum indicandam, in hoc nummo expressæ sunt, quum idem typus in nummis Hostiliani occurrat: hic autem erat Filius Hostiliani a Senatu Imperatoris post mortem Gordiani contra Philippum appellati, quem Cæsarem Decius, filia ei in uxorem data, appellavit, cui Romæ custodiam quum in Scythas profectus est, reliquit. [Vaillantius putavit Hostilianum fuisse generum Decii, cujus filiæ nupsisset. Modo apud recentiores Nummographos pro certo habetur Hostilianum filium fuisse Trajani Decii, & fratrem Q. Herennii natu majoris. Dextræ junctæ in hoc nummo potius indicant animorum concordiam inter Trajanum Decium, & Q. Herennium a patre titulo Cæsaris insignitum.]

Hic nummus argenteus rarus est.

IMP. C. Q. HER. ETR. MES. DECIO AVG. *Cap. Q. Herennii radiatum.*

MAR. PROP. *Mars gradiens, dextra hastam, læva clypeum.*

Herennio percusserunt nummum, dum proficisceretur ad bellum, quod vocant Germanicum, *Marti propugnatori* sacra facientes, ut illum pugnando contra barbaros defenderet: Mars autem ut erat belli

belli præses, etiam a Romanis, quod Romuli pater existimaretur, præcipue colebatur.
Hic nummus argenteus est rarissimus.

PIETAS AVGVSTORVM. *Instrumenta pontificalia. Alius cum Mercurio, & attributis.*
Instrumenta Pontificalia sacerdotium a patre filio tanquam imperii hæredi communicatum denotat, & ejus pietatem erga Deos in sacris faciendis arguit; sed cur Mercurius exhibetur? an quod sacrificia, & deorum cultus instituerit, ut innuit Diodorus lib. 1. Unde in nummo M. Aurelii æreo ipse visitur cum epigraphe *Relig. Aug.*
Uterque hic nummus inter argenteos rariores notatur.

PRINCIPI IVVENTVTIS. *Figura paludata stans, dextra scipionem deorsum, læva hastam transversam.*
Principis juventutis titulus solitum futuræ successionis imperii symbolum, in Q. Herennio, ut in aliis Cæsaribus exhibetur. Vir eruditissimus ob locum Lampridii, in quo dicitur, *Commodus inter Principes juventutis cooptatus*, existimat tres collegas fuisse ex Getæ nummo, in quo tres decurrunt equites, sed in altero perelegante quinque observantur.
Hic nummus argenteus inter rariores habendus. [*Et aureus longe præstantissimus in museo Theupolo.*]

★ IMP. C. HER. MES. DECIO AVG. *Caput Herennii radiatum.*
SECVRITAS AVGG. *Figura muliebris stans, sinistro cubito columnæ innixa, dextra capiti admota.*
Capitis epigraphe commendatur hic nummus, qua Etruscus Imperator, & Augustus nuncupatur. Securitatem, quam ex relatis Victoriis sibi pollicebantur Decius, & Etruscus in pugna, qua confligendum erat cum Carpis, eventus fefellit; ambo enim cæsi sunt.
(1) *Hic nummus argenteus rarissimus est, & singularis.*

SPES PVBLICA. *Templum sex columnarum, in quo Herennius paludatus stat cum hasta.*
Spes in Cæsarum nummis solitus est typus, quum de eorum juventute Spes bona conciperetur: ejus deæ ædes erant in foro olitorio, illius


(1) Apud D. Fauvel ex Bandurio t. 1. Numis. Imp.

illius templum novum in VII. regione, quod in hoc nummo videtur repræſentatum; ſed quis illud extruxerit, ignoratur: Decius vix quiete imperavit, ut ipſius munificentiæ tribui poſſit.
Hic nummus argenteus eximiæ raritatis eſt.

IMP. C. Q. HER. ETR. MES. DECIVS AVG. *Caput Herennii radiatum.*
VICTORIA GERMANICA. *Victoria gradiens cum ſerto, & palma.*
Quum Zoſimus Decium de barbaris victoriam retuliſſe referat his verbis, *quos aggreſſus Decius, & omnibus præliis ſuperior, præda quoque recepta,* Victoriæ nuntius ante ejus mortem adſportari Romam potuit, unde nummi cum Victoriæ typo cuſi ſunt. Imperator dicitur Q. Herennius, quod eum imperii participem fecerit, quando ad hoc bellum profectus eſt pater.
Hic nummus argenteus rariſſimus eſt.



HO-



HOSTILIANI nummi ex argento rari ſunt, cum titulo Imperatoris rariores: ex auro rariſsimi.

C. VAL. HOSTIL. MES. QVINTVS NOB. C. *Caput Hoſtiliani radiatum*; *in aliis*, C. OVAL. OSTIL. MES. COVINTVS CAES. AVG. *in aliis*, IMP. *&c.*

ADVENTVS AVG. *Imperator eques dextram elevans, ſiniſtra ſpiculum gerit.*

Non convenit titulus Auguſti in averſa nummi parte exaratus, cum nomine Cæſaris, quod circa Hoſtiliani caput legitur, idcirco nec typus, nec epigraphe *Adventus* ad eum ſpectat, ſed Decii ſoceri [Patris] eſt, monetarii incuria cum ejus effigie conjuncta; nam Hoſtiliani in Urbem ex nulla regione adventus, apud Hiſtoricos memoratur. *Hic nummus argenteus rariſſimus eſt.*

CONCORDIA AVGG. *Duæ dextræ junctæ.*

Eædem dextræ junctæ in nummis Hoſtiliani, & Q. Herennii, eorum concordiam indicant: nam ille hujus ſororem acceperat in uxorem, & a Decio adoptatus erat [Hoſtilianus frater erat Herennii natu minor, non cognatus]; ne cum ipſe & filius eſſent ad bellum Germanicum profecti, nova quidem in ejus gratiam moliretur Senatus, qui illius patrem Hoſtilianum contra Philippum appellaverat. *Hic nummus argenteus inter rariores habendus.*

MARTI PROPVGNATORI. *Mars gradivus, dextra haſtam, ſiniſtra clypeum.*

Multi typi Hoſtiliano, & Q. Herennio communes ſunt, utpote ſi-

mul Cæſaribus: unde hic *Marti propugnatori* dicatus, in Q. Herennio, ob ſacra huic deo facta pro ipſius profectione ad bellum Germanicum, etiam Hoſtiliano datur, quod Mars etiam bellator, ad arcendos hoſtes diceretur.
Hic nummus argenteus non obvius eſt.

PIETAS AVG. *Inſtrumenta pontificalia.*
Pietatem Hoſtiliani erga deos indicant pontificalia inſtrumenta in ejus nummis expreſſa, ob ſacerdotium, quod Imperii candidatis a Principe conferebatur, Auguſti primùm exemplo: unde mos ad alios Imperatores, erga Cæſares a ſe factos, dimanavit.
Hic nummus argenteus obvius, & frequens eſt; ex auro rariſſimus.
[*Sed rarus etiam eſt ex argento.*]

★ C. OVAL. OSTIL. MES. COVINTVS AVG. *Caput Hoſtiliani radiatum.*
PVDICIT. AVG. *Figura muliebris velata ſedens, dextra velo faciem obducens, ſiniſtra haſtam puram.*
Typus hic Pudicitiæ quantum frequens in nummis Auguſtarum, tantum inſolens in nummis Imperatorum. Et ſiquando occurrit, id accidit hiſce temporibus, quibus omnia perturbata, & confuſa erant; ſive id tribuas monetariorum inſcitiæ, atque oſcitantiæ, ſive feſtinationi, ut ſtatim ab Imperatoris nuncupatione monetæ ejus nomine ſignatæ in vulgus mitterentur.
(1) *Hic nummus argenteus de rariorum numero eſt.*

ROMAE AETERNAE AVG. *Roma galeata ſedens, dextra Victoriolam, ſiniſtra haſtam: pro pedibus clypeus.*
Hoſtilianus Romæ moratus eſt, dum Decius, & Herennius ad bellum eſſent profecti: ſed iis in illo occiſis, quum Trebonianus a militibus Imperator electus eſset, Hoſtilianus in conſortium imperii cum eo venit: unde Auguſti nomen, & ſimilis percuſsus, qui Gallo, nummus, cum epigraphe Romæ Æternæ: de qua mox in eo dicturi.
Hic nummus aureus inter elegantiores recenſendus.

SE-

(1) In muſeo D. Apoſtoli Zeno.

SECVRITAS AVGG. *Figura muliebris cubito sinistro sellæ innixa, brachio dextro capiti admoto.*

Nummus hic Hostiliani cusus est, dum ille Imperator esset cum Treb. Gallo renunciatus, postquam is pacem tributo a Scythis emisset, quasi tunc ille cum socio securitas esset P. Romani. Mulier sedet solito modo ut quieta: dextra caput sustinet, tanquam sub ea imperium requiescens: sceptrum, potestatis summæ insigne.

Hic nummus argenteus inter præstantiores collocandus.

SAECVLVM NOVVM. *Templum octo columnarum, in cujus medio figura sedens.*

Typus Philippi, monetarii errore, & incuria, in Hostiliani aversa nummi parte signatus est, ut sæpe observatur sub his Imperatoribus usque ad Gallienum: Sæculum enim novum appellatur, ob sæculares ludos anno ab Urbe condita millesimo a Philippo editos: de quibus suo loco dictum est.

Hic nummus argenteus rarissimus est.

SPES PVBLICA. *Figura muliebris stans, dextra florem trifidum, sinistra vestem sublevat.*

Spes in primis Cæsaribus simpliciter scribebatur, deinde sub aliis addita est vox *Publica*: hæc Juvenum dea depingitur ut juvencula, teste Artemidoro in deorum descriptione, *Spes Virgo, & quidem ridens*. Porro Lampridius in Elagabalo Spem veterem memorat, quasi duæ essent, quarum altera senes etiam alat.

Hic nummus argenteus rarus est.

VBERITAS AVG. *Figura muliebris stolata stans, dextra crumenam, sinistra cornucopiæ.*


Hostilianus post Cæsaris appellationem, quam a Trajano in adoptione accepit, Augusti nomen etiam obtinuisse videtur, quando Q. Herennio, cum ad bellum Scythicum profectus est, eum communicavit titulum: unde modo Cæsar in nummis; modo Augustus, ut in hoc; modo Imperator; imo cum epigraphe *Augg.* quando Imperator cum Gallo appellatus est. De uberitate, pro ubertate, dictum est in Decio.

Hic nummus argenteus rarus, & conspicuus est.


VICTORIA GERMANICA. *Victoria gradiens, dextra extensa coronam, sinistra lauream.*

In Q. Herennio cum Imperatoris titulo similis *Victoriæ Germanicæ* epigraphe, & typus percussus est, qui in Hostiliano hic observatur; quod indicat in utriusque honorem, Victoriam a Decio relatam in nummis fuisse signatam: quum ante bellum u terque Imperator sit renuntiatus.

Hic nummus argenteus rarissimus est.



TRE-



TREBONIANI GALLI nummi ex argento triti, ex auro inter elegantiores computantur.

IMP. CAES. C. VIB. TREB. GALLVS AVG. *Caput Galli radiatum; in aliis laureatum.*

ADVENTVS AVG. *Imperator eques pacificatoris habitu.*

Gallus post Decii, & ejus filii Q. Herennii necem, ab exercitu Mœsiaco Imperator appellatus, pace tributo a Scythis empta, Romam venit: de quo Zosimus, *His rebus in hunc modum gestis, Romam venit, magnos ob constitutam cum barbaris pacem spiritus gerens*. In cujus adventus memoriam percussa est figura Galli in equo pacificatoris habitu.

Hic nummus argenteus pro elegante habendus.

AETERNITAS AVGG. *Figura muliebris stans, dextra phœnicem globo impositum.*

In Vibiorum familia, tanquam æternum futurum esset imperium, *Æternitas Augg.* nam ut Hostilianus a Decio; ita post ejus mortem a Gallo adoptatus est, ut confirmat Zosimus, *Et alterum ex filiis ejus superstitem adoptabat*. Licet ille haberet filium Volusianum a se Cæsarem factum.

Hic nummus argenteus obvius est, ex auro rarus.

ANNONA AVG. *Mulier stans, dextra spicas, sinistra cornucopiæ.*

Prima Imperatoris cura, ut sibi populi Romani gratiam conciliaret, versus Annonam erat: nam rerum omnium abundantia in urbe, im-

imperium omnino ſtabilit, & conſervat; quod deſignatur per ipſam Annonam matronæ inſtar ſedentis, ſpicas ex una manu, & cornucopiæ ex altera gerentis.
Hic nummus aureus pro raro habendus eſt.

★ CONCORDIA AVGG. *Figura muliebris ſtans, dextra pateram, ſiniſtra cornucopiæ.*
Typus hic Concordiæ ſignatus eſt in auro, atque argento ad ſignificandam concordiam vel inter Gallum, & Hoſtilianum, quo tempore eum Romæ Auguſtum declaravit, vel ſublato peſte Hoſtiliano inter eumdem Gallum, & Voluſianum, collata ei purpura Imperatoria.
(1) *Hic nummus aureus rariſſimus eſt, argenteus vero inter rariores collocandus.*

PROVIDENTIA AVGG. *Figura muliebris ſtans cum globo, & haſta.*
Providentia etiamſi dicatur *Auguſtorum*, tamen non ad Annonæ Providentiam ſpectat; ſed explicanda de *Providentia deorum*, quæ ut ſolet per mulierem radio globum vertentem deſignatur: Gallus licet a militibus Imperator eſſet appellatus, id tamen deorum providentia factum fuiſſe denotare voluit.
Hic nummus argenteus rarus eſt.

ROMAE AETERNAE. *Figura galeata ſedens, dextra Victoriolam, ſiniſtra haſtam, pro pedibus clypeus.*
Frequens eſt, in his ultimis ſuperioris imperii, ut ajunt, Auguſtis, *Romæ æternæ* typus: quæ quum imperium a variis undique barbaris impeteretur, teſte Zoſimo, *Nec minus bello, quod undique ſcaturiendo velut emerſerat*, Roma tamen Æterna videbatur futura, victoriam de hoſtibus ſemper referens: unde illius ſignum in augurium gerebat.
Hic nummus argenteus rarus eſt, & elegans.

SAECVLVM NOVVM. T*emplum octo columnarum, in cujus medio figura ſedens.*
Prodit iterum typus *Sæculi novi* in Gallo, ut aliis a Philippo Auguſtis, minime congruens; an id monetariorum incuria? an vero me-


(1) In Regio Pariſienſi theſauro, ex Bandurio t. 1. Numiſ. Impp.

memoriam ludorum tanta magnificentia editorum perpetuam reddere, per aliorum Imperatorum nummos voluerint?
Hic nummus argenteus inter rariores recenſendus.

VOTIS DECENNALIBVS. *In laurea.*
Mos erat ſub auſpicia novi Imperatoris, vota pro ejus ſalute in multos annos ſuſcipere; unde ipſa *Decennalia* appellata ſunt, ſeu quod ipſa omni decennio ſolverentur, & altera ſuſciperentur in alterum decennium. Eorum inſcriptio in corona ex quercu adponebatur, quod vitam primi homines ex glandibus quercuum ſuſtentarent.
Hic nummus argenteus rarus eſt.



VO-



VOLUSIANI nummi argentei frequentes, ex auro rariſſimi ſunt.

IMP. CAES. C. VIB. VOLVSIANO AVG. *Caput Voluſiani laureatum; in aliis radiatum.*

ADVENTVS AVGG. *Imperator eques.*

Voluſianus videtur a militibus Cæſar appellatus, quum mox patrem Gallum acclamaſſent, quod nomen tuliſſe confirmant ejus nummi cum Cæſaris appellatione etiamſi rari: ſed Auguſtus a Patre quum Romam veniret, factus eſt: quod probant ejus nummi cum Auguſti titulo, in ipſius cum patre adventu percuſſi.

Hic nummus argenteus inter elegantiores habendus.

APOLL. SALVTARI. *Apollo ſtans dextra ramum, ſiniſtra lyram ſaxo impoſitam.*

Ut Apollo malis mederi credebatur, tanquam Medicinæ Deus, ſic quum peſtis ſub Gallo ſæviret, ut narrat Zoſimus, *Nec minus bello quod undique ſcaturiendo velut emerſerat, lues etiam peſtilens in oppidis atque vicis ſubſecuta*, Gallus, & Voluſianus, uterque ſub effigie Apollinis ſalutiferi ſignatus eſt.

Hic nummus aureus rariſſimus eſt.

IVNONI MARTIALI. *Templum, in cujus medio figura ſedens.*

Pecularis eſt hic *Junoni Martiali* in Gallo, & Voluſiano typus, cum dea in templo pulcherrimo ſedente: illud a Sexto Rufo in VIII. regione adſignatur, quod reſtauraſſe videntur illi Imperatores.

Num-

Nummum similem æreum maximi moduli pulcherrimum possidet Ill. Episcopus Apamiensis designatus, qui insignem eorum seriem locuples possidet, quam parat publicam reddere.

Hic nummus ex argento obvius est, ex auro inter rariores ponendus.

LIBERALITAS AVG. *Figura muliebris cum tessera, & cornucopiæ.*
Monimentum est congiarii a Gallo, & Volusiano dati P. Romano, de quo altum est apud Historicos silentium, & quod tantum ex nummorum commendatione eruitur. Mulier tesseram gerit, in qua quæcumque in congiarii distributione populo erogabantur, adnotabat.

Hic nummus argenteus rarus est.

IMP. C. VA. F. GAL. VEND. VOLVSIANO AVG. *Id est, Imperatori Cæsari Vandalico Finnico Galendico Vendenico Volusiano Augusto. Caput laureatum.*

MARTI PACIFERO. *Mars galeatus dextra ramum, sinistra hastam.*

Ut Commodus dictus est *Sarmaticus*, ob Sarmatas a M. Aurelio devictos: sic Volusianus omnia Sarmatiæ populorum a Gallo patre tanquam victorum cognomina gestat. Vandalos, Finnos, Galindas, & Vendenos memorat hoc tractu Ptolemæus lib. 3. Vide quæ de iis in nostro Coloniarum tomo secundo diximus, fol. 316. Volusianus ob pacem cum iis populis a patre initam, dicitur Mars Pacifer.

Hic nummus argenteus ob hanc epigraphen in anteriori parte, inter rarissimos adservandus.

MONETA AVGG. *Tres monetæ stantes.*
Monetæ in Volusiani nummis exhibentur, non ut harum restitutoris: nam illi non ex meliore argento sunt, quam superiores; sed ad monetam novam cum ejus effigie percussam, indicandam. Tres adponuntur mulieres, quum ex auro, argento, & ære pro usu publico signarentur.

Hic nummus aureus rarissimus est.

* IMP. C. VA. F. GAL. VEND. VOLVSIANO AVG. *Caput Volusiani radiatum.*

PAX AVG. *Figura muliebris stolata stans, dextra ramum, sinistra hastam transversam.*

Vaillantius in parte antica nummi legit, *Imperatori Cæsari Vandalico, Finnico, Galendico, Vendenico, Volusiano Augusto*, ut in superiore nummo cum epigraphe *Marti Pacifero*. Tituli ob devictas nationes Imperatoribus attributi non anteibant nomina, sed subsequebantur, nec dicebatur Sarmaticus Commodus, Britannicus Geta, sed Commodus Sarmaticus, Geta Britannicus. Restituenda itaque sunt cum Harduino sua nomina Volusiano, legendo *Imperator, Cæsar, Valens, Finnius, Gallus, Vindex Volusiano Augustus*. Volusianus æque in nummis legitur, ac Volusiano.

(1) *Hic nummus argenteus ob capitis epigraphen de rariorum numero est.*

PVDICITIA AVG. *Mulier stolata sedens, dextra velo faciem obducit, læva hastam transversam.*

Pudicitia Augustæ minime convenit Volusiano, sed unus est ex illis typis, monetariorum errore, in nummis Imperatorum, & Augustarum percussus: hic enim erat Otaciliæ, aut Etruscillæ, ut forma hujus temporis demonstrat.

Hic nummus argenteus pro raro numeratur.

* IMP. C. VA. F. GAL. VEND. VOLVSIANO AVG. *Caput Volusiani radiatum.*

ROMAE AETERNAE AVG. *Figura muliebris galeata insidens clypeo, dextra Victoriolam, sinistra hastam.*

Hic idem typus habetur in nummo Galli Patris. Quamvis ex omni parte Romanum imperium Barbarorum adgressiones proscinderent, Romam tamen perpetuo mansuram Imperatores populo Romano pollicebantur.

(2) *Hic nummus argenteus, præsertim ob epigraphen capitis rarissimus est.*

* *Eadem Capitis epigraphe.*

VBERITAS AVG. *Figura muliebris stans, dextra crumenam, sinistra cornucopiæ.*

Uberitatem rerum omnium per nummos in crumena contentos, pe-


(1) In museo Editoris. (2) In museo D. Apostoli Zeno.

pecunia enim cuncta parantur, perque cornucopiæ aptissime indicari palam est. Hic typus tum Deciis, tum Gallis communis est.
(1) *Hic nummus argenteus ob epigraphen capitis rarissimus est.*

VOTIS DECENNALIBVS. *In laurea.*
Vota decennalia pro Treboniani patris salute suscepta, videntur etiam pro Volusiano ejus filio facta, quum similis eorum memoria in utriusque nummis signata supersit: at quum hæc vota pro vitæ principum diuturnitate perpetrata essent, & glandibus primi homines ad vitam sustentandam, pro cibo uterentur; ideo hæc epigraphe in corona quercea adponebatur.
Hic nummus argenteus rarus est.



(1) In museo D. Apostoli Zeno.



ÆMILIANI nummi ex argento pro raris numerantur, ex auro unus a nobis inſpectus.

* IMP. AEMILIANVS PIVS FEL. AVG. *Caput Æmiliani radiatum.*
APOLLO CONSERVAT. *Apollo nudus ſtans, dextra ramum, ſiniſtra lyram humi poſitam.*
Vaillantius unum dumtaxat aureum nummum Æmiliani ſe vidiſſe affirmat. Ecce alterum, quem Bandurius producit ex Regio Pariſienſi theſauro. In hoc Apollo exhibetur, cujus numen votis publicis invocabatur ea præſertim tempeſtate, qua peſtis late per imperium Romanum graſſabatur.
(1) *Hic nummus aureus rariſſimus, & præſtantiſſimus eſt; argenteus rarus.*

IMP. CAES. AEMILIANVS P. F. AVG. *Caput Æmiliani laureatum, in aliis radiatum.*
CONCORDIA AVGG. *Duæ dextræ junctæ.*
Tanta typorum confuſio in his ultimis Imperatoribus occurrit, ut continuo alii pro aliis exhibeantur. En Æmilianus, qui ſolus imperavit cum epigraphe *Concordia Augg.* & dextris duabus junctis, qui typus Q. Herennii, ſeu Hoſtiliani eſt; alterum æreum vidimus cum *Æternitas Augg.* ad Treb. Gallum, aut Voluſianum ſpectantem. [Bandurius t. 1. Numiſ. Impp. interpretatur de Concordia inter Auguſtum, & Auguſtam, quum in nummis CONCORDIA AVGG. legatur, ubi exhibentur capita adverſa viri, & uxoris.]
Hic nummus argenteus rariſſimus eſt.

DIA-

(1) In theſauro Regio Pariſienſi, ex Bandurio t. 1. Numiſ. Impp.

DIANAE VICTRICI. *Diana ſtans Venatrix.*

Diana cognomine *Victrix* in Æmiliani nummis peculiariter exhibetur; an ea ut Apollo frater contra peſtem hoc tempore ſævientem, invocata ſit? an vero ut tutelaris Epheſi dea, Scythas urbem diripientes *Victrix* per Æmilianum pepulerit? Zoſimus autem ait, *Quum Scythæ jam in Aſiam quoque tranſgreſſi eſſent, omniaque ad Cappadociam & Peſſinuntem, & Epheſum uſque diripuiſſent.*
Hic nummus aureus eximiæ raritatis eſt, & elegantiæ.

* ERCVLI VICTORI (ſic) *Hercules nudus ſtans, dextra clavæ innixus, ſiniſtro brachio ſuſtinet leonis exuvias.*

Herculi, monſtra vincenti comparatur in hoc nummo Æmilianus, qui Scythas, ſeu Gothos imperii Romani limites ingreſſos, & omnia ferro, & igne vaſtantes prælio vicit, ingenti edita ſtrage; ob quam victoriam a militibus, abrogato inerti Gallo imperio, Imperator electus eſt.
(1) *Hic nummus argenteus rarus eſt.*

IOVI CONSERVAT. *Jupiter porrigit globum Imperatori.* [*Apud Editorem Jupiter nudus ſtans, dextra fulmen, ſiniſtra haſtam protegit Imperatorem ſub minori forma togatum, dextram attollentem.*]

Barbari undique imperium Romanum populabantur, & Æmilianus ex Zoſimo, *Præter expectationem barbaros in iis locis repertos aggreſſus eſt, quumque magnam eorum partem occidiſſet, & milites in barbaricum ſolum tranſduxiſſet*; ſub Jove Conſervatore exhibetur, quaſi Jupiter ei orbem Romanum ad gubernandum dediſſet, ut denotat typus.
Hic nummus argenteus pro rariſſimo habendus.

MARTI PACIFERO. *Mars galeatus cum ramo, & haſta.*

Pacem cum Scythis etiam feciſſe Æmilianum denotant nummi cum epigraphe *Paci Aug. & Marti Pacifero*, quam veriſimile eſt iniiſſe, quum in Italiam contra Gallum, & Voluſianum ex Mœſia venerit. Marti comparatur Æmilianus, quod inter eos populos, quibus pacem procuraverat, ille procreatus exiſtimaretur, ex Sophocle.
Hic nummus argenteus inter rariores cenſendus.

MAR-

(1) In muſeo D. Apoſtoli Zeno.

MARTI PROPVGNATORI. *Mars galeatus gradiens, dextra hastam, læva clypeum.*

Ut Mars apud Dacos, Mœsios, & Thraces, quos infestabant Scythæ, natus erat; ex Modesto, & Arnobio; ideo Æmilianus sub Martis Propugnatoris id est Defensoris effigie repræsentatur: quasi eorum tutelam suscepisset, unde Mars Pacifer in superiore nummo cognominatur.

Hic nummus argenteus rarus est.

* ROMAE AETERN. *Figura muliebris galeata stans, dextra globum, cui Phœnix insistit, hastam transversam sinistra, clypeo grandiore supposito.*

Figura hæc muliebris Roma est; galeata, quia suis se armis tuetur; sustinet globum, quia terrarum orbi dominatur; globo insistit Phœnix ad declarandam ejus æternitatem; hasta, & clypeo munitur, quum ad debellandos hostes, tum ad protegendos socios.

(1) *Hic nummus argenteus rarus est.*

VICTORIA AVG. *Victoria gradiens, dextra coronam, læva palmam.*

Victoria vel ad eam spectat, quam de barbaris retulit Æmilianus, de qua Zosimus, *Itaque coactis eorum locorum copiis, quæ jam ex parta contra barbaros victoria*; vel ad illam, quam de Gallo, aut Volusiano reportavit: de qua Aur. Victor, *Ad quem expugnandum profecti, Interamnæ a suis caeduntur, spe præmii majoris ab Æmiliano: cui nullo labore, seu detrimento victoria obveniebat.*

Hic nummus argenteus rarus est.

VOTIS DECENNALIBVS. *In corona laurea.*

Votorum decennalium pro salute Æmiliani a Senatu susceptorum monimentum est: nam parum Romanis gratus erat Gallus, quum tributum Scythis fecisset, quod Æmilianus militibus dispersit, & eos aggressus profligavit: de Gallo narrat Zosimus, *Quum autem negligenter imperium Gallus administraret*: Ideo a militibus occisus est, ut se Æmiliano darent.

Hic nummus argenteus inter rariores habetur.

V A-

(1) In museo Editoris.



VALERIANI nummi ex argento vulgares, ex auro inter rariores habentur.

IMP. C. P. LIC. VALERIANVS AVG. *Caput Valeriani radiatum, in aliis laureatum.*

BONAE FORTVNAE. *Fortuna stans, dextra temonem, sinistra cornucopiæ.*

Ut quisque Fortuna sua utitur, ita *bona* dicta, Græcis Ἀγαθὴ Τύχη, Romæ in Capitolio colebatur, cui sacra fecisse videtur Valerianus, ut ea prospera, & secunda contra barbaros undique Romanas provincias populantes, uteretur.

Hic nummus argenteus inter rariores habendus.

* CONCORDIA AVGG. *Valerianus, & Gallienus togati stantes dextras jungunt.*

Cusus hic nummus, quum Gallienum Cæsarem a Senatu dictum Valerianus pater socium Imperii assumpsit. Per dexterarum junctionem indicatur concordia, qua rempublicam erunt administraturi, & divisis invicem copiis provincias tum Orientis, tum Occidentis adversus barbaros propugnaturi.

(1) *Hic nummus argenteus inter rarissimos habendus est.*

DEO VOLKANO. *Vulcanus in templo quatuor columnarum.*

Templum Dei Volcani restaurasse videtur Valerianus, ut hunc sibi propitium haberet, & arma, quibus opus habebat contra tot barbaros,

(1) In museo D. Focaultii ex Bandurio t. I. Numis. Impp.

ros, ſuppeditaret; illius ædes a Sexto Rufo in IX. regione Circi Flaminii aſſignatur. Triſtanus Valerianum Volcano templum hoc extruxiſſe exiſtimat. Tom. 3. pag. 130.
Hic nummus argenteus pro raro habetur.

* DIANA LVCIFERA. *Diana ſtans, utraque manu facem accenſam tenet.*
Dianam coluit Valerianus Apollinis ſororem, cui etiam templum vel ædificavit, vel inſtauravit; ut utriuſque numinis auxilio ſæviſſimæ peſti, qua omnes Romani Imperii provinciæ, & ſimul urbs æterna affligebantur, finis imponeretur.
(1) *Hic nummus argenteus rariſſimus eſt.*

GALLIENVS CVM EXER. SVO. *Cippus, ſupra quem Jupiter dextra Victoriam, & in quo* IOVI VICTORI.
Quum undique imperium Romanum barbari ſub Valeriano infeſtarent, ipſe Gallienum filium imperii conſortem deligit, & teſte Zoſimo, *Ut Perſis reſiſteret, Europæos exercitus filio tradit.* Gallienus contra Germanos profectus, victoria de iis relata, aram Jovi Victori cum exercitu ſuo dedicat, cujus monumentum eſt nummus.
Hic nummus argenteus rarus eſt.

* GERMANICVS MAX. TER. *Trophæum inter duos captivos humi ſedentes.*
Plures Victorias Valerianus per filium ſuum Gallienum obtinuit de Germanis, ob quas Germanici titulo ornatus fuit. Hic nummus numerum Victoriarum deſignat, tres nempe obtinuiſſe, ob quas ter Germanicus Maximus appellatus fuit.
(2) *Hic nummus argenteus rariſſimus eſt, & ſingularis.*

IOVI PACATORI ORBIS. *Jupiter ſedens, dextra pateram, ſiniſtra haſtam: pro pedibus aquila.*
Valerianum, ut mos erat, ante bellum contra Perſas ſuſceptum ſacra feciſſe Jovi denotat nummus, quem appellat Pacatorem orbis: ut imperium bellorum procellis undique conflictatum, pace tranquillum reddit: ideo pateram gerit ad ſacra denotanda, & ſedet tanquam quietus, & Pacifer.
Hic nummus argenteus pro raro notatur.

LIBE-

(1) In theſauro Brandeburgico, ex Bandurio t. 1. Numiſ. Impp.
(2) In Regio Pariſienſi theſauro, ex Bandurio t. 1. Numiſ. Impp.

LIBERALITAS AVG. *Figura muliebris stans, dextra tesseram, sinistra cornucopiæ.*

Congiarium Valerianus sub auspicia imperii P. Romano distribuit, in cujus memoriam percussus est nummus cum muliere tesseram gerente.

Hic nummus argenteus non obvius est; ex auro inter rariores habendus.

LIBERALITAS AVGG. *Duo Imperatores sedentes in substructione, ut in nummo æreo Philippi junioris.*

Liberalitas illa a Valeriano data est, dum Augustum Gallienum appellavit, quem Cæsarem fecerat Senatus, ut refert Aur. Victor, *Ejus filium Gallienum Senatus creat.* Cui etiam consulatum dedit, initio anni V. C. 1007. unde ipsi duo in curulibus exhibentur.

Hic nummus argenteus elegantissimus est.

LIBERALITAS AVG. *In aliis* AVGG. III. *Liberalitas stans, ut supra.*

Tria erogasse congiaria Valerianum nos edocent ejus nummi, forsan plura: sed quando hoc tertium distribuerit, si mihi conjecturæ locus, dum Cæsarem fecit Valerianum juniorem filium, quem in processus consularis pompa duxit, ut in numismate maximo Ill. Episcopi Apamiensis observatur, eo anno, quo in Persas abiit.

Hic nummus ex argento rarus, ex auro inter rariores.

* ORIENS AVGG. *Sol nudus stans, pallio ad humeros rejecto, dextram attollens, sinistra flagrum tenet.*

Quum undique a Barbaris imperium Romanum armis impeteretur, Valerianus Gallienum filium Imperatorem declaravit, relictoque Gallieno, ut Galliam, & Germaniam tueretur; ipse collectis legionibus ex vicinis Provinciis ad bellum Orientale adversus Scythas, qui Asiam populabantur, & Persas, qui Mesopotamiam, & Syriam jam ceperant, proficisci statuit. Ea de causa signatus est in nummo Oriens Augustorum, victoriis Valeriani jam destinatus.

(1) *Hic quinarius argenteus de rariorum numero est.*

(1) In museo Editoris.

★ PIETAS AVG. *Valerianus togatus, & laureatus stans a sinistris ad aram ignitam, pateram tenet dextra, sinistra demissa scipionem; a dextris Gallienus pariter laureatus, & togatus stans ex adverso, pateram dextra, sinistra scipionem elatum, in cujus apice aquila.*
Exhibetur in hoc nummo solemnis ritus, quo Valerianus Gallienum Augustum nuncupavit. Ambo nempe sinistra imperii insignia gestant; dextra tenenr pateras; stat media ara accensa, supra quam libatum vinum effundunt.
(1) *Hic nummus argenteus rarus est.*

P. M. TR. P. V. COS. IIII. P. P. *Duæ figuræ togatæ clypeis insistentes, sinistris hastas gerunt.*
Figuræ togatæ illæ, duo sunt Valeriani filii Gallienus nempe, & Valerianus junior: ille Augustus jam pridem factus, hic Cæsar appellatus a patre in hac V. tribunitia potestate, cum consulatum IIII. suscepisset; quem ob Cæsaris titulum filio juniori concessum, tertium supra congiarium dedisse augurabamur, id procul dubio confirmat.
Hic nummus argenteus rarus est.

RELIGIO AVG. *Diana Venatricis habitu, dextra telum, sinistra arcum gerit.*
Singularem Valeriani cultum erga Dianam, quam hic Venatricis habitu exhibet nummus, denotat; cui templum construi curavit in regione VI. Urbis, quod Sex. Rufus Valeriani nomen tulisse refert, *Dianæ Valerianæ*. Illud deæ signum in hoc templo positum, Dianæ esse videtur.
Hic nummus argenteus rarissimus est.

RESTITVT. GEN. HVMANI. *Figura stat capite radiato dextram elevans, læva globum gerit.*
Quum in Persas, qui Syriam devastabant, Valerianus iter susciperet: in felix augurium *Restitutor generis humani* magno elogio appellatur, & sub Orientis figura, capite radiato insignitur, globum gerens, tanquam orbem Romanum restituturus.
Hic nummus argenteus inter rariores recensendus.

RESTI-

(1) In musco Editoris.

RESTITVTOR ORBIS. *Figura paludata ſtans, dextram mulieri genuflexæ porrigit. Varii ſunt typi.*
Valerianus, ut ait Zoſimus, *animadverſo periculo, quod imperio Romano cunctis ex partibus immineret*, ad expellendos ex Europa barbaros Gallienum cum ducibus miſit, ipſe contra Perſas profectus eſt, in augurium dictus eſt *Reſtitutor orbis*. Sed eventus rei non ſucceſſit: a Perſis captus eſt, apud quos maximo dedecore nominis Romani, miſerrime periit.
Hic nummus argenteus rarus eſt.

RESTITVT. ORIENTIS. *Mulier ſtolata ſtans, coronam Imperatori paludato porrigit. Diverſi ſunt typi.*
Sub Orientis nomine, provinciæ Perſis proximæ appellabantur, quum reſpectu Romæ ad Orientem vergerent: contra Saporem eas populantem profectus Valerianus, Orientis Reſtitutor dicitur, cui mulier ſub Genii forma, tanquam jam victori coronam porrigit; ſed ut de eo Trebellius Pollio refert, *Puderet altius virum extollere, qui fatali quadam neceſſitate victus eſt.*
Hic nummus argenteus rarus eſt.

* SECVRIT. PERPET. *Figura muliebris ſtans, dextra haſtæ innititur, ſiniſtro cubito columnæ.*
Securitas hæc perpetua non in perſpecta virtute militari Valeriani repoſita tantum erat, ſed in filiis Gallieno, & Valeriano, quorum primus natu major ad imperii ſocietatem a Patre vocatus fuerat, & alter jam Cæſar, & Princeps juventutis declaratus, atque in Cornelio Salonino Gallieni filio, ab avo ad Cæſaris dignitatem evecto.
(1) *Hic quinarius argenteus rarus eſt.*

VICTORIAE AVGG. *Victoria in bigis dextra flagrum.*
Bigæ illæ, quas agit Victoria, non ad Victorias a Valeriano, aut Gallieno contra barbaros relatas: ſed ad agonem Capitolinum ab illis Romæ celebratum, in quo eorum alter bigæ præmium retulit, ut videre eſt in ſimilibus Severi, & Caracallæ nummis: de quibus in noſtro libro de Coloniis tom. 2.
Hic nummus argenteus inter rariores computandus.

(1) In muſeo Editoris.

VICTORIA PARTHICA. *Victoria coronam porrigit Imperatori paludato stanti. Diversi sunt typi.*

Non in argumentum Victoriæ typus in nummis Imperatorum videtur signatus, quamvis ex levi causa aliquando factum: at in Valeriano, quum is a Persis captus sit, reclamabunt omnes. Bellum diu gessisse narrat Aur. Victor, *Bellum per Mesopotamiam anceps, diuturnumque instruit.* Et tantum sub pacis colloquio captus est.

Hic nummus argenteus inter rariores censendus.

VIRTVS AVGG. *Duæ figuræ paludatæ stantes, altera globum dextra, hastam sinistra; altera Victoriam dextra, hastam læva.*

Virtus Valeriani, & Gallieni designatur hoc lemmate, tanquam pater armorum virtute orbem Romanum conservaret, & filius victoriis contra Germanos relatis, illum illustraret.

Hic nummus argenteus rarus est.

VOTA ORBIS. *Duæ Victoriæ scribentes in clypeo S. C. palmæ arbori appenso.*

Valerianus apud Trebel. Pollionem Imperator factus dicitur, *Non tumultuario populi concursu, non militum strepitu, sed jure meritorum, & quasi ex totius* Orbis *una sententia.* Ideo duæ victoriæ, quarum testes sunt ejus nummi, *Germanica* nempe, & *Parthica*, seu in augurium, seu in monimentum vere relatarum, *Vota Orbis* dicuntur ex Senatusconsulto.

Hic nummus argenteus inter rariores recensetur.

★ VOTIS DECENNALIBVS. *In corona quercea.*

Hæc vota suscepta sunt, statim ac Valerianus Imperii habenas recepit. Tanto enim omnium consensu, & lætitia ejus electio probata est, ut prospera omnia sub tanto Principe sperarent, & vota pro ejus incolumitate per integrum decennium conciperent.

(1) *Hic nummus argenteus rarissimus est.*

MA-

(1) In Thesauro Ser. Cenomanensium Ducis, ex Bandurio t. 1. Num. Impp.



MARINIANÆ nummi ex argento non obvii, ex auro hactenus non inspecti sunt.

DIVAE MARINIANAE. *Caput Marinianæ velatum.*

CONSECRATIO. *Pavo fert Marinianæ animam in cælos.*

Duas habuit uxores Valerianus, priorem, ex qua natus est Gallienus; alteram, ex qua Valerianus junior; hanc vero ejus imperii initio mortuam esse arguunt ipsius nummi ob consecrationem in iis denotatam a Senatu Valeriani precibus concessam. Pavo Junonis ales divæ, tanquam alterius Junonis, animam in cælos efferre existimabatur.

Hic nummus argenteus pro raro habetur in Italia.

CONSECRATIO. *Pavo cauda expansa.*

Non alia Principum fœminarum quam virorum, consecrandi ratio, nisi quod Pavo illarum esset consecrationis, Aquila horum esset symbolum: Pavo autem Junonis ales, ipsi sacra est, ut refert Athenæus lib. 14. quod in Junonis Samiæ templo primum editi, ac educati fuerint; genus inde in alias regiones propagatum sit.

Hic nummus argenteus ejusdem est raritatis, ac superior.

GAL-



GALLIENI nummi ex argento triti, & obvii, ex auro rari sunt.

★ GALLIENVS AVG. *Caput Gallieni radiatum.*
ABVNDANTIA AVG. *Fluvius seminudus dextrorsum decumbens dextra arundinem, sinistra urnæ innixus. In imo* S. P. Q. R.
Fluvium hunc Nilum puto, a quo Ægyptus frugum abundantiam percipiebat, & ab Ægypto Romam frumenta convehebantur. Quum enim, referente Pollione, *Æmilianus apud Ægyptum sumpsisset imperium, & occupatis horreis multa oppida malo famis pressisset; hunc dux Gallieni Theodotus conflictu habito cepit, atque Imperatori Gallieno vivum transmisit.* Itaque Senatus, Populusque Romanus abundantiam restitutam Gallieno gratulatus est.
(1) *Hic nummus argenteus rarissimus est, & singularis.*

IMP. GALLIENVS AVG. *Caput Gallieni laureatum.*
ADVENTVS AVG. *Imperator eques pacificatoris habitu.*
Gallieni in Urbem ex Germania adventus monumentum est, de quo loquitur Zosimus, *His rebus omnibus conturbatus Gallienus, Romam reversus est, ut illato ab Scythis Italiæ bello remedium afferret:* Eques Pacificatoris habitu exhibetur, ut solent Romani Principes in adventuum typis repræsentari.
Hic nummus aureus rarissimus est.

AETER-

(1) In museo D. Abb. de Rothelin.

AETERNITAS AVG. *Lupa cum puerulis.*

Æternitas Imperatorum Romanorum infimis his temporibus varie designata est, in Gordiano tertio per Solem gradientem, in Philippo per Elephantem, in Maxentio per Castorem, & Pollucem, in Gallieno autem per Romulum, & Remum lupæ ubera sugentes, tanquam æternos. Ipsi in Probo, sub alia insigni epigraphe *Origini Aug.* exhibentur.

Hic nummus argenteus inter elegantiores numerandus.

AETERNITATI AVG. *Duæ dextræ junctæ.*

Æternitatis titulus, quo Romani Imperatores suos affecerunt, inter serviles, & aulicas adulationes jam a tempore Trajani, extitit apud Plinium jun. lib. x. ep. 67. Duæ illæ dextræ concordiam inter Valerianum, & Gallienum denotant, quæ æterna optatur: porro hic patrem in servitute senescere permisit.

Hic nummus argenteus rarus est.

APOLLINI CONS. AVG. *Centaurus dextra globum, sinistra temonem inversum.*

Gallienus inter tot bellicas clades, inter pestem ita sævientem, & inter frequentes terræ motus, deos omnes invocasse videtur, ut eum ab his periculis conservarent, quos per animalia ipsis sacra, in nummis expressit, ut eos observare licet. Centaurus ex Manilio, Apollini est sacer, ut & Gryphus ex Fulgentio.

Hic nummus argenteus frequens est. Alius in quo gryphus, cum eadem epigraphe, non obvius est.

BONAE FORTVNAE. *Fortuna stans, dextra temonem, sinistra cornucopiæ.*

Fortunam Gentes deam credidere, eique templa construxere, multisque nominibus eam nuncupavere. Apud Romanos Bona Fortuna in Capitolio culta fuit, Mala in Esquiliis. Gallienus ad illam ut & ad alia numina in periculoso rerum suarum æstu confugisse videtur.

Hic nummus argenteus inter rariores locandus.

COHH. PRAET. VI. P. VI. F. *Leo gradiens.*

Cohors Prætoriana sextum Pia, sextum fidelis, dicitur in Gallieni nummo, in memoriam Pietatis, qua erga Imperatorem suum usa est

est contra Tyrannos, & fidem, quam ipsi præstitit, cujus memor Princeps, leonem ejus insigne in nummis cum ejusmodi elogio adponi curavit. Vide Tristanum de cohortium numero.
Hic nummus argenteus rarus est.

CONCORDIA AVGG. *Duæ dextræ junctæ.*
Duæ dextræ simpliciter junctæ, mutuam Principum concordiam denotant, præsertim cum epigraphe *Concordia Augustorum*, nummus autem Nervæ habet *Concordia exercituum*. An vero illa intelligenda sit inter Valerianum, & Gallienum, quum hic typus in patre non occurrat, aut inter Gallienum, & Valerianum juniorem contra Tyrannos; postquam captus est eorum pater?
Hic nummus argenteus rarus est.

CONSERVAT. PIETAT. *Figura Imperatoris paludati stans, dextram extendit versus puerum genuflexum, sinistra hastam.*
Typus Imperatoris dextram versus puerum genuflexum tendentis cum epigraphe *Conservator Pietatis*, videtur indicare Gallienum, etsi tot ille urgeretur bellis, in quibus necessariæ erant pro re militari impensæ, nihil ex alimentis Italiæ, aut Urbis detrahere voluisse, imo ipsis conservasse, in cujus rei memoriam percussi sunt nummi, tanquam munificentissimo Principi.
Hic nummus argenteus eximiæ raritatis, & elegantiæ est.

COS. IIII. P. P. *Gallienus in quadrigis triumphalibus dextra ramum, læva equorum habenas.*
Consulis quartum titulus, has quadrigas ad pompam hujus consulatus a Gallieno initi anno 1014. spectare denotat; etiamsi hoc anno Macrianum, & filios per Aureolum magna strage vicerit, nullum de tyrannis triumphum egit; sed unicum de Persis, si Pollioni fides. De bellis autem civilibus triumphare non solebant Imperatores. [Lapsus est Vaillantius, & cum Vaillantio Bandurius in explicatione hujus nummi, ut patebit infra ad nummum P. M. TR. P. X. COS.]
Hic nummus argenteus inter præstantiores habendus.

DEO AVGVSTO. *Caput Augusti laureatum.*
Principes Romani inter divos relati, a Gallieno restituti sunt plerique,

rique, cum eorum effigie in nummis argenteis, & epigraphe *Divo*, verbi gratia, *Augusto* circa aram ignitam, seu aquilam consecrationis symbolum: sed in hoc aureo Augustum, ut Imperii fundatorem, ad aliorum distinctionem, cum effigie sua conjunxit, & epigraphe *Deo Augusto*, ut jam in Colonia Tarraconensi vocatum monuimus in lib. Colon. pag. 66.
Hic nummus aureus rarus est.

DEO MARTI. *Figura galeata stans in templo, dextra clypeum, sinistra hastam.*
Templa in nummis Imperatorum, aut eorum a Principe, in cujus nummis exhibentur, a fundamentis erectionem, vel illorum ab iis restaurationem indicant: Martis ut Volcani templum memoratur in IX. Regione Circi Flaminii: ideo illa a Valeriano, & Gallieno constructa, potius quam restaurata auguramur.
Hic nummus argenteus rarus est.

DIANAE CONS. AVG. *Diana venatricis habitu, dextra arcum, sinistra hastam inversam: pro pedibus cervus.*
Inter alia numina, quæ pro Conservatoribus suis invocavit Gallienus, occurrit Diana, quæ & sub epigraphe *Diana Felix* etiam visitur, quam Valerianum patrem præcipue coluisse diximus: tum ob ejus nummum cum inscriptione *Religio Augg.* tum ob ædes ab illo dictas *Valerianas* in VI. Regione memoratas.
Hic nummus argenteus nec rarus, nec obvius est.

DONA AVG. *Mercurius stans cum petaso in capite, dextra crumenam, sinistra caduceum: pro pedibus canis.*
Hanc epigraphen ad Mercurii dona, ex Pollione recte Com. Mediobarbus retulit pag. 373. *Gallienus Oratione, Poemate, atque omnibus artibus clarus.* Mercurius vero Ægyptiis literas demonstrasse putabatur; eas illum invenisse, Cicero & Aristides tradunt: ideo sermonis Deus ab antiquis existimabatur.
Hic nummus argenteus inter rariores collocandus.

FIDEI MILITVM. *In aliis* FIDEI EQVITVM. *In laurea.*
Ut exercitus, seu legiones sibi Imperator in tot bellis externis, seu civilibus conciliaret, ingeniose militum, & equitum fidem publice in

 num-

nummis extollere Gallienus excogitavit, ne illorum animos a se alienaret, & quidem in laurea apponere, ut victoriam illorum auxilio, & virtute contra barbaros, & hostes se expectare demonstraret.
Hi nummi aurei rariores sunt argenteis.

FIDEI PRAET. *Tria signa militaria.*
Gallienus ut se fidem legionum expertum denotaret, ita & Prætorianorum testatur hoc signorum militarium lemmate. Per Prætorianos, cohortes Prætorianas intelligit. Sub Augusto novem institutæ sunt, unaquæque ex mille hominum composita; sub Galba auctæ sunt ad duodecim: qui numerus sub Severo adhuc computabatur ex Dione.
Hic nummus argenteus rarus est.

Eadem epigraphe. Genius stans, dextra pateram, sinistra cornucopiæ, pone eum signum militare.
Sub Genio cohortium Prætorianarum Gallienus ipse in nummo perhibetur, ut alii Imperatores Genii Senatus dicti sunt: at quum Prætoriani Principis corporis seu custodiæ essent constituti, cum iis blande & benevole agebat, ne aut eum desererent, aut occiderent: quare illis largitionibus sæpe distributis, earum Genius appellabatur.
Hic nummus aureus inter rariores locandus.

HERCVLI CONS. AVG. *Aper.*
Inter tot deos a Gallieno in nummis Conservatores appellatos, prodit Hercules, cum apro ipsi sacro: erat enim aper terribilis in regione Calydoniæ, qui non solum segetes devastabat, sed occurrentes homines dentibus lacerabat; illum clava mactavit, & humeris in civitatem omnibus mirantibus tulit: unde ei pro symbolo datus est.
Hic nummus argenteus inter elegantiores adscribendus.

* INVICTVS. *Sol nudus stans, dextra protensa, pallio in brachium sinistrum rejecto, flagrum sinistra tenet; in area a dextris stella.*
Sol non solum Æternitatis symbolum Veteribus habebatur, sed etiam Invictæ fortitudinis; nihil enim illi detrahit temporum diver-

versitas, sed neque perpetuus cursus eum fatigat. Gallieno titulum Invicti tribuit Inscriptio Vasione reperta, quam ex Miscellaneis Sponii Bandurius recitat, in qua Vasienses P. L. Gallieno Invicto adclamant.

(1) *Hic nummus argenteus rarissimus est, & singularis.*

IO. CANTAB. *Jupiter stans, dextra fulmen, sinistra hastam.*

De Jove Cantabro altum est silentium, quem Cantabri Hispaniæ Tarraconensis populi coluisse videntur, a quibus nomen habet. illos bellicosos fuisse memorat Silius Italicus, quos quum Gallieni duces aggrederentur, illorum numini topico sacra fecisse videntur, ut ipsum sibi propitium redderent, antiquo Romanorum more, qui ita hostium deos precibus, & sacrificiis sollicitabant: in cujus victoriæ monimentum, nummos *Jovi Cantabro* dedicavit.
Hic nummus argenteus rarissimus est.

IOVI CONSERV. AVG, *Capra.*

Capra pro Jovis symbolo exhibetur, quum ille infans nutriendus in Creta, Themidiæ Altheæ datus esset: hæc erat domina capræ, quæ ex ea Jovem nutrivit: illa vero in mercedem inter astra collocata est, ex Germanico supra Aratum commentatore. Alii aliter rem memorant. Vide Diodorum, & Plutarchum.
Hic nummus argenteus rarus est.

IOVI CRESCENTI. *Puer insidens capræ.*

Aut est hic typus ex Salonino, monetariorum errore, Gallieno junctus, aut in illius gratiam a patre communicatus: ut ut sit ad Saloninum spectat, cujus tenera ætas *Jovi crescenti* in Creta ab Amalthea Capra nutrito comparatur: qui nummus Salonino cusus est, quando Cæsar a patre factus est: de quo vide Tristanum tom. 3. fol. 119.
Hic nummus argenteus inter elegantiores habendus.

IVVENTVT. AVG. *Jupiter nudus stans, dextra Victoriolam, sinistra hastam.*

Juventus Romanis, Hebe Græcis dicta est, cui sacra faciebant juvenes, quum vesticipes barbæ primitias ponerent: Gallienus autem sæpe lanugine ornatus in nummis visitur, quam quum depo- fuis-

(1) In museo D. Foucaultii, ex Bandurio t. 1. Numis. Impp.

ſuiſſet, nummum adinſtar M. Aurelii, & Caracallæ cudit: in hujus nummo Princeps victoriam tenet; ſed Gallienus ſub Jovis effigie, eam gerit.

Hic nummus argenteus pro raro notandus.

LEG. I. ADI. VI. P. VI. F. *Capricornus.*

Superiores notas interpretamur. *Legio Prima Adjutrix Sextum Pia Sextum fidelis.* Legiones primum ab ordine, quo erant inſtitutæ, videntur vocatæ Prima, Secunda, & Tertia; at quum iis diminutis, novæ conſcriberentur, plurimæ a loco ubi conſtitutæ fuerunt, dictæ ſunt Primæ, quæ cognominibus poſtea diſtingui cœperunt. Hæc prima Adjutrix a Galba ex Dione inſtituta eſt in Urbe, ut ſibi auxilio eſſet, unde Adjutricis cognomen, de qua Tacitus Hiſtor. I. *Prima Adjutrix non ante in aciem deducta; ſed ferox & novi nominis avida.* Capricornum pro inſigni geſſit in felicitatis augurium, quum Galba ſub hoc ſidere natus eſſet.

Hic nummus argenteus rarus eſt.

LEG. I. AVG. VI. P. VI. F. *Mars galeatus ſtans cum haſta, & clypeo.*

Legio I. Auguſta, nova eſſe videtur etſi Auguſtæ nomen habeat, nam ab Auguſto non conſtituta eſt, ſi in enumeratione legionum ſub Auguſto non obſervetur: nec ſub Galba, nec ſub Severo apud Dionem occurrit: ideo a Gallieno conſcriptam ſuſpicamur, unde *Auguſtæ* nomen, tanquam ſub imperante: quod confirmare videtur Mars ejus inſigne, quem præcipue coluiſſe Gallienum diſcimus ex templo, quod huic deo erexit in Circo Flaminio, ut nos docent ejus nummi cum epigraphe *Deo Marti*, & illius templi icone.

Hic nummus argenteus elegantiſſimus eſt.

LEG. I. ITAL. VI. P. VI. F. *Aper.*

Legio I. Italica triplex fuit, una bello Punico ſecundo conſcripta; altera a Cæſare Dictatore in Galliis habita, at quum neutra extet in recenſione legionum Auguſti, qui veteres plurimas exauctoravit; hæc eſt igitur, quam a Nerone inſtitutam nos docet Dio. Italica fuit appellata, quod ex Italicis militibus fuiſſet delecta; ab eo Lugduni ad Celtarum provinciæ cuſtodiam collocata, de qua Tacit. Hiſt. I. *Ad legionem Italicam, caſque, quæ Lugduni agebant, copias ſpecie Senatus miſit.* Aper ejus inſigne ad Herculem ſpectat, apud

apud Celtas, ad quos missa fuerat legio, magnopere cultum, ex Luciani libello.
Hic nummus argenteus inter rariores collocandus.

LEG. I. ITAL. VII. P. VII. F. *Capricornus.*
Legio I. Italica iterum prodit cum epigraphe VII. P. VII. F. Omnes legiones quarum nummos hic recensemus, has notas VI. P. VI. F. exhibent: quod illi cusi sint anno imperii sexto, quum legiones quolibet anno fidei sacramentum renovarent, & sic unaquæque *sextum Pia, sextum Fidelis* dicitur: quædam autem ex iis dictæ sunt *septimum Piæ & Fideles*, quod earum nummi anno septimo signati sint: sed cur in hoc, legionis Primæ Italicæ Capricornus pro Apro cusus sit, illum ex aliis legionum typis, qui eum præferunt, adpositum esse putamus, ut his temporibus sæpe typum pro altero, in aliis Augustorum nummis observare est.
Hic nummus argenteus rarus est.

LEG. I. MIN. VI. P. VI. F. *Minerva stans, dextra Victoriolam, sinistra hastam cum scuto.*
Legio I. Minervia a Domitiano conscripta est, ex Dione pag. 564. sic ab illo nominata, ob peculiarem cultum, quo hanc deam prosequutus est, ut ex illius Imperatoris nummis vidimus: in cujus etiam rei memoriam Minervæ simulacrum ipsam legionem pro insigni habere voluit. Sub Severo quatuor Primæ recensentur, & sub Gallieno etiam quatuor occurrunt. Sed I. Parthica deest, pro qua I. Augusta suffecta videtur.
Hic nummus argenteus inter elegantiores adnumerandus.

LEG. II. ADI. VI. P. VI. F. *Pegasus.*
Legio II. Adjutrix jam sub Augusto recensetur, eaque videtur ex Africanis conscripta, qui auxilium Pompejanis tulerunt, ut subinnuere videtur Cæsar, lib. 6. de bel. Civ. *Quarta fuit Afraniana, ex Africa, quam secum adduxerat, reliquæ ex fugitivis Auxiliares consistebant.* Ex iis colligitur legionem ab Afranio Pompeji legato in Africa fuisse conscriptam ex Thapsitanis, Hadrumetanis, & aliis, qui sub Juba, & Pompejanis ordines duxerant, & alias Adjutrices in Hispaniam transiisse. Quod confirmat insigne hujus legionis Pegasus, qui Africæ symbolum est, ut videre est apud Tristanum to. I. pag. 89.
Hic nummus argenteus rarus est.

LEG.

LEG. II. ITAL. VI. P. VI. F. *Lupa cum puerulis lactentibus*.
Legio II. Italica a M. Aurelio ex Dione instituta est, ideo sub Galba in legionum enumeratione non recensetur; ab illo in Norico constituta: at cum ex militibus Italico seu Latii jure gaudentibus constaret, Lupam cum puerulis, Romanæ gentis symbolum, accepit: ut plurimæ coloniæ exhibuerunt, de quibus consule nostrum de iis librum. Merere autem in legione nemo poterat, qui civis Romanus non esset.
Hic nummus argenteus inter præstantiores adscribendus.

LEG. II. PART. V. P. V. F. *Centaurus dextra elata, læva clavam*.
Legio II. Parthica a Severo conscripta est, ut docet Dio, qui illum duas alias hujus nominis I. & III. instituisse narrat, ita appellatas, quod in limitibus Parthorum eas locaret. Centaurus leg. II. Parthicæ pro insigni a Severo datum est, quod Parthi ut Centauri in equo veloces essent, eos tamen tanquam alter Hercules clava vicit. Hæ notæ V. P. V. F. nummum anno Gallieni 5. cusum notant, quum hæc legio quinquies fidei juramentum præstitisset.
Hic nummus argenteus ex rarissimorum numero est.

LEG. II. PART. VI. P. VI. F. *Idem typus ex adversa parte*.
Iterum prodit legio II. Parthica cum eodem typo ex adversa parte, sed cum his notis VI. P. VI. F. anno Gallieni imperii 6. nummum indicans percussum, ut diximus. Alterum vidimus hujus legionis typum cum Hippocentauro pharetram ex arcu emittente, qui ad alias legiones Parthicas spectat, primam forte, quæ Gallieni ævo extabat; quum ejus meminerit Ammianus sub Constantio, & Juliano. Signa legionum omnia in decennalium a Gallieno editorum pompa, narrat Pollio lata fuisse, *Et signa templorum, omniumque legionum ibant*.
Hic nummus argenteus inter rariores ponendus est.

LEG. III. ITAL. VII. P. VII. F. *Ciconia avis*.
Legio III. Italica a M. Aurelio ex Dione constituta est, ut & II. Italica, de qua supra egimus: ex Italicis militibus nempe composita, unde nomen, & insigne accepisse videtur; Ciconia autem ad denotandam versus Imperatorem, & fundatorem suum, ob beneficia Italiæ ab eo collata, pietatem. De iis refert Capitolinus, *Italicis civi-*

civitatibus tempore frumentum ex Urbe donavit; *omnique rei frumentariæ consuluit*.
Hic nummus argenteus pro raro habendus.

LEG. IIII. FL. VI. P. VI. F. *Leo*.
Legio IIII. Flavia a Vespasiano constituta est ex Dione, *Vespasianus* IIII. *in Syria Flaviam*. Ita de gentis suæ nomine cognominata est, II. Auxiliariam etiam in Pannonia instituerat, sed jam hæc sub Severo desierat. Pro insigni gestat Leonem, fortitudinis symbolum, ut & aliæ plurimæ.
Hic nummus argenteus rarus est, *& elegans*.

LEG. V. MAC. VI. P. VI. F. *Victoria dextra lauream*, *sinistra palmam*, *pro pedibus aquila*.
Legio V. Macedonica, ex veteribus est: nam sub Pompejo agebat in Pharsalica pugna; nomen *Macedonicæ* habuisse videtur, a provincia Macedonia devicta, quod confirmare videtur, Victoria pro insigni. Aquila Romanum denotat imperium: Reipublicæ tempore in Macedonia rem tutabatur, ex qua Pompejus eam eduxit lib. 3. Civ. bel. *Quintam ab opere deductam*, *subsidio suis eduxit*. Ab Augusto in Germania inferiore locata est; ubi Gallieni tempore, ut ex coloniarum nummis discimus, adhuc manebat.
Hic nummus argenteus rarissimus est.

LEG. VII. CL. VII. P. VII. F. *Bos*.
Legio VII. Claudiana, ita a Claudio nominata, quod in fide pro eo in Mœsia contra Scribonianum Daciæ legatum permanserit; ante nullo cognomine ornata, sed ordine ita nuncupata, ideo a Julio Cæsare, *Veterrima vocata*, & ab eo in Britanniam transmissa lib. 4. de bell. Gall. Bovem pro insigni gerit, coloniarum symbolum, quod ex coloniis Romanis conscripta esset. Notæ VII. P. VII. F. nummum anno 7. imperii cusum denotant.
Hic nummus argenteus rarus, *& elegans est*.

LEG. VIII. AVG. VI. P. VI. F. *Bos*.
Legio VIII. ob numerum dicta, ex veteribus erat legionibus, quam cum IX. conjunxit Julius Cæsar in pugna Pharsalica lib. 3. de bel. Gall. *Cæsar superius institutum servans* X. *legionem in dextro cornu*,

nu, IX. *in sinistro collocaverat*; *tametsi erant Dyrrachinis præliis vehementer attenuatæ*, *& huic sic adjunxit* VIII. *ut pene unam ex duabus efficeret*. Augustus eas reparavit, IX. nempe ex Hispaniarum colonis, unde Hispaniensis dicta: hæc vero ex ejus nomine *Augusta*. Bos pro insigni, ex colonis factam esse denotat.
Hic nummus argenteus inter præstantiores computandus.

LEG. X. GEM. VI. P. F. *Taurus*.
Legio X. nomine & ordine dicta, inter veteres numerabatur, ejus autem virtus prædicatur apud Jul. Cæsarem lib. I. de bel. Gall. *Huic legioni & indulserat præcipue*, *& propter virtutem confidebat maxime*. Dyrrhachina, & Pharsalica pugna plurimum attenuatam cum altera conjunxisse videtur Augustus, unde *Geminæ* cognomen. Bos ejus insigne eam ex colonis institutam arguit.
Hic nummus argenteus inter rariores habendus.

LEG. XI. CL. VI. P. VI. F. *Neptunus dextra tridentem*, *sinistra delphinum*.
Legio XI. in Gallia cum Julio Cæsare militavit, sed impar cæteris, nam nova erat: de qua lib. 8. de bel. Gall. *Habebat summæ spei*, *delectæque juventutis*, XI. *quæ*, *octavo jam stipendio functa tamen*, *collatione reliquarum*, *non eandem vetustatis*, *& virtutis ceperat opinionem*. Hæc ab Augusto cum XI. in Mœsia collocata, pro Claudio contra Scribonianum in fide permanens, ambæ ab illo *Claudianæ* dictæ sunt. Neptuni signum gerere videtur, ipsi a Claudio datum, quod illa per mare illum in Britanniam sequuta sit.
Hic nummus argenteus rarissimus est.

LEG. XIII. GEM. VI. P. VI. F. *Victoria dextra coronam*, *sinistra palmam*, *ante eam Leo gradiens*.
Legio XIII. a Julio Cæsare memorata est in lib. 5. bel. Gall. *In his L. Roscio legato*, *quem legioni* XIII. *præfecerat*, *certior est factus*: an hæc bellis attenuata, cum altera sociata, dicta sit Gemina? an ea sit, de qua Cæsar ipse loquitur in eod. lib. *Unam ex Sicilia veteranam*, *quam factam ex duabus gemellam appellabat*? Ipsa duarum legionum signa gerit, unum ex provincia quadam devicta, Aphricana forsan, ut ex Victoria augurari quis posset: alterum ex Leone
soli-

solito fortitudinis in coloniis symbolo, ut videre est in nummis Viminacii coloniæ, in tom. 2. nostri Coloniarum libri.
Hic nummus argenteus rarus est, & insignis.

LEG. XIIII. GEM. VI. P. VI. F. *Capricornus.*
Legio XIIII. Reipublicæ tempore conscripta est, ex lib. 6. Comment. *Cæsaris... impedimentis legionem* XIIII. *reliquit, unam ex his tribus quas proxime conscriptas ex Italia transduxerat, eique legioni, castrisque Q. Tullium Ciceronem præfecit.* Martia Victrix erat appellata, ut ex nummo Severi noscimus, & hæc cognomina adepta fuisse videtur in Gallia, dum ab illius provinciæ nationibus per insidias circumsessa, de iis victoriam retulit. Gemina ab Augusto facta est, qui tot legiones exauctoravit. Capricornus legionis insigne, Felicitatis symbolum est, unde illæ *Felices* nominabantur.
Hic nummus argenteus inter elegantiores habendus.

LEG. IIXX. VI. P. VI. F. *Capricornus.*
Legio IIXX. ideſt decima octava, apud Dionem sub Severo in limitibus provinciarum non numeratur: porro a Claudio lecta est in Germania superiore XVIII. Victrix apud Tacitum. An illa fuerit, vel potius XXII. transpositis II. ante XX. quæ in alio nummo post has notas occurrit cum eodem insigni, nempe Capricorno, videant eruditi.
Hic nummus argenteus pro rarissimo habendus.

LEG. XX. VI. P. VI. F. *Capricornus.*
Legio XX. apud Dionem cognominatur Valeria, & Victrix; ipsa ex vetustis legionibus est: nam in secundo Punico bello educta in aciem fuit, teste Livio lib. 7. Decad. 3. *Et legio vicesima ab dextro cornu instructa.* Valeria videtur dicta, quod in Valeria Latii regione fuerit conscripta, cujus Urbes erant Marsi, Carseoli, Amiternum, Furconium, & Reate. Hæc ab Augusto in Germania inferiore constituta, a Claudio in Britanniam transducta, ubi *Victricis* nomen est consecuta. Capricornus insigne, Felicitatis symbolum est.
Hic nummus argenteus rarus est.

LEG. XXII. VI. P. VI. F. *Capricornus.*
Legio XXII. apud Spartianum in Did. Juliano *Primigenia* cognomi-

natur, a Tacito dicitur & *Augusta*, ab Augusto nempe; quod prima ex Antonii legionibus ad eum transierit, & eam in fidem acceperit; hæc a Julio Cæsare scripta, ex Galliis adversus Pompejum ducta, Antonio militabat. Capricornus pro insigni, Felicitatis symbolum est.

Hic nummus argenteus rarus est.

LEG. XXX. VLP. VI. P. VI. F. *Capricornus.*

Legio xxx. Ulpia a Trajano conscripta est, ut & II. Trajana, ex Dione: prior collocata in Germania superiore: altera in Ægypto. Hujus nummum habemus Alexandriæ cusum in Carino cum epigraphe ΛΕΓΙΩΝ. Β. ΤΡΑΙ. L. Γ. *Legio* II. *Trajana*, *anno* 3. porro in Gallieno non adhuc observata est. Superior de gentis Ulpiæ appellatione, in quam adoptati erant Trajani majores, nomen habuit. Capricornus pro insigni, Felicitatis symbolum est, ut in aliis: ex felicitate enim victoria.

Hic nummus argenteus inter rarissimos habendus.

LIB. AVG. T. *Figura muliebris stans, dextra tesseram, læva cornucopiæ.*

Quatuor occurrunt in nummis Gallieni liberalitates, modo cum voce *Augg.* modo cum epigraphe *Aug.* priores cum patre concessæ: aliæ post ejus captivitatem, aut mortem, quæ cæteris rariores sunt: quando autem eas distribuerit, pronunciare non facile est: porro peculiaris videtur initialis T litera, pro solita numerorum nota.

Hic nummus aureus rarior est argenteo.

★ LIBERALITAS AVG. *Figura muliebris stans, dextra tesseram, sinistra cornucopiæ: a dextris in area* S. *a sinistris* C.

Typus hic est solitus Liberalitatis. Mulier manu elata gestat tesseram frumentariam, in qua consignabatur quantitas frumenti viritim distibuendi; & cornucopiæ læva gestat ad declarandam frugum copiam, qua publica horrea abundabant.

(1) *Hic nummus argenteus maximi moduli rarissimus est.*

★ *Eadem epigraphe. Tres figuræ togatæ sedentes in sellis curulibus, dextris extensis, quarum ultima dextrorsum sceptrum tenet: in imo* III.

Tres

(1) Apud D. Fontanam Equitem Anglum, ex Bandurio t. 1. Numis. Impp.

Tres illæ figuræ in nummo signatæ Valerianum, Gallienum, & Valerianum juniorem Gallieni fratrem natu minorem repræsentant. Nota illa III. ad extremam areæ oram, significat liberalitatem Tertiam, quam tres Imperatores impenderunt.

(1) *Hic nummus argenteus rarissimus est.*

LIBERO P. CONS. AVG. *Panthera.*

Nemo est tam rudis in re nummaria, qui ex animalibus Diis majoribus dicatis sæpe in Gallieno occurrentibus, ignoret illum eos in tam periculoso rerum sui temporis æstu, Conservatores suos appellasse, cujus rei memoriam in nummis consignavit. Liber autem, Pater dicitur, quod Dii ipsi, ut omnes norunt, Patris nomine vocarentur. Ei subjectam pardalim ait Phornutus, quod asperrimi mores temperato vini usu mansuescant.

Hic nummus argenteus rarus est.

MARTI PROPVGNAT. *Mars galeatus, dextra proterens captivum.*

Gallienum præcipue Martem coluisse nos docent ejus numisinata; unde ipsum huic deo templum extruxisse in Circo Flaminio novimus, & Propugnatorem appellasse: merito quidem, quum tot bellis civilibus & externis undique impeteretur. Mars autem deus erat belli dux, & præses.

Hic nummus argenteus obvius est, ex auro inter rariores recensetur.

* MONETA AVG. *Tres Monetæ cum attributis.*

Tres mulieres cum bilancibus ad dextram, & cornucopiæ ad lævam, & monticulis ante pedes, tria nummorum genera repræsentant, ex auro, ex argento, & ex ære; quibus quum suum pondus, & metalli sinceritas constet, rerum omnium abundantiam inde consequi per cornucopiæ significatur.

(2) *Hic nummus argenteus maximi moduli rarissimus est.*

NEPTVNO CONS. AVG. *Equus marinus.*

Equus hic fabulosus Neptuno tribuitur ob mare, nam equum tridentis ictu ab eo e terra excitum narrant. Alii ex Diodoro, Neptunum equos primum domuisse, artemque equitandi ab illo traditam:

(1) Apud D. Laisnæum, ex Bandurio t. 1. Numis. Impp.

(2) Apud D. Fontanam ex Bandurio t. 1. Numis. Impp.

ditam: ex quo Hippius fuit appellatus apud Val. Probum in Comment. Neptunus Romæ equorum certaminibus præesse credebatur, & in ejus festo cessabant ab operibus equi, & muli redimiti floribus. Neptunus Gallieni Conservator fuit, quando Scythæ, & rursus Gothi navali prælio victi sunt.
Hic nummus argenteus inter rariores reponendus.

GALLIENVM AVG. P. R. *Caput Gallieni.*
OB CONSERVATIONEM PATRIAE. *Salus stans pascit serpentem.*
In hac epigraphe *Gallienum Augustum Populus Romanus ob conservationem patriæ*, subauditur, *colit*, adinstar Græcarum inscriptionum. Dea salus ut & vox *Salutis*, Gallienum ad pestem ex urbe expellendam, unice curasse denotat. Tristanus statuam pro patriæ conservatione, in æreo nummo huic Principi erectam existimat.
Hic nummus maximus ex argento eximiæ raritatis est.

OB CONSERVATIONEM SALVTIS. *Salus pascit serpentem.*
Populus Romanus Gallienum Augustum veneratur ob conservationem salutis. Si adulatoria, non tamen vana est hæc Populi erga Principem laus: nam pestis illa generalis sub Decio, Gallo, & Æmiliano furens, post quindecim annos sub Gallieno cessavit, qui deæ Saluti votum persolvisse videtur: quare Tristanus statuam ipsi erectam, ob nummi epigraphen, existimat.
Hic nummus argenteus maximi moduli eximiæ raritatis est.

GALLIENVM AVG. P. R. *Caput Gallieni laureatum pectore tenus.*
OB LIBERT. REC. *Libertas stans, dextra palmam, sinistra hastam.*
Populus Romanus Gallienum Augustum veneratur ob libertatem receptam. Vana sane populi laudis ostentatio, qui libertatem sub filio receptam palam prædicat, dum pater ejus Imperator, captivus apud Persas magno totius imperii Romani dedecore gemebat.
Hic nummus aureus rarissimus est.

⋆ ORIENS AVG. *Imperator nudus stans a sinistris hastæ ferratæ adnititur sinistra, dextram porrigit Victoriolam accepturus a muliere turrita ex adverso stante: in areæ superiori parte adest corona laurea.*

Mu-

Mulier turrita Orientem repræsentat, quæ porrigens Gallieno Victoriolam certum illum facit de victoria, quam relaturus est de Barbaris provincias Asiæ populantibus. Laurea in aere pendet, quam bellica sua virtute consequi debet.
(1) *Hic nummus argenteus de rariorum numero est.*

PAX FVNDATA. *Trophæum, in cujus imo duo captivi manibus post terga revinctis.*
Ad pacem cum Germanis a Gallieno initam referendus est nummus, ut solita, & legitima nummorum cudendorum materia: de ipso Zosimus inquit: *Inito fœdere cum quodam de Gentis Germanicæ principibus ex aliqua parte periculum minuisse visus est.* Nam ad pacem cum Aureolo tyranno factam, ut quidam autumant, verisimile non videtur ejusmodi elogium *Pax fundata*, nec trophæum cum captivis erectum.
Hic nummus argenteus inter præstantiores habendus.

PERPETVITATI AVG. *Mulier stans, dextra globum, sinistra innixa columnæ.*
Perpetuitas pro Æternitate ponitur, ideo mulier globum gerit, quod æternum mundum existimarent: sic imperium Principis perpetuum, seu æternum optantes, ut felicitatem suam sub eo denotarent. Pro *Perpetuitati* in nummo semiexeso Tristanus legisse videtur Perennitati, tom 3. pag. 71. nam idem est typus.
Hic nummus argenteus ex rariorum numero est.

PIETAS AVGG. *Imperator dextram porrigens Augustæ.*
Ad denotandam cum Salonina uxore concordiam, & pietatem, nam Gallieni amasia erat Pipa vel Pipara cujusdam Marcommanorum Regis filia: Salonina autem vera conjux, & illi nupta, ut quidam existimant, antequam pater ejus imperium suscepisset.
Hic nummus argenteus rarus est.

P. M. TR. COS. P. P. *Imperator paludatus, dextra hastam, sinistra pilum, stat inter duas figuras fluviorum: quælibet dextra arundinem gerit.*
Post Germanicas victorias a Gallieno relatas videtur percussus num-

(1) In museo Editoris.

nummus, in quo ſtat ille victor inter duas fluviorum figuras, Rhenum nempe, & Moſellam, Germaniæ utriuſque præcipua flumina: in quibus ad earum tutelam erant in unaquaque quatuor legiones. Moſella autem ſuperiorem ab inferiore dividebat.

Hic nummus argenteus rariſſimus eſt.

* P. M. TR. P. X. COS. *In ima parte* IIII. P. P. *Quadrigæ triumphales, Imperatore aurigante cum Parazonio in dextra.*

Triumphus, quem nummus plane ſingularis repræſentat, ille eſt, quem egit Gallienus alieno ſumptu, quum nempe Perſæ ab Odenato devicti ex tota fere Meſopotamia depulſi fuerant. Ea de cauſa Principem egregium bene de Romana Republica meritum Gallienus Auguſti titulo donavit, Romano populo adplaudente, ex Trebellio Pollione. Cur autem tribuam hunc triumphum non pompæ IV. conſulatus, ut Bandurius putat cum Vaillantio in explicatione nummi ſignati COS. IIII. P. P. id facit tribunitia poteſtas X. in nummo ſignata, nempe anno Chriſti 263. Albino, & Dextero Coſs. ſub quibus Pollio triumphum Gallieni deſcribit.

(1) *Hic nummus argenteus rariſſimus eſt, & præſtantiſſimus.*

P. M. TR. P. XII. C. VI. P. P. *Imperator eques pacificatoris habitu.*

Nummus, Gallieni XII. poteſtatem & VI. conſulatum notat, quem iniit cum Amulio Saturnino anno V. C. 1018. Exhibet vero ejus ex Galliis Romam adventum pacificatoris habitu. Quod ſi dicatur Gallienus jam ex Galliis reverſus, Romæ conſulatum accepiſſe; ad ſtatuam equeſtrem, poſt triumphum ejus Perſicum hoc anno actum, ipſi erectam, referatur.

Hic nummus ex argento inter rariores numerandus.

PROVIDENTIA AVG. *Mercurius cum ſtrophio ſtans, & modio, dextra crumenam, ſiniſtra caduceum.*

Mercurius in nummo ſignatus cum epigraphe *Providentia Auguſti*, commercium in toto imperio per bella interruptum, Gallieni providentia reſtitutum denotare videtur: Mercurium autem a mercibus dictum refert Feſtus, ideo eum negotiorum omnium exiſtimabant eſſe deum; qua de re crumenam gerit.

Hic nummus argenteus pro raro habendus.

RE-

(1) In muſeo Eminentiſſimi Cardinalis Paſſionei.

RESTIT. GALLIAR. *Imperator paludatus ſtans, ſiniſtra haſtam, dextra figuram procumbentem, læva cornucopiæ gerentem ſublevat.*
Gallienus poſt victoriam de Poſtumo relatam, adulatorie dicitur *Reſtitutor Galliarum*, de qua Pollio, *Victrix Gallieni pars fuit*, ſed tamen Poſtumus Gallias retinuit, & ideo potiori jure in nummis ſuis hunc titulum præfert. Tres Galliæ ſub hoc Galliarum nomine comprehenduntur, ut ſub Galba nos docent ejus numiſmata.
Hic nummus argenteus rarus eſt.

RESTITVT. GEN. HVMANI. *Figura tunicata cum pallio gradiens, capite radiato dextram attollit, læva globum geſtat.*
Ad victorias ab Odenatho in Oriente contra Perſas relatas ſpectare videretur hic titulus, quum Oriens depingatur in nummo; quare Gallienus triumphum egit, ut narrat Pollio, *Vincente Odenatho triumphavit Gallienus*, niſi jam hic typus in patre, ut ſequens *Reſtitutor Orientis* cuſus prodiiſſet: ideo ad primas Valeriani de Perſis victorias pertinet, unde patri, & filio percuſſi ſimiles nummi.
Hic nummus argenteus inter rariores adſcribitur.

RESTITVT. ORIENTIS. *Imperator paludatus recipit a muliere turrita coronam.*
Revera Gallienus Reſtitutor Orientis dici nequit, quum in Orientem profectus non ſit, etſi ob victorias in his regionibus ab Odenatho relatas triumphaverit: ſed quum patri ejus hic titulus ob leves quaſdam de Perſis victorias datus ſit, ipſi etiam ut imperii participi communicatus eſt, & pares nummorum typi ſignati.
Hic nummus argenteus rarus eſt.

SALVS AVG. *Salus ſtans paſcit ſerpentem, ex adverſo ſtat Imperator paludatus.*
Salus ſeu Hygia ſalutis dea, tanquam conſervatrix Gallieni cum ipſo repræſentatur, ut ante obſervavimus in ſuperioribus nummis cum hac epigraphe OB CONSERVATIONEM SALVTIS, cum eodem typo. Peſtis enim Romæ, & per totum imperium Romanum maxime ſæviebat; teſte Oroſio lib.7. cap.21. *Nulla fere provincia Romana, nulla civitas, nulla domus fuit, quæ non illa generali peſtilentia, correpta, atque vaſtata ſit.*
Hic nummus argenteus rarus eſt.

SE-

SECVRIT. ORBIS. *Mulier ſedens, dextra haſtam, ſiniſtram capiti admovet.*

Securitas, ut ſolet, matronæ ſedentis forma depingitur, dextra haſtam; quaſi totus orbis Romanus ſecurus ſit Macriano, & filiis extinctis Gallieni armis victricibus: ſiniſtra caput ſuſtentat, ut nullis curis anxia, quiete ſedens, & ut ait Pollio *quaſi ſecurus rerum, ac patre jam recepto*, dum ubique imperium nutaret.

Hic nummus aureus inter rariores cenſendus.

★ SECVRIT. PERPET. *Figura muliebris ſtans, dextra haſtam, ſiniſtro cubito columnæ innititur.*

Hic idem typus ſub eadem nummi forma exhibitus eſt in Valeriano patre. Securitatem perpetuam iners Imperator ſibi, Romanoque imperio ſpondebat ob victorias per Duces ſuos, perque Odenathum relatas, atque ob Valerianum fratrem juniorem, & Saloninum Cæſares a Senatu declaratos.

(1) *Hic quinarius argenteus rarus eſt.*

SISCIA AVG. *Figura muliebris ſedens, dextra haſtam, læva cornucopiæ, in imo fluvius cum urna aquas vomente.*

Nummus poſt Ingenui tyranni mortem cuſus eſt. Ille Pannoniæ præfectus imperium arripuerat, Gallienus autem eum vicit: ideo Siſcia hujus provinciæ urbs præcipua, & Romana colonia ex Plinio lib. 3. cap. 25. ſedens & tranquilla exhibetur: pro pedibus illius decumbit Savus, ad indicandum urbis ſitum. Illa haſtam gerit, ad provinciam armis tutandam: cornucopiæ vero, rerum omnium abundantiæ ſymbolum eſt.

Hic nummus argenteus eximiæ raritatis, & elegantiæ eſt.

SOLI CONS. *Taurus.*

Bos pro Solis ſymbolo exhibetur, nam ipſi ſacer erat, ut docet Theocritus 25. Idyl. cumque album ipſi immolari. Ælianus bovem Mnevim Soli, ut bovem Apim Lunæ dicatos narrat lib. 2. cap. 2. Vide Triſtanum tom. 3. pag. 88. Gallienus autem majores deos pro Conſervatoribus accepit, ut ſæpe diximus.

Hic nummus poſterior argenteus rarior eſt anteriore.

SPES

---

(1) In muſeo Editoris.

★ SPES PVBLICA. *Figura muliebris dextra elata florem trifidum gestans, finistra vestem colligens.*
Per hunc Spei typum populis significatur, collocatam esse firmam eorum fiduciam non in senectute Valeriani patris, sed in juventa Gallieni, diuturnam sibi vitam spondentis; ex qua felicitas imperii proveniret. Nummus cusus, quum a Patre Imperator Augustus renunciatus est.
(1) *Hic quinarius argenteus rarus, & elegans est.*

GALLIENAE AVGVSTAE. *Caput Gallieni spicis coronatum.*
VBIQVE PAX. *Victoria in bigis dextra flagrum.*
In ludibrium Gallieni ab uno ex ipsis, qui Imperatoris titulum contra eum arripuerat, percussus videtur, illum *Augustam* appellans; ut omnibus denotaret pro fœmina eum haberi debere, qui res tam negligenter in bellis undique Romanum imperium prementibus ageret: de quo ait Pollio, *ut ejus ne mentio quidem apud exercitum fieret*: ita pro laurea spicas gerit, tanquam abdomini potius quam bello vacaret: bigas agit, quod victoriam in Circo potius quam de hostibus quæreret: pro epigraphe *Ubique Pax*, quum nulla provincia esset, quæ bello non impeteretur.
Hic nummus aureus eximiæ raritatis est.

★ VICTORIA AVG. *Imperator paludatus dextrorsum gradiens, dextra globum tenet, finistra scipionem, quem pone sequitur Victoria læva palmam, dextra coronam Imperatori imponens.*
Gallienus veluti securus de salute imperii Romani graditur. Victoria autem gradientem comitatur, quasi ac Imperator gressus adversum hostes facere non posset, quin eos statim prosterneret, & debellaret. Nummus ignotus Mediobarbo, & Bandurio.
(2) *Hic nummus argenteus elegans est, & singularis.*

★ GALLIENVS P. F. AVG. *Caput Gallieni laureatum, cum pectore loricato, dextra gestat spiculum ad humerum dextrum.*
VIC. GERMANICA. *Victoria globo insistens, fertum dextra, palmam finistra; hinc inde ad pedes captivi duo humi sedentes.*
Cusus nummus est occasione Victoriæ de Germanis reportatæ, ob

(1) In museo Editoris. (2) In eodem museo.

quam Germanici Maxumi titulo insignitus est. Quamvis enim voluptuosus homo esset, aliquando etiam specimina quædam virtutis bellicæ edidit; *erat enim*, inquit Trebellius, *in Gallieno subitæ virtutis audacia, nam aliquando injuriis graviter movebatur*.

(1) *Hic quinarius argenteus rarus, & elegans est*.

VICT. GALLIENI AVG. *Figura militaris proculcans pede dextro captivum, dextra hastam, læva clypeum habentem*.

VICTORIA GERMAN. *Victoria porrigens coronam Imperatori paludato stanti, dextra globum, sinistra hastam gerenti*.

Uterque nummus ad victoriam pertinet Germanicam; Gallienus autem, ut narrat Zosimus, *Videns Germanicas gentes cæteris infestiores esse, quæ accolas Rheni Celticas nationes acrius vexarent, hanc partem sibi propugnandam ab hostibus sumit*: De quibus victoriam retulisse testes sunt nummi.

Hic nummus argenteus rarus est.

VICTORIAE AVGG. II. GERM. *Victoria gradiens, dextra coronam, læva palmam, pro pedibus captivus lugens*.

Duas de Germanis victorias retulisse Gallienum nummi nos docent, & quidem antequam captus esset Valerianus, quum Augustorum nomine cusus sit ille; nam in patris captivitate, solus nominatur. De Victoria Zosimus, *Interdum transitu hostes arcet, interdum transeuntibus suos instructos objicit*. Leves etsi victoriæ, cudendorum tamen nummorum causæ fuerunt.

Hic nummus argenteus rarus, & elegans est.

VICTOR. AVG. *Victoria scribens in clypeo* III.

VICTORIA AVG. III. *Tres victoriæ stantes, dextra coronam, læva palmam ferentes*.

VICTORIA GALL. AVG. III. *Victoria gradiens, dextra coronam, sinistra palmam*.

An tres victoriæ in nummis signatæ ad tres illas de Postumo relatas victorias spectent, de quibus Pollio, *Victrix Gallieni pars fuit, pluribus prælïis eventuum ratione decursis*? An vero cum decennalia celebravit Gallienus, in eorum pompa plurimæ gentes simulatæ ibant,

(1) In museo Editoris.

ibant, Gothi, Persæ, & Franci, de quibus tanquam devictis, tres illæ victoriæ in nummis cælatæ sint.
Hi nummi argentei inter elegantiores locum merentur: aurei sunt rarissimi.

VICTORIA NEPT. *Victoria gradiens, dextra coronam, læva palmam.*
In mari denotat Gallieni victoriam nummus; Pollio eum de Scythis in Ponto victorem postquam vastassent Heracleam, narrat, *Scythæ navibus factis Heracleam pervenerunt, atque inde cum præda in solum proprium reverterunt, quamvis multi naufragio perierint, navali bello superati.* Et paulo post inquit, *Veneriano item duce, navali bello* Gothi *superati sunt.* Inde etiam *Neptuno Conservatori* nummi a Gallieno percussi.
Hic nummus argenteus inter elegantiores adnumerandus.

* VICTORIA PART. *Imperator paludatus stans, a sinistris dextra protensa, & hastæ nixus sinistra; ex adverso stat Victoria coronam ei offerens.*
Victoria hæc Parthica vel referri potest ad principia quædam belli adversus Persas a Valeriano patre suscepti, quæ ei prospere cesserant, Antiochia recepta, & Carris, & Cyriade occiso, vel ad victoriam ab Odenatho de Persis reportatam, ob quam, inquit Trebellius, *vincente Odenatho, triumphavit Gallienus.*
(1) *Hic nummus rarissimus est.*

VIRTVS AVG. *Caput imberbe, & galeatum.*
Licet Gallienus voluptatibus plurimum esset deditus, tamen ut inquit Pollio, *ubi necessitas coegisset, velox, fortis, denique Ingenuum conflictu habito vicit*; & alibi, *Erat enim in Gallieno subitæ Virtutis audacia.* Nil mirum igitur, si Virtutis effigies in aversa ejus vultus parte ad illam in eo denotandam, sit repræsentata.
Hic nummus argenteus præstantissimus est.

Eadem epigraphe. Hercules stans, dextra clava sinistra spolia leonis.
Virtus Gallieni variis modis prædicatur, modo ipse pedes hasta, & clypeo armatus pede proterit barbarum, modo eques spiculo hostem prostratum impetit, modo clavam humero dextro gerit, ut vide-

(1) Apud D. Fontanam, ex Bandurio t.1. Numis. Impp.

videre est apud Tristanum tom. 3. pag. 70. & in hoc nummo sub Herculis effigie prodit: de cujus virtute in nummo sequente.

Hic nummus aureus inter rariores locandus.

VIRTVS VALERI. *Pharetra, exuvium leonis, clava, thorax, & arcus.*

Obvii sunt nummi cum epigraphe *Virtus Augustorum* ad indicandam Valeriani, & Gallieni Virtutem, quum pater versus Orientem movit, & filius Europæos suscepit exercitus: unde Valeriani Virtus in Gallieni nummis cum omnibus Herculis insignibus exhibetur, nam virum fortem antiqui sub Herculis virtute depingebant, nam ἀπὸ τῆς ἀλκῆς, id est, a fortitudine, dictus est Alcides.

Hic nummus argenteus inter rariores habendus.

VOTA DECENNALIA. *Victoria scribens in clypeo palmæ appenso.*

Mire illustrat hunc nummum Pollio, victoria enim scribit in clypeo *Decennalia*, ille narrat Scythas Romanorum ducum virtute devictos, Gallienum ex Byzantio, quasi magnum aliquid gessisset, Romam cursu rapido convolasse, convocatisque patribus *Decennia* celebrasse, id est solvisse, & altera suscepisse.

Hic nummus argenteus inter rariores reponendus.

VOTIS DECENNALIBVS. *In laurea.*

Ad vota decennalia initio imperii cum patre suscepti spectare videtur, quum idem typus in nummis Valeriani cum laurea in parte aversa occurrat, de quibus plura in aliis Imperatoribus diximus. Gallienus autem primum quidem Cæsar, a patre factus est, sed mox Augustus est appellatus: nam cum Cæsaris nomine nummi non reperiuntur.

Hic nummus argenteus rarus est.

VOT. X. ET XX. *In laurea.*

Hæ sunt Decennaliorum solutorum, & Vicennaliorum susceptorum notæ, quæ Pollio Gallienum novo genere ludorum, nova specie pomparum, exquisito genere voluptatum celebrasse refert, anno Urbis conditæ millesimo, & decimo sexto, Albino, & Dextero consulibus.

Hic nummus ex auro inter præstantiores habendus est.

Anti-

Antiquarii in eo conveniunt, quod Gallienus memoriam restituerit plurium Imperatorum, quos vel Senatus amor, & reverentia, vel adulatio per solemnem consecrationem inter Divos retulerat. In his nummis in priore pagina exhibetur caput radiatum Imperatoris cum titulo *Divi*, in posteriore aut Aquila alis expansis, aut ara cum igne accenso cum epigraphe *Consecratio*. Quod id factum fuerit a Gallieno, infertur & ex genere metalli, quo fere omnes nummi Gallieni cusi sunt, ex argento nempe simul cum ære conflato, & ex fabrica multum simili ei, quæ sub Gallieno vigebat, & ex nummo aureo ejusdem Gallieni cum Augusto ex altera parte, & epigraphe *Deo Augusto*, cujus utpote fundatoris imperii caput non in argento tantum, sed etiam in auro signatum voluerit.

P. Bandurius octo tantum nummos ex hujus modi a Gallieno restitutis recenset t. 1. Numis. Impp. In museo D. Abbatis de Rothelin 23. numerantur sequenti ordine.


DIVO AVGVSTO. *Caput Augusti radiatum.*
CONSECRATIO. *Aquila alis expansis.*
Eadem epigraphe. Ara cum igne.
DIVO VESPASIANO. *Caput Vespasiani radiatum.*
CONSECRATIO. *Aquila alis expansis.*
Eadem epigraphe. Ara cum igne.
DIVO TITO. *Caput Titi radiatum.*
CONSECRATIO. *Aquila alis expansis.*
Eadem epigraphe. Ara cum igne.
DIVO NERVAE. *Caput Nervæ radiatum.*
CONSECRATIO. *Aquila alis expansis.*
Eadem epigraphe. Ara cum igne.
DIVO TRAIANO. *Caput Trajani radiatum.*
CONSECRATIO. *Aquila alis expansis.*
Eadem epigraphe. Ara cum igne.
DIVO HADRIANO. *Caput Hadriani radiatum.*
CONSECRATIO. *Aquila alis expansis.*
Eadem epigraphe. Ara cum igne.
DIVO PIO. *Caput Antonini radiatum.*
CONSECRATIO. *Aquila alis expansis.*
Eadem epigraphe. Ara cum igne.
DIVO MARCO. *Caput M. Aurelii radiatum.*

CON-

CONSECRATIO. *Aquila alis expansis.*
Eadem epigraphe. Ara cum igne.
DIVO MARCO ANTONINO. *Caput M. Aurelii radiatum.*
CONSECRATIO. *Aquila alis expansis.*
DIVO COMMODO. *Caput Commodi radiatum.*
CONSECRATIO. *Aquila alis expansis.*
Eadem epigraphe. Ara cum igne.
DIVO SEVERO. *Caput Sept. Severi radiatum.*
CONSECRATIO. *Aquila alis expansis.*
Eadem epigraphe. Ara cum igne.
DIVO ALEXANDRO. *Caput Sev. Alexandri radiatum.*
CONSECRATIO. *Aquila alis expansis.*
Eadem epigraphe. Ara cum igne.



SALO-



SALONINÆ nummi ex argento frequentes ſunt, ex auro inter rariores numerantur.

SALONINA AVG. *Caput Saloninæ.*

AEQVITAS AVG. *Mulier ſtans, dextra bilancem, ſiniſtra cornucopiæ.*

Æquitas ſub tribus monetis in fœminis Principibus exhiberi videtur, ad indicandum ipſas habere jus cudendarum in illis imaginum, quod & Cæſaribus hujus ævi conceſſum eſt, ut in nummo Salonini æreo maximo, videre eſt, quod confirmat alter ſimilis Saloninæ apud Triſtanum pag. 99. nam in iis res tantum maximi momenti ſignabantur.

Hic nummus argenteus pro raro habendus.

ANNONA AVG. *Mulier ſtolata ſtans dextra ſpicas, læva cornucopiæ, pro pedibus modius tritici plenus.*

Etiamſi Annonæ typus ad Imperatorem potius quam ad Auguſtam ſpectet, tamen eum Saloninæ Gallieni eſſe exiſtimamus, quum illa Annonæ providerit, dum ejus maritus in bello contra barbaros, & tyrannos detineretur. Segetiæ deæ templum in Saloninæ nummis percuſſum, id ab illa conſtructum denotare videtur: porro ſi aliquis inſtet eum Gallieni eſſe, & monetariorum incuria ſignatum, non ei pertinaciter refragabimur.

Hic nummus argenteus inter rariores habetur.

AVG. IN PACE. *Figura muliebris ſedens, dextra ramum, ſiniſtra haſtam tranſverſam.*

Hæc

Hæc inſcriptio in Salonina inſolens, & obſcura Triſtano noſtro videtur, ſed non inſpexerat nummum in Gallieni ludibrium cuſum cum *Gallienæ Auguſtæ* nomine, & epigraphe *Ubique Pax*, dum totus orbis Romanus a barbaris undique premeretur: unde in dedecus hunc etiam ejus conjugi ſignatum putamus a quodam tyranno, qui ſimiliter eam *in pace Auguſtam* appellaverit, dum per omne imperium continuum arderet bellum.
Hic nummus argenteus rarus eſt, & elegans.

CONCORDIA AVGG. *Gallienus porrigens dextram Saloninæ.*
Ad denotandam conjugalem Gallieni cum Salonina concordiam, cui ille dextram porrigit in fidei teſtimonium. Id obſervandum in Latinis hujus Auguſtæ nummis, eam nominari ſæpe Corneliam, & numquam Chryſigonem, niſi in Græcis: unde conjicimus illam quidem Romanam, ſed ex Græcia originem duxiſſe.
Hic nummus argenteus rarus eſt.

Eadem epigraphe. Tres dextræ junctæ.
Tres illæ dextræ junctæ nummum denotant percuſſum, quum Valerianus junior a fratre Gallieno Auguſtus eſt appellatus, quod ſummam arguit erga fratrem pietatem, & in ejus familia concordiam: unde rei memoriam in Saloninæ nummis conſignavit.
Hic nummus argenteus inter rariores collocandus.

DEAE SEGETIAE. *Figura muliebris tunicata cum Luna creſcente in capite, manus elevans, ſtat in templo quatuor columnarum.*
Deæ Segetiæ templum fuiſſe a Salonina erectum nummus indicat, quum tantum aram in Circo maximo haberet ex Plinio. Segetia illa, a ſegetibus appellata eſt, quum iis præpoſita eſſet, qnando ex terra prodeunt, ut narrat Auguſtinus lib. 4. Civ. Dei cap. 7. Hanc deam magnopere coluiſſe videtur Salonina, ad annonam P. Romano procurandam.
Hic nummus argenteus pro raro habetur.

FELICITAS PVBLICA. *Figura muliebris ſedens, dextra caduceum, ſiniſtra cornucopiæ.*
Diximus Saloninam P. Romano annonam procuraſſe, ex ejus nummo cum hac epigraphe ſignato, quod per templum Deæ Segetiæ ab

ab illa extructum confirmare conati sumus: unde *Felicitas Publica* per ejusmodi frumenti abundantiam, & frugum omnium copiam, quam indicat cornucopiæ, inscribitur. Caduceus Felicitatis symbolum est.
Hic nummus ex argento tritus est, & obvius: ex auro rarus est.

IVNONI CONS. AVG. *Cerva.*
Ut majores deos omnes Gallienus in illa turbulentissima tempestate imperii pro Conservatoribus acceperat, quos per eorum symbola in nummis suis expressit; ita Salonina ut Augusti conjux, Junonem conservatricem invocat, quam per cervam denotat: at cur illa huic deæ sacra sit, optime ex Callimacho notavit Tristanus, quem consule tom. 3. pag. 101.
Hic nummus argenteus inter raros computatur.

* PIETAS AVGG. *Figura muliebris sedens, sinistra hastam gerit, dextram extendit versus duos puerulos stantes ante se.*
Salonina Gallieni uxor duos filios peperisse nummus docet, Cornelium Saloninum de nomine matris dictum, & Julium Saloninum: primum constat Postumi malis artibus necatum in Gallia, alterum prope Mediolanum simul cum genitoribus Cecropii Dalmatæ gladio interemptum.
(1) *Hic quinarius argenteus rarus est.*

ROMAE AETERNAE. *Roma galeata sedens, dextra Victoriolam porrigit Imperatori togato stanti.*
Gallienus stat togatus tanquam pacificus, bello undique confecto, a Roma sedente ut dea; victoriæ signum in mercedem imperii victoriis suis contra barbaros, & tyrannos pacati recipit; sic populo illudens, dum provinciæ Romanæ aut a barbaris infestarentur, aut a tyrannis occuparentur.
Hic nummus aureus inter rariores habendus.

VENVS GENETRIX. *Venus stans, dextra puerulum, sinistra hastam gerit.*
Salonina dicitur *Venus Genetrix* ad fecunditatem denotandam, illa enim puerulum gerit nempe Saloninum filium: imo alter nummus

 duos

(1) In museo Editoris.

duos ſtantes exhibet cum epigraphe *Pietas Augg.* ſed nihil fecunditas Saloninæ profuit: Saloninus Cæſar factus, a Poſtumo occiſus; & Q. Gallienus Saloninus ejus frater in puerili adhuc ætate mortuus eſt.

Hic nummus aureus inter rariores locandus.

VENVS VICTRIX. *Figura muliebris, dextra globum, læva palmæ ramum.*

Venus pomum gerit, quod ob pulchritudinem in Ida monte acceperat a Paride, unde Victrix cognominata eſt: ita repræſentatur, & nominatur Salonina, quod ob vultus, & corporis elegantiam a Gallieno inter cæteras Romanas electa fuerit. Palmæ ramus victoriæ ſymbolum eſt.

Hic nummus ex argento non obvius, ex auro rarus habetur.

VESTA AETERNA. *Figura muliebris ſedens, dextra palladium, ſiniſtra haſtam.*

Veſta in nummis Saloninæ exhibetur ad deſignandam ejus pudicitiam, nam in Veſtalibus nulla de earum labe ſuſpicio haberi debebat. Æterna dicitur, ob æterni ignis cuſtodiam, quod nomen ei largitus eſt Horatius lib. 3. Od. 5. *Æternæque Veſtæ.* Palladium gerit, tanquam felicitatis pignus. Vide Ill. Spanhemii, de Veſta Diatribam.

Hic nummus argenteus inter rariores numerandus.

VESTA FELIX. *Figura muliebris ſtolata ſtans, dextra pateram, ſiniſtra facem.*

Salonina ſub Veſtæ nomine, ad deſignandam pudicitiam in ſuperiori nummo, repræſentata eſt; ſed in hoc Felix cognominatur, per pudicitiam denotare ſuam in imperio Felicitatem volens, ut ſupra dicitur Felicitas publica. Aliter explicuit Triſtanus.

Hic nummus argenteus rarus eſt, & elegans.

SALO-



SALONINI nummi ex argento vulgares ſunt, præcipue in Gallia, ex auro rariſſimi.

DIVO CAES. VALERIANO. *Caput Salonini nudum, in aliis cum corona radiata.*

CONSECRATIO. *Rogus.*

Saloninus in Gallias a patre miſſus, ut ſub Poſtumo duce fortiſſimo rem militarem diſceret, ejus artibus occiſus eſt: mœrens pater eum inter divos a Senatu referri curavit, in cujus rei memoriam plurimi nummi cum diverſis typis ſuperſtites ſunt. De rogo pro conſecratione erecto paſſim diximus.

Hic nummus argenteus pro raro habetur.

P. COR. SAL. VALERIANVS CAES. *Caput Salonini radiatum.*

DEO MARTI. *Mars galeatus in templo quatuor columnarum.*

Templi Martis icon in nummis Salonini exhibetur, in memoriam, quod Gallienus ejus pater illud in circo Flaminio erexiſſet: ut enim Gallienus Jovem Victorem filii ſui Nutritorem prædicabat, ita Martis cultorem, filium exemplo ſuo eſſe demonſtrare voluit: Mars autem in bello maribus præeſſe credebatur.

Hic nummus argenteus rarus eſt.

DII NVTRITORES. *Jupiter ſeminudus ſtans, ſiniſtra haſtam, dextra Victoriolam figuræ paludatæ porrigit.*

Jupiter Victor, & Gallienus etiam Victor, dicti ſunt Salonini Nutritores Dii, tanquam ſub iis educatus, Victor omnium Gentium fu-

turus sit: at ut Jupiter crederetur Salonini Nutritor, jam ipsi puero, Jovis nomen dederat pater, & nummum sub ejus nomine cum epigraphe *Jovi crescenti* signari curaverat. Vide Tristanum.
Hic nummus argenteus inter elegantiores recensetur.

IOVI CRESCENTI. *Puer insidens capræ.*
Jovi in Creta a capra educato alluditur per hunc Salonini nummi typum, tanquam esset alter puerulus Jupiter: capræ insidet eam cornu apprehendens, puerorum more, ut notat Tristanus ex epigrammate Anthologiæ lib. 1. cap. 33. quia a teneris annis, ut equos aliquando ducere possent, instituebantur.
Hic nummus ex argento frequens, ex auro rarissimus est.

PIETAS AVGG. *Instrumenta Pontificalia.*
Instrumenta Pontificalia Saloninum a Gallieno patre ornatum sacerdotio fuisse arguunt, dum illum Cæsarem nominavit, ut Augustus, qui filios Cajum scilicet Pontificem, Lucium vero Augurem, ut simpulum in prioris nummo, & lituus in altero denotant: sed omnia vasa Saloninum in omne Pontificum collegium ascitum, Neronis exemplo demonstrant.
Hic nummus argenteus obvius est, ex auro rarissimus.

PRINCEP. IVVENTVTIS. *Saloninus stans paludatus, dextra signum militare, sinistra hastam gerit.*
Qui in futuræ imperii successionis spem designabantur, si pueritiam tantum adepti essent, Principis Juventutis titulo donabantur; nam ætate provecti ut L. Ælius, Antoninus Pius, & M. Aurelius, & alii, eum non tulerunt, quum ad adolescentes spectaret: quo titulo Saloninus, ut puer honoratus est.
Hic quinarius argenteus inter elegantiores adscribendus.

SPES PVBLICA. *Figura paludata stans, dextram elevat, ex adverso Spes dextra florem, sinistra vestem sublevat, astro intermedio.*
Paludatus Saloninus, cui adstat dea Spes, solita Cæsarum comes, ad denotandum, quod de hoc principe pro bello contra barbaros suscipiendo promittebat; cui illa florem, seu herbam, tanquam victoriam sponderet, porrigit.
Hic nummus argenteus rarus est, & elegans.

VI-

VICTORIA GERMANICA. *Victoria coronam figuræ paludatæ præbet.*

Victoria Germanica in Salonini nummo, ob Gallieni victoriam de Germanis relatam exhibetur, quum idem parentis honos, filio communis sit: ideo Victoria ipsi coronam præfert; Gallienum victoriam contra Germanos reportasse, declarant nummi, qui ipsi Germanici maximi cognomen tribuunt.

Hic nummus argenteus inter elegantiores habendus.


VICTORIA PART. *Victoria stans, dextra coronam porrigit figuræ paludatæ stanti, dextra globum, læva hastam gerenti.*

Ut Germanicæ victoriæ a patre Gallieno, ita & Parthicæ ab avo Valeriano relatæ monimentum in nummis Salonini exhibetur: porro notandum, quod illud in nepote occurrit, in Gallieno Valeriani filio tamen non observatur, non quod, ut putamus, signatum non sit, sed ad nos hactenus non pervenerit.

Hic nummus argenteus rarissimus est.



VA-



VALERIANI junioris nummi ex argento frequentes, ex auro rariſſimi ſunt.

* VALERIANVS P. F. AVG. *Caput Valeriani junioris radiatum.*
CONSACRATIO. *Aquila volitans animam Valeriani ad cælum ſuſtollit.*
Ex hoc nummo rariſſimo, & elegantiſſimo diſcimus errare Vaillantium, qui docet Valerianum juniorem non fuiſſe conſecratum, atque adeo tribuendos eſse Salonino nummos omnes, qui præferunt nomen Corn. aut Salon. & qui cum conſecratione reperiuntur. Adverſus hoc monitum reclamat præſens nummus, in quo legitur *conſecratio Valeriani pii, felicis, Auguſti*. Non ſolum itaque relatus fuit inter Divos Cornelius Saloninus, filius Gallieni, ſed etiam Valerianus, frater Gallieni minor natu. Hunc autem fuiſse Imperatorem Trebellius Pollio inde arguit, quod capto jam Valeriano invenitur in faſtis, *Valeriano Imperatore Cos. Quis igitur alius potuit eſſe Valerianus, niſi Gallieni frater?*
(1) *Hic nummus rariſſimus, & elegantiſſimus eſt.*

P. LIC. VALERIANVS CAESAR. *In aliis* AVG. *Caput Valeriani junioris radiatum.*
IOVI CRESCENTI. *Puer inſidens capræ.*
An hic Jovis pueruli capræ inſidentis typus in Salonino cælatus, Valeriano juniori ejus patruo etiam datus ſit, dubitare quis poſset, quum huic principi peculiaris ſit, & in aliis Cæſaribus minime obſer-

(1) In muſeo D. Abb. de Rothelin.

ſervatus : is potius monetariorum incuria cuſus videtur, quum ſimilem in Gallieno obſervaverimus.
Hic nummus argenteus inter rariores habendus.

VALERIANVS NOBIL. CAES. *Caput ut ſupra.*
ORIENS. *Valerianus paludatus coronam imponit trophæo, ſiniſtra clypeo innixa.*
Valerianus junior dicitur in nummis Oriens, tanquam Sol novus in imperio oriretur, quando ejus particeps a fratre Gallieno factus eſt; Orientem enim jam domuiſſe, Meſopotamiamque recuperaſſe credebatur, in qua trophæum de Perſis jam erigere videtur, quum Odenathus Perſarum duces captos ad eos miſiſſet, de quibus Romæ triumphus actus eſt.
Hic nummus argenteus rariſſimus eſt.

PIETAS AVGG. *Duæ figuræ velatæ ſacrificantes ſuper aram ignitam, aſtro intermedio.*
Gallienus, & Valerianus fratres ſacra faciunt velati, unde eorum erga deos Pietas notatur, & mihi conjecturæ locum facit aſtrum pro Oriente ſignatum, ob victorias ab Odenatho de Perſis relatas, quem Gallienus, ut ait Pollio, *Conſulto Valeriani fratris ſui, & Lucilii propinqui . . . participato imperio Auguſtum vocavit.*
Hic nummus argenteus rarus eſt.

VIRTVS AVGG. *Roma galeata ſedens, dextra Victoriolam, ſiniſtra haſtam.*
Roma ſedet, ut quieta, & tranquilla Gallieni, & ejus fratris Valeriani virtute: quaſi eam a barbaris in Italiam irruentibus conſervaſſent: de Gallieno ita loquitur Zoſimus, *His rebus omnibus Gallienus, Romam reverſus eſt; ut illato, ab Scythis Italiæ bello remedium afferret.* Valerianus in nummis cum Gallieno repræſentatur utpote imperii particeps.
Hic nummus argenteus rarus eſt.

Multi confundunt Valerianum Cæſarem cum Salonino, ut jam monuimus in noſtris æreis nummis. Quando nomen Corn. aut Salon. obſervatur, aut quando cum conſecratione reperitur Salonini ſunt: Valerianus junior non conſecratus fuit.
[*Vide ſuper hac re, quod ſuperius diximus ad nummum Valeriani, cujus epigraphe eſt* CONSACRATIO.]

GNEÆ



GNEÆ CORNELIÆ SUPERÆ Valeriani junioris uxoris nummi ex argento eximiæ ſunt raritatis: ex auro non obſervantur.

G. CORNEL. SVPERA AVG. *Caput Corn. Superæ in medio creſcentis Lunæ.*

IVNO REGINA. *Figura muliebris ſtans, dextra pateram, ſiniſtra haſtam: pro pedibus pavo.*

Solitus eſt Auguſtarum typus *Juno Regina*, nam ut Imperatores ſub Jovis titulo ſæpe exhibebantur, ſic fœminæ Principes ſub Junonis effigie erant deſignatæ, quum hæc illius ſoror, & conjux eſſet: ita prodit Cornelia Supera magis ex nummis quam ex Hiſtoricis nota; nam altum eſt de illa apud eos ſilentium.

Hic nummus argenteus inſignis præſtantiæ eſt, ac raritatis.

VESTA. *Figura muliebris capite velato ſedens, dextra palladium, ſiniſtra haſtam tranſverſam.*

Veſtam in Auguſtàrum nummis ad indicandam earum pudicitiam cælari diximus; ipſi ut pudicitiæ deæ velum conceditur, ut denotent caſtas debere per vicos velatas tantum incedere. Veſta Palladium pro ſymbolo gerit, quod in intimo templi ſui penetrali adſervaretur.

Hic nummus argenteus eximiæ raritatis eſt, ac elegantiæ.

Eadem epigraphe. Mulier ſtolata ſtans ſine velo, dextra pateram, ſiniſtra haſtam tranſverſam.

Veſta

Veſta iterum prodit eodem, quo in Saloninæ nummis typo, ubi *Veſta felix* inſcribitur: quod epithetum Triſtanus ipſi Auguſtæ potius quam huic Deæ peculiare exiſtimat; ſed Felix eſſe videtur, quæ Pudica, quum Veſta ad pudicitiam Auguſtæ denotandam in earum nummis repræſentetur.

Hic nummus argenteus ſingularitatis eximiæ eſt, ac præſtantiæ.

Ante Triſtanum nemo Corneliæ Superæ nummum vulgavit, cui duos alios ad ejus confirmationem addidimus, ſed hi omnes argentei ſunt: nunc vobis æreum Græcum mediæ formæ perelegantiſſimum, licet opus noſtrum de Græcis Imperialibus mox in lucem edituri ſimus, in gratiam lectoris exhibemus.

ΓΝ. ΚΟΡ. ΣΟΥΠΕΡΗΝ. ΣΕ. *Gneam Corneliam Superam Auguſtam* ſubauditur *colunt*. *Caput Corn. Superæ*.

ΑΡΧ. ΤΟ. Β. ΦΙΛΟΙΣΙΜΑ ΙΟΥΛΙΕΩΝ. *Pontifice iterum Philœcima Julienſium. Pallas ſedens dextra pateram, ſiniſtra haſtam gerit: pro pedibus noctua.*

INDEX PRIMUS

. INSCRIPTIONUM

Quæ in adversis partibus Nummorum leguntur.

TIBERIUS.

DRUSUS.

NERO CLAUD. DRUSUS.

ANTONIA.

GERMANICUS.

AGRIPPINA GERMANICI.

CALIGULA.

CLAUDIUS.

AGRIPPINA CLAUDII.

NERO.

ΝΕΡΩ

ΝΕΡΩ ΚΛΑΥ. ΚΑΙΣ. ΣΕ. ΑΥΤΟΚΡΑΤ. 68.

ΝΕΡΩΝ ΚΑΙΣΑΡ ΣΕΒ. 68

POPPÆA.

ΠΟΠΠΑΙΑ ΝΕΡΩΝΟΣ ΣΕΒΑΣΤΟΥ. 69

ΠΟΠΠΑΙΑ ΣΕΒΑΣΤΗ. L. I. 69

GALBA.

GALBA IMPERATOR. 70

SER. GALBA IMP. 71. 75

SERG. GALBA IMPER. 74

ΣΕΡΟΥ. ΓΑΛΒΑ ΑΥΤΟΚΡΑΤ. ΣΕΒ. 76

OTHO.

IMP. M. OTHO CAESAR AVG. TR. P. 77.

ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ Μ. ΟΘΩΝ ΚΑΙΣΑΡ ΣΕΒΑΣΤΟΣ. 78

VITELLIUS.

A. VITELLIVS IMP. GERMAN. AVG. 80.

VESPASIANUS.

IMP. CAESAR VESPASIANVS AVG. 84.

IMP. CAES. VESP. AVG. 84

IMP. VESPAS. AVG. P. M. TR. P. P. P. COS. IIII. 90

IMP. CAES. VESP. AVG. P. M. COS. IIII. 90

ΑΥΤΟΚΡΑ. ΚΑΙΣ. ΟΥΕΣΠΑΣΙΑΝΟΣ ΣΕΒΑΣΤΟΣ. 91

ΑΥΤΟΚΡΑ. ΚΑΙCΑΡ ΟΥΕCΠΑCΙΑΝΟC CΕΒΑCΤΟC. 91

DOMITILLA.

DIVA DOMITILLA AVG. 94

TITUS.

T. CAES. VESPASIANVS AVG. 96

T. CAES. IMP. VESP. PONT. TR. POT. 98.

IMP. TITVS CAESAR VESPASIANVS AVG. P. M. 99

JULIA TITI F.

IVLIA AVGVSTA DIVI TITI F. 101

IVLIA AVGVSTA. 101

DOMITIANUS.

CAES. DIVI VESP. F. DOMITIAN. COS. VII. 103

DOMITIANVS CAESAR AVG. F. 103

IMP. CAES. DOMIT. AVG. GERM. P. M. TR. P. VIII. 106

DOMITIANO CAESARI PR. IVVENT. 106.

CAESAR DIVI F. DOMITIANVS COS. VII. 107

DOMITIAN. CAES. AVG. F. 108

IMP. CAES. DOMITIANVS AVG. GERM. 108

ΚΑΙ ΔΟΜΙΤΙΑΝΟC CΕΒΑCΤΟΥ ΥΙΟC. 109.

ΔΟΜΙΤΙΑΝΟC ΚΑΙCΑΡ. 109

ΑΥΤ. ΚΑΙΣΑΡ ΔΟΜΙΤΙΑΝΟΣ ΣΕΒ. ΓΕΡΜ. 109

ΑΥΤ. ΔΟΜΙΤ. ΚΑΙΣ. ΣΕΒ. ΓΕΡ. 110

DOMITIA.

DOMITIA AVGVSTA IMP. DOMIT. 111.

NERVA.

IMP. NERVA CAES. AVG. P. M. TR. P. 113.

ΑΥΤΟ-

TRAJANUS.

PLOTINA.

MARCIANA.

MATIDIA.

HADRIANUS.

SABINA.

L. ÆLIUS.

ANTONINUS PIUS.

FAUSTINA.

M. AURELIUS.

FAUSTINA JUNIOR.

L. VERUS.

LUCILLA.

COMMODUS.

CRISPINA.

PERTINAX.

DID. JULIANUS.

M. SCANTILLA.

DID. CLARA.

PESCENNIUS NIGER.

ALBINUS.

SEPT. SEVERUS.

JULIA PIA.

CARACALLA.

AN-

GORDIANUS PIUS.

IMP. GORDIANVS PIVS FEL. AVG. 307.
IMP. CAES. M. ANT. GORDIAN. PIVS AVG. 307

TRANQUILLINA.

SABINIA TRANQVILLINA AVG. 311

PHILIPPUS SEN.

IMP. C. M. IVL. PHILIPPVS AVG. 312

OTACILIA.

MARC. OTACIL. SEVERA AVG. 317

PHILIPPUS JUN.

M. IVL. PHILIPPVS NOB. CAES. 319
IMP. PHILIPPVS AVG. 320

TRAJANUS DECIUS.

IMP. C. M. Q. TRAIANVS DECIVS AVG. 321

HER. ETRUSCILLA.

HER. ETRVSCILLA AVG. 324

Q. HERENNIUS.

Q. HER. ETR. MES. DECIVS NOB. C. 326.
IMP. C. Q. HER. ETR. MES. DECIO AVG. 326
IMP. C. HER. MES. DECIO AVG. 327
IMP. C. Q. HER. MES. DECIVS AVG. 328.

HOSTILIANUS.

C. VAL. HOSTIL. MES. QVINTVS NOB. C. 329
C. OVAL. OSTIL. MES. COVINTVS CAES. AVG. 329
C. OVAL. OSTIL. MES. COVINTVS AVG. 330

TREBON. GALLUS.

IMP. CAES. C. VIB. TREB. GALLVS AVG. 333

VOLUSIANUS.

IMP. CAES. C. VIB. VOLVSIANO AVG. 336.
IMP. C. VA. F. GAL. VEND. VOLVSIANO AVG. 337. 338

ÆMILIANUS.

IMP. AEMILIANVS PIVS FEL. AVG. 340.
IMP. CAES. AEMILIANVS P. F. AVG. 340.

VALERIANUS.

IMP. C. P. LIC. VALERIANVS AVG. 343.

MARINIANA.

DIVAE MARINIANAE. 349

GALLIENUS.

GALLIENVS AVG. 350
IMP. GALLIENVS AVG. 350
GALLIENAE AVGVSTAE. 369
GALLIENVS P. F. AVG. 369

SALONINA.

SALONINA AVG. 375

IN-

INDEX SECUNDUS
INSCRIPTIONUM
Quæ in averſis partibus Nummorum leguntur.

A

C. CAE-

CON-

D

DIA-

E

ΕΤΟΥΣ

F

G

IMP.

K

L

LEG.

LI-

PA-

P. M.

Q

R

SA-

S

T

TR.

VI-

X

Y

INDEX TERTIUS RERUM.

A

Vo-

Pluri-

B

Cæ-

Cer-

Cor-

D

Do-

E

In

F

Fe-

Galba

An-

H

Hye-

L. In

L

Leo

M

Ho-

P

Co-

Q

Qui-

Mar-

So-

T

Jo-

Tra-

V

Va-

FINIS.

